
SCRIBONIVS LARGVS.







SCRIBONII LARGI COMPOSITIONES MEDICÆ.

IOANNES RHODIVS
recenſuit,
Notis illuſtrauit,
LEXICON SCRIBONIANVM
adiecit.







PATAVII, cIↄ Iↄc LV.

Typis Pauli Frambotti Bibliopolæ.
SVPERIORVM PERMISSV.





Augustissimo Principi

FRIDERICO TERTIO

DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM, GOTHORUMQ. REGI,

Domino Clementissimo.



Rbis rerumque dominam obscuris initiis ad summum fastigium extulit Quiritium virtus, egregio posteris exemplo, quibus honesti rectique cura fuit. Etenim omnem ingenii vim Græciæ, cetérisque gentibus fortitudinis gloriam præripuit, non Italiæ finibus contenta, sed ad extremam usque Thulen ausa fasces porrexisse. At enim, quod grauissimus vates prospexit,

Perdita tunc Vrbi nocuerunt secula, postquam
Ambitus, & luxus, & opum metuenda facultas
Transverso mentem dubiam torrente tulerunt.

Nimirum fatiscente imperio, remotis efferisque populis ad immanitatem aditus patuit: qua non Diuorum templis auro fulgentibus, non theatris cœlo minantibus, neque insanis substructionibus, imo nec innocentibus chartis immortalitati dicatis militaris licentia pepercit. Ferro flam-

flammaque vastata omnia: nec tantæ cladi præter patientias ac rudera, & quod summe dolendum trunca invidendi artificii marmora, hodie Romanæ magnitudini quicquam superest. Singulari tamen fato, nec sine providentia numinis, hostiles manus evasere non pauca ingeniorum monumenta, quæ varie direpta & recondita vitam adscribunt eorum pietati, quorum studio è squalore ac situ in conspectum redire potuerunt. Non minima huius felicitatis pars tribuenda videtur superioris æui solertiæ, qua immensi laboris compendio scripta paucis olim cognita serius ocius publici iuris fiunt. Vnius Galeni industria è veteri Medicorum turba caput Scribonius extulerat. Longo temporum decursu è latebris in Gallia erutus Italiæ orbique redditus est. Sed varia usus vetustatis fortuna, nec satis integre habitus. Amœnioribus tamen ingeniis adeo gratus, ut iam supra seculum iis fuerit in pretio, qui nævos etiam in pulcro corpore minime adspernantur: quanquam eum emendatiorem prodire non tam ipsorum quam posteritatis intererat: ut non satis mirari liceat è frequenti eruditorum numero neminem adhuc serio ipsi manus admouisse. Obstabat fortassis famæ tenuitas operis, & Græcorum existimatio: quibus tamen & ipse non semel præluxit. Gallo quidem natales is debet, at habitum cultumque nunc, ut sunt rerum vices, uni ex ea gente, cuius tremenda utrique Hesperiæ potentia Musis ac literis pæne ultima stetit: nisi quod nunc auspiciis tuis Princeps Augustissime revitescunt, sicut gens eadem hoc felicitati suæ imputat, quod tua mansuetudine refouetur. Non ergo temere nec intempestiue Scribonius regiæ tuæ limina pulsat, ex quo olim Principi

Clau-

Claudio notus nullius in hunc diem gratia subnixus istic extremis literarum temporibus fortunæ portum ac perfugium sperat. Nullus enim orbis angulus est, quem tua non pervagata sit in literarum cultores facilitas & clementia: qui omni doctrinarum genere excultus de iis prudenter iudicium feras, eas nitori suo restituas, omni liberalitate fulcias, & ad summum evehas, ut perennem Te præside felicitatem sibi augurentur. Neque certe unquam excidium iis metuendum est, ubi ista consilii moderatione ac lenitate animique fortitudine terra mariq; geruntur omnia. Sis Optime Princeps facilis, & à seriis ad comitatem remissior, si libet, serenam huc aciem flecte. Si nihil regio dignum adspectu, honesto saltem errori solatio erit, meum non displicuisse obsequium; cui nihil fortuna præter votum reliquit. Sis diu felix. DEVS annuat, cogitationesque tuas læto eventu ad imperii gloriam & Christiani orbis commoda producat.

Patauii Calendis Ianuariis An. CIↃ IↃC LV.

MAIESTATI REGIÆ

Obsequentissimus
IOANNES RHODIVS.

M. FAB. QVINTILIANVS Declamat. CCLXIIX.


MEdicina autores ante omnia accepimus Deos: siue (ut maxime reor) ut hac infirmitas hominum haberet adiumenta aliqua, atque solatia: siue tantum huic arti attribuere maiores, ut eam vix crederent humanis potuisse ingeniis inveniri: siue ipsa medicina per se sacrum est.



45







LECTORI BENEVOLO.



Nni sunt plures, quum CHRISTIANI QVARTI *Daniæ Regis Augustißimi, non ita pridem cœlo recepti, Cancellarius incomparabilis memoriæ Christianus Frisius toga sagoq́ Senator illustris pro sua in me voluntate eximia summaque in literas propensione mihi in Italiam tendenti Cornelii Celsi scriptoris grauißimi castigationem serio commendaret. Nec verbis id tantum prolixe testatus magnæ sibi curæ, verum libro etiam Ioannis Caii Britanni diligentia olim in Italia emendato è literarum supellectili sua optimis cuiuscunque generis autoribus refertißima benigne comitatum dimisit. Flagrantißimo summi viri desiderio ne deessem, Romæ veteres bibliothecæ Vaticanæ libros diligenter excußi, Serenißimi Ducis Vrbinatis codice præterea plurimum adiutus, sed in primis Magni Ducis Hetruriæ, quicum nullus inter omnes Italiæ membranas ætate vel emendatiori scriptione comparandus. Qui enim Venetiis, Patauii, & Mediolani exstant, posterioris longe seculi sibique fere conformes animaduerti. Operam itaque liberalis obsequii horis subsecivis pæne affectam dum unus alterue liber in Germania, Gallia, Hispania, Britannia, Belgioque adhuc moratur, quæ ingeniorum est fertilitas, noua de Celsi Acia satis ardua inter primos Hispaniæ medicos nascitur disputatio. Eminebat per hæc tempora Venetiis maximæ autoritatis in ea Republica Senator Dominicus Molinus candidißimus magnorum ingeniorum æstimator sapientiæ fama clarus, qui aduenis aliqua virtutis & scientiæ opinione com-*

b mendatis

mendatis præcipue facilis inter eos me receperat, quorum sibi paratum crederet omne studium. Curiosior ille dirimendæ liti meam heic poscit sententiam, nec voce sola contentus, insuper Stilum. Parui quidem viri maximi consilio. Sed, ut fatear, magis amicorum quam publicæ me censuræ commodaui. Sic iis mea nihilominus placuit dissertatio, ut non crebris tantum adhortationibus, sed & expostulationibus, me in iudicii discrimen traherent. Equidem perdifficile putabam id euitare; mitius tamen ut experirer, varia cum eruditione iunctum Clarissimi Octauii Ferrarii candorem enixe contestans perspecta mihi multis nominibus viri optimi prudentissimique fide non modo firmaui hærentem aliquamdiu animum, sed noui laboris cogitationem suscepi. Etenim post varios de Cornelio Celso non sine merita laude sermones Scribonium Largum inter eos haut postremum significauit, cui medici manu nitor pristinus redderetur, quo paucis nostra ætate familiaris laudatum quondam veteribus, atq; in primis Andromacho Neronis æuo, sicut & passim Galeno, ex remediorum elegan-ti copia nomen in posterum sustineret.

Iam eius aliquoties peruolueram monumenta, sed oculis verius medicis, quam Grammaticis; nec sine caliginis offensa, cui à tempore mihi lucem ac medelam pollicebar. Eadem vero dum attentius itero, dictu mirum quam occurrerent multa, quæ vel ingeniosissimis crucem figerent. A libris namque editis nihil subsidii fuit, etiamsi Ioannes Ruellius vir exquisiti iudicii optimeque de re medica promeritus magno bonorum applausu Anno CIↃ IↃ XXIX *primus Lutetiæ hunc scriptorem codicis ut apparet non usque boni adminiculo è tenebris in lucem produxisset: ut quidam*

vel

vel eo seuere nimis Scribonii satis audacem restitutorem putent. Huius exemplum Basileæ Andreas Cratander confestim expressit. Nec meliore fide Aldus ceteroquin diligentissimus anno post duodetricesimo sine Compositionum indice Latinis medicis addidit. Henricus Stephanus etiam vigesimo post hunc anno præterea in Capita parum accurate distinctum artis medicæ principibus nihil emendatiorem accensuit, si Graca excipias, quorum supra communem eorum temporum sortem erat gnarus, & leues quasdam interpunctiones; in quibus nonnihil quoque desideres; at venia dignum, quandoquidem illud omne studium non tam ab ingenio & Latini sermonis notitia, quam à Medicinæ professione dependet. Magna certe spes erat in prioribus Ruellii scriptis; postquam celebriores Europæ bibliothecas frustra sollicitassem. Sed nec ullum earum indicium præter Epistolam ad Iul. Callistum Marcello Empirico in membranis exarato præfixam quantalibet sollertia in hunc diem apparuit. Quod vero de Libris propriis memorat Ioannes Caius in emendando Largo institutum vel interrupit fatum, vel cura posteritatis minor euertit. Vnum igitur ab ingenio præsidium restabat, cui artificiosa coniectura tot difficultates eluctari integrum videbatur. Conatui accessit genius in hoc literarum genus procliuis, qui non mediocri priscorum librorum usu iam diu perceperat varias tot errorum causas, quibus plerique turpiter scatent.

Lucri scilicet compendio scriptorum plures ab unius ore pendentes non raro ex pronunciatione voces sono affines inuicem permutarunt, eaque non satis accurata quandoque transformarunt vocales, interdum postremæ syllabæ repeti-

tione, aut ultimæ literæ cum sequentis vocabuli coagmentatione, varia nominum monstra procudere: cuius generis librarios in cœnobio Fuldensi olim trecentos una vixisse accepimus. Eodem ex fonte manauit distinctionum neglectus, oratione non separatis inter se versibus, sed perpetua literarum serie prisco more continuata, præterquam capitum initiis, velut in Pandectis apographis veræ vetustatis, quæ inter Magni Ducis pretiosiora Florentiæ seruantur: quanquam & priscis Romanorum monumentis probabile est, talia ipsis interualla non fuisse consueta. Verum neq; Græcis vocibus magis quam Latinis receptos nobis apices olim adpictos, indicant libri antiqui, maximeq; in bibliotheca Vaticana Hippocrates, quem Marci Fabii Calui Rauennatis primi interpretis manu ad antiquissimum exemplar descriptum constat. Intellectũ nihilominus diuersum apice distinguendum ostendit Quinctilianus Institut. Orator. Lib. 1. *Cap.* VII. *Insigni autem damno unum etiam omissum fuisse punctum, satis superque de Magnesia ostendit Strabo Geographiæ Lib.* XIV. *Imo Græca imperitis librariis non satis percepta Latinis characteribus quandoque deprauata vidimus. Nec rarior in plures libros mendorum indoles ex notis, quas Iustinianus Imperator Digestorum præloquio iure vetuit. Ductus enim pæne fugientes mirum quam incautis sæpe imponunt: Numeri quoque notis vel una alteraue syllaba in vetustioribus libris expressi scriptorum inscitia veris syllabis plene positi: ne dicam de literarum similitudine, quæ sæpius confusionem peperit inexplicabilem iis, quibus non expedita fuit scripturæ Langobardicæ ratio paucissimis adhuc libris aut instrumentis reliqua. Nec aliam ob causam tot παραγράμματα descriptoribus forsan emersere. Grauior quam qui ferendus, nec silendus tamen, librariorum*

lapsus, quorum oscitantia, syllabis inepte commissis, aut separatis inuicem, vel traductis fœde, verba misere luxata, nonnunquam etiam aliqua sui parte in principio, medio, ac fine dictionum, imo integre fraudata, interdum propter vacantis literæ similitudinem aucta; mixtisque dubia sede vocibus, infelices oboriuntur tenebræ. Tolerabilis eorum sedulitas, qui versuum interstitiis infarcta vel oræ adscripta curiosius interpretamenta suis quæque locis inseruere, parum etiam pensi habentes quicquid à recentioribus adsutum, vel in ordine Capitum negligentius habitum; modo nihil prætcriissent. Nec improbandi penitus, qui exolescentes literas obscuris etiam vestigiis restituerunt. Audacioris porro animi fuit à Latini sermonis inscitia commutatio vocabulorum: etiamsi Galenus Comm. II. *Aphor.* II *de Offic. med. Hipp. eam Artemidoro & Dioscoridi concesserit, dummodo rem bene intelligerent. Eam ne Marcellus quidem Burdegalensis evitauit notam, euius arbitrio varie interpolatum alibi indicauimus. Quid multa? Iustissima Galeni querela, errante primo scriba errauit secundus ac tertius. Inde nec alucinationis fuit finis: ut eo minus Ruellio succensendum, qui sine dubio plurimis in locis reposuit quæ superioris ætatis incuria contaberant. Adeo Plinius verissime Lib.* XXV. *Cap.* II: Multum degenerat transcribentium sors varia. *Synesium florentis facundiæ virum accepimus inemendatos codices sibi exoptasse, quibus ingenii sui εὐστοχίαν periclitaretur. Eam cogitatione præcipere vetuit mea quidem tenuitas. Mineruæ tamen haut inuitæ communi fauente Mercurio, & venerandæ antiquitatis consensu, Scribonium sibi suæque genti qua licuit fide sic restitui, ut prima semper ac natiua facie compareat, eaque moderatione, ut ne lectori quicquam temere sine veterum autoritate,*

sine

sine Scribonii sententia, obtruderem; aut in voluntatem meam traherem. Deploratis autem nihil attentasse inconsultis iis, quorum conspicua fuit eruditionis fama, grata ipsorum passim testatur memoria.

Iam proposito satisfactum censebant eruditorum plures, libensque acquieuissem, nisi monuissent non infimi nominis quidam multisque rationibus euicissent, acceptam simul fore dilucidationem istorum, qua tirones aliisue negotiis vitæ occupatos detinere possent. Phrygionum itaque more aulæum è varii coloris licio compresse pertexui, communia ratus, quæ sentio cum priscis, imo fida, nisi experientia renititur: quamquam & error honestus est magnos duces sequentibus. Quamobrem nec religioni habui ab autore nonnunquam discedere, si quando ille à medicinæ decretis alienus, quæ serior usus inuexit. Quin leuiorem, si quæ fuerit, aberrationem benigne interpretari, quam reprehendere, æquius duxi. Nec dissimulandum profectò, quod summis etiam nostri seculi scriptoribus accidit, non multos autorum errores à me notatos etiam innotuisse antea viris maximis, quorum sagacitati similitudo inuentionis adscribenda: quam primum deprehendi postquam cogitationes meas scriptis tradidissem. Illud ubique mihi potissimum cordi fuit, obscuris lucem, dubiis fidem redderem, consuetis autoritatem usumque vindicarem è monumentis literisque vetustioribus, nulla iudicii fiducia, sed laboris indicatura; siquidem operæ hèic maior, quam famæ, gratia expetitur. Omnia tamen haud conquisiui anxius, quandoquidem etiam mortalium sapientissimi multa scisse dicuntur, non omnia. Certa insuper valetudinis præsidia mihi cum paucis priuata publicæ utilitati candide in medium attuli. Præcepta quoque in sententias coarctata tamquam scita & oracula sele-

gi,

gi, pariterque Cautiones; ut quod sequatur, quod euitet, prudens oppido circumspiciat medicus. Desideratas praeterea compositiones è Galeno adieci, variantes notis indicauis ne quicquam curiosos deficeret. Artis demum filiis Scribonium Latina etiam venustate aliquantulum contulisse, aequalium & inferiorum scriptorum autoritate, à quibus verba ius accepere, addita subinde magnorum virorum exemplo peregrini idiomatis conuenientia, peculiari vocum atque dictionum Indice sparsim demonstraui: quibus & ipse, quam interdum iis debet, lucem feneratur. Galeno etiam placuit in loco Grammaticum esse. Cuius generis olim magna autoritatis Critici. Quae vero in illis mihi suspecta fuere, asterisci nota sic ad meliorum ingeniorum calculos reuocantur, ut Fabii consilio enarrationem praecedat emendata lectio. Philosophorum quippe scitum vere laudat Plutarchus de Iside & Osiride: Qui vocabula non discant recte intelligere, eos etiam de rebus ipsis falli. *Nec tamen optimo autori violatae Latinitatis dicam facile scriptam velim, etiamsi verbum quandoq; unum vel alterum ipsi peculiare occurrat, quod insolens aliis, seu antiqui moris. Nam & Romani eloquii princeps talia suadet usu mollienda; imo Scribonius excusat ipse: quae lectissimis etiam scriptoribus nulla unquam aetate defuisse nouimus. Nunquam in bona re etiam puduit me qualiscunque autoris; cuiusmodi Plinius eruditorum plerisque cum Paulo Iouio & Leonardo Fuchsio Valerianus parum vere creditus, & quem Ioannes Philippus de Lignamine aliiq; Platonicum dixerunt Apuleius, propitiis medicorum auribus non penitus indigni. Verum nec piguit praeter sententiam plurimorum advocare posteriores, si qua parte praeiuissent, ceterosue laudis operaeque socios commemorare, qui literis dignum quippiam suggessere.*

inge-

Ingenui nempe animi semper credidi, suum cuique reddere, maximeq́ Hieronymo Bagolino: cuius nomen nescio qua manu ex fronte operis nondũ editi derasum vestigiis subobscuris restitui, ne sua laude viri manes fraudarentur: quem Patauii anno supra millesimum quingentesimum vicesimo secundo ordinarium è primo suggestu medicinæ, ut vocant, Practicæ, doctorem in Gymnasii tabulario deprehendi. Operam ipsius vertendo Dioscoridi siluiße Onuphrium Panuinium diligentem suorum Veronensium præconem nihil miror, quandoquidem superiori seculo affectum opus abstrusis recondebatur scriniis, unde bono euentu in meas tandem peruenit manus.

Medicorum hæc utique præcipua est seges, qui natura periti credunt semina quo minora eo fertiliora, quoniam celerius aeri obtemperant. Tui proinde, mi Lector, opus est fauoris aura, si quid hac ingenii exilitate profecerimus. Quam si facile impetrauero, animus voti reus ad maiora & fortassis meliora excitabitur.



DE

DE SCRIBONIO LARGO IVDICIA.

IANVS CORNARIVS *in Epist. Nuncupatoria Marcelli Burdegalensis edita ab Aldo An.* CIↃ IↃ XLVII.



ILlud admonendum duxi, Scribonium Largum nuper in Gallia primum invulgatum, & publice omnibus Latinum medicum scriptorem creditum, totum in Marcelli opere contineri, diuersis locis insertum, ab ouo, ut aiunt, fere usque ad mala, adeo ut perorationem etiam Scribonii Marcellus C. xxxv. habeat. Quæ res facit, ut ego dubitem Scribonium ipsum Latine scripsisse. Cum enim in Lib. Galeni κατὰ τόπους, tum ab Andromacho, tum ab Asclepiade medicamenta Scribonii nomine præfixo producantur, eademq; etiam magna ex parte in vulgato Latino Scribonio legantur, videri poteſt Andromachū & Asclepiadem ex Larino scriptore Scribonio medico transtulisse ea medicamenta, utpote qui iis paulo annosior sub Tiberii & Claudii Cæsaris ætate vixit; & sic sane vulgo omnibus persuasum esse video. At vero cum pleraque ex iis pharmacis, quæ in Galeno Græce leguntur, itemque in Scribonio Latine habentur, diffideant tum in rerum diuersitate, tum in ponderum ratione, & hoc tamen sic, ut ea diuersitas ex similitudine quadam appellationum ipsarum rerum videatur oborta, veluti verbigraria, quod καρδάμωμον in Græco Galeni Nasturtium id est κάρδαμον legitur, in Latino Scribonii exemplari, & χαλκάνθην in Græco, æris flos id est χαλκοῦ ἄνθος haberur in Scribonio, minime existimandum puto Græcos homines Andromachum & Asclepiadem talia ex Latino Scribonii opere male transtulisse. Sed plane vice versa aliquem interpretem posteriorum seculorum Scribonium

c Græcum

Græcum transferendo Græca vel non intellecta vel ex similitudine corrupta bona fide reddidisse, hoc est, errorem ex errore propagasse, velut etiam in Commentariis nostris medicis abunde declaraui. Indicat autem & ipsa dictio se translatitiam esse, ut quæ illud Latinissimum seculum non resipit. Sed & si Scribonius Latine hoc opus prodidisset, non videtur Plinius eius mentionem fuisse neglecturus. Ignotum enim ipsi esse non potuit, qui postea sub Vespasianis illud suum naturalis historiæ volumen edidit. Quare Scribonium omnino Græce scripsisse iudico. & quanquam Romani generis nobilissimæque Scriboniorum familiæ nomen habeat, ut & hinc Latine scripsisse videri possit: tamen tale tum seculum erat, ut quicunque ex Romanis medicinam tentaret ac exerceret, se ad Græcos transferret: atque hoc est quod Plinius dixit: *solam hanc artium Græcarum nondum exercet Romana grauitas in tanto fructu; paucissimi Quiritium attigere, & ipsi statim ad Græcos transfugæ.* Atque hoc sane iudicium meum de Scribonii libro hoc loco ideo prætermittendum non duxi, quod totum eum librum Marcellus transcripsit, & huic operi suo inseruit. Et tamen cum in præfatione multorum Latinorum medicorum, ex quibus sua collegerit, mentionem faciat, similiterque aliquoties in operis progressu, Scribonii adeo aut eius interpretis nusquam commeminit, sed simpliciter illius libri verba eodem etiam ordine transcripta habet, ut ego aliquamdiu dubius hæserim uter ex altero sua excerpsisset. Verum ubi viderem in Galeno eadem legi Scribonii nomine præfixo quæ in eo libro continentur, plane translatitium Scribonii libellum, velut dixi, iudicaui. & hoc factum suspicor circa Valentiniani Imperatoris ætatem, inclinata iam tum re Latina. Ex ea itaque translatione Marcellus bonam partem excerpsit auctoris nomine suppresso. quod fortassis etiam ipse eius libri interpres suppressit. Et quando in re obscura non aliter quam suspicionibus & coniecturis agere possumus, addam & illud. Siburius, cuius in præfatione meminit Marcellus,

omnino

omnino Scribonius mihi legendus videretur, nisi proximo tempore vixisse, ac ciuem suum velut Ausonium & Eutropium diceret. quod de Scribonio intelligi non potest, qui sub Claudio Cæsare vixit; nisi tam inconsiderantem circa temporum & hominum rationem fuisse credamus Marcellum, ut Scribonii ætatem & patriam ignorarit, aut nisi Siburius omnino is est, qui Scribonium Latinum fecit, & Scribonii nomine reiecto suum præfixit: quem proinde Marcellus ut auctorem libri, & ciuem suum, & proximi ante se temporis agnouit, dum eius mentionem facit. Quicquid eius rei est, liber sane Scribonii ubique corruptissimus, vel ex toto ex Marcello ipso corrigi ac restitui potest.

Idem in Comment. Lib. III. *Cap.* III. *Gal. de Composit. Medicam. secundum Locos. ed. Basil. An.* CIↃ IↃXXXVII.

SVspicor Scribonium Græcè scripsisse, eaque, quæ in libello adhuc supersunt, quondam ante mille annos translata à quopiam non indocto adeo fuisse, sed qui tamen non ad plenum Græca sit assequutus. Nisi quis Asclepiadæ potius hoc crimen imputare velit, quod Latine à Scribonio scripta male intellecta verterit in Græcum. quod apud me piaculum sit credere, si modo exemplar Galeni non est corruptum.

In Lib. IV. *Cap.* VII.

NOn credo Scribonium Latine scripsisse: ut Asclepiades, unde hæc Galenus descripsit, putandus sit eius verba in Græcum transtulisse.

Ad. Lib. VII. *Cap.* III.

SCribonius sub Tiberio & Claudio Cæsaribus Latinissimo seculo Latine non scripsit, sed eius Græcum opus, vergente iam Latina lingua paulisper ad ruinam, à quopiam

translatum sub ipsam Valentiniani Imperatoris ætatem.

In Lib. IX. Cap. IV.

PAccii Antiochi compositio in Scribonii libro continetur tam longis verborum inutilium ambagibus, ut vel inde appareat libellum eum à Scribonio non esse Latine conscriptum, sed ab aliquo translatum, qui forte de suo aliqua adiecit.

MARSILIVS CAGNATVS Variar. Obseru. Lib. III. Cap. XVI.

NOn est negligenda Scribonii lectio, cum quia Galenus toties eius mentionem fecit, & plura medicamina ex eo desumserit: tum quia in Scribonio cumulatiora ea, quæ Galenus sumsit, reperiuntur.

GASPAR BARTHIVS Aduersf. Lib. XXXVI. Cap. IV.

QVi Scribonium Græce scripsisse autumant, videntur à vero eatenus excessisse, ut vel ipsius epistola ad Iulium Callistum moniti opinionem mutare debeant. Verum est, addita multa Latino scriptori, quæ æuo eius vix possquam dederit. Latine vero scriptum ipsum editum ad Callistum dedicatoria facile demonstrat.

Lib. XLIIX. Cap. XIX.

SCribonii Largi ad Iulium Callistum Epistola magna inscitia Cornelio Celso adscribitur.

Noi Reformatori dello Studio di Padoa

Hauendo veduto per fede del R. P. Vicario del S. Officio di Padoa, che nel libro intitolato Ioannis Rhodii in Scribonium Largum Emendationes, & Notæ *non si troua cosa alcuna contra la Fede Cattolica, & parimente per attestato del Segretario niente contra Prencipi, & buoni costumi; concedemo licenza che sia stampato, douendosi osseruar le leggi in questo proposito, & presentarne vna copia alla libreria publica di Venetia, & vn'altra à quella di Padoa. In quorum fidem &c.*

Dat. à 28. di Ottobre 1649.

{ PIETRO SAGREDO Proc. Ref.
{ GIROLAMO LANDO Cau. Ref.
{ BERTVCI VALIER Cau. Ref.

Aluise Querini Segretario.

Ego

EGo Fortunius Licetus Genuensis, Medicinæ Theoricæ in Lyceo Patauino Professor Primarius, perlegi Cl. Viri Ioannis Rhodii in Scribonium Largum Emendationes & Notas, cum Lexico Scriboniano eiusdem. In quibus nihil Pietati Christianæ, Principum autoritati, bonisue moribus quum deprehenderim aduersari, eas luce dignas censeo, quo Scriptor optimus, à Galeni æuo paucis notus, bono publico nostri seculi Medicis in usum reuocetur. Patauii 22. Septemb. 1649.

Visa supradicta attestatione committitur pro impressione 20. Octobris 1649. Padue. Vicarius Generalis S. Officij.

SCRI-

SCRIBONIVS LARGVS

CAIO IVLIO CALLISTO suo S.



NTER maximos quondam habitus Medicos Herophilus, Cai Iuli Calliste, fertur dixisse, medicamenta diuinum munus esse. Et id quidem non sine ratione, ut mea fert opinio. Prorsus enim quod tactus diuinus efficere potest, id præstant medicamenta usu experientiaque probata. Animaduertimus itaque sæpè inter deliberationes contentionesque medicorum autoritate præcellentium, dum quæreretur quidnam faciendum, aut qua ratione succurrendum esset ægro, quosdam humiles quidem, & alioquin ignotos, usu verò peritiores, & (quod fateri pudet) longè summotos à disciplina medicinæ, ac ne adfines quidem eius professionis, medicamento efficaci dato, protinus velut præsenti numine omni dolore periculoque liberasse ægrum. Quamobrem spernendi sunt, qui medicinam spoliare tentant usu medicamentorum, non à medendo, sed à potentia effectuque medicamentorum ita adpellatam. Probandi autem qui omni modo succurrere periclitantibus stu-

dent. Ego certè aliquoties magnum scientiæ consecutus sum titulum ex usu prosperè datorum medicamentorum, multosque ex eadem causa non mediocrem gloriam tulisse memini. Est enim hæc pars medicinæ ut maximè necessaria, ita certè antiquissima, & ob hoc primum celebrata atque illustrata. Siquidem verum est, antiquos herbis ac radicibus earum corporis vitia curasse: quia etiam tunc genus mortalium inter initia non facilè se ferro committebat. Quod etiam nunc plerique faciunt, ne dicam omnes: & nisi magna compulsi necessitate, speq; ipsius salutis non patiuntur sibi fieri, quæ sanè vix sunt toleranda. Cur ergo aliqui excludant medicinam & usum medicamentorum non inuenio, nisi ut detegant imprudentiam suam. Siue enim nullum experimentum eius generis remediorum habent, meritò accusandi sunt, quod tam negligentes in tam necessaria parte fuerint: siue experti quidem sunt eorum vtilitatem, denegant autem usum, magis culpandi sunt, qui crimine inuidentiæ flagrant. quod malum cum omnibus animantibus inuisum esse debet, tum præcipuè medicis, in quibus nisi plenus misericordiæ & humanitatis animus est, secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus diis & hominibus inuisi esse debent. Idcirco ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento medicinæ legitimè est obligatus: sed persequetur eos, quum res postulauerit, ut miles & ciuis bonus omni modo. Quia medicina non fortuna neque personis homines æstimat, verùm æqualiter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur, nullique unquam nocituram profitetur. Hippocrates conditor nostræ professionis

initia.

initia disciplinę ab iureiurando tradidit: in quo sanctum est, ne prægnanti quidem medicamentum, quo conceptum excutitur, aut detur, aut demonstretur à quoquam medico, longè præformans animos discentium ad humanitatem. Qui enim nefas existimauerit spem dubiam hominis lædere, quanto sceléstius perfectè iam nato nocere iudicabit? Magni ergo æstimauit, nomen decusque medicinæ conseruare pio sanctoq; animo quemque secundum ipsius propositum se gerentem. Scientia enim sanandi, non nocendi, est medicina. Quę nisi omni parte sua plenè incumbat in auxilia laborantium, non prętstat quam pollicetur hominibus misericordiam. Desinant ergo qui prodesse adflictis aut nolunt, aut non possunt, aliosque deterrent, negando ægris auxilia, quæ per vim medicamentorum frequenter exhibentur. Etenim quasi per gradus quosdam medicina laborantibus succurrit. Nam primum cibis ratione aptoque tempore datis tentat prodesse languentibus. Deinde, si ad hos non responderit curatio, ad medicamentorum decurrit vim, Potentiora enim hæc & efficaciora, quàm cibi. Post ubi ne ad hæc quidem cedunt difficultates aduersæ valetudinis, tunc coacta ad sectionem, vel ultimo ad ustionem deuenit. At Asclepiades maximus autor medicinæ negauit ægris danda medicamenta. Quidam enim hoc mendacio etiam pro argumento utuntur. Poteram tamen (si verum id esset) dicere: Viderit Asclepiades quid senserit: forsan non omnino in hanc partem animum intendit. Homo fuit, parum feliciter se in hoc negocio gessit. Non deterreor persona, quum rem tam manifestè prodesse videam. Nunc verò quum tam impudenter

comminiſcantur de eo, quid poſſum ultra dicere, niſi genere quodam parricidium ac ſacrilegium eos committere qui hæc dicunt? Ille enim febricitantibus, vitiiſque præcipitibus correptis, quæ ὀξέα πάθη Græci dicunt, negauit medicamenta danda: quia cibo vinoq; aptè interdum dato remediari tutiùs eos exiſtimauit. Cæterum in libro qui παρασκευαστικῶν, id eſt, præparationum inſcribitur, contendit ultimæ ſortis eſſe medicum, qui non ad ſingula quæque vitia binas ternaſúe compoſitiones, & expertas protinus paratas habeat. Vides ergo quàm non placeat Aſclepiadi uſus medicamentorum? cui, niſi plura quis ad quodque genus vitii medicamenta compoſita habeat, non videtur dignus profeſſione medicinæ. Sed iſta licentia nomine tantummodo medicorum, propter quorundam negligentiam, latius proceſſit. Rarò enim aliquis prius quàm ſe ſuoſq; tradat medico, diligenter de eo iudicat: quum interim nemo ne imaginem quidem ſuam committat pingendam, niſi probato prius artifice per quædam experimenta, atque ita electo. Habent itaque omnes pondera atque menſuras exactas, ne quid erroris in rebus non neceſſariis accidat: videlicet quia ſunt quidam qui pluris omnia quàm ſeipſos æſtimant. Itaq; ſublata eſt ſtudendi cuique neceſſitas, & non ſolum antiquos autores, per quos conſummatur profeſſio, quidam ignorant, ſed etiam comminiſci falſa de his audent. Vbi enim delectus non eſt perſonarum, ſed eodem numero malus bonuſq; habetur, quod ſine labore poteſt contingere, idemque dignitatis utilitatiſque præſtare videtur poſſe, unuſquiſque id magis ſequitur. Sic, ut quiſque volet, faciet medicinam. Quoſdam enim à peruerſo propoſito

nemo

nemo potest mouere, & sanè omnibus permisit liberum arbitrium magnitudo professionis. Multos itaque animadvertimus, unius partis sanandi scientia medici plenum nomen consecutos. Nos verò ab initio rectam viam secuti, nihil prius totius artis perceptione, quæ homini permittitur, iudicauimus: Quia ex hac omnia commoda nos consecuturos existimabamus, non mediusfidius tam ducti pecuniæ aut gloriæ cupiditate, quàm ipsius artis scientia. Magnum enim & supra hominis naturam duximus, posse aliquem tueri, & recuperare suam & uniuscuiusque bonam valetudinem. Itaque ut cæteris partibus disciplinæ, ita huic quoq; quæ per medicamenta virtutem suam exhibet, curiosè institimus: eò magis quòd percipiebamus in dies ex usu profectus eius, quos interdum supra fidem atque opinionem plurimorum exhibebamus. Sed quid ultrà opus est probare, necessarium usum esse medicamentorum? præcipue tibi, qui quia percepisti utilitatem eorum, idcirco à me compositiones quasdam petiisti. Ego autem memor humanitatis tuæ candorisque animi tui, quem omnibus quidem hominibus plenè, mihi autem etiam peculiariter præstas, non solum quas desiderasti, verum etiam si quas aliàs expertas in præsenti habui, in hunc librum contuli. Cupio enim mediusfidius qua possum tuæ in me tam perseueranti beneuolentiæ respondere, adiutus omni tempore à te, præcipuè verò his diebus. Vt primum enim potuisti, non es passus cessare tuæ erga me pietatis officium, tradendo scripta mea Latina medicinalia Deo nostro Cæsari: quorum potestatem tibi feceram, ut ipse prior legeres, simpliciterque indicares mihi quid sentires. plurimum

mum enim iudicio tuo tribuo. Tu porrò candidissimo animo & erga me beneuolentissimo diligentiam meam sub tanti nominis editione, non verbis, sed re probasti, periculumque non minus tui iudicii, quàm ego styli, propter me adisti, quo tempore diuinis manibus laudando consecrasti. Fateor itaque libenter, unicas me tibi gratias agere, quod & prius quàm rogareris consummasti amicissimo adfectu vota mea: quod contigit mihi fauore plenissimo tuo maturiorem percipere studii huius mei fructum ac voluptatem. Ignosces autem si paucæ visæ tibi fuerint compositiones, & non ad omnia vitia scriptæ. Sumus enim (ut scis) peregre: nec sequitur nos nisi necessarius admodum numerus libellorum. Postea tamen, si & tibi videbitur, ad singula quæque vitia plures compositiones colligemus. Oportet enim copiam quoque earum selectam habere. Quoniam reuera quædam quibusdam magis, & non omnes omnibus conueniunt, propter differentiam scilicet corporum. Quarum initium à capite faciemus: summum enim & primum locum hoc obtinet: dantes operam ut simplicia primò ponamus. Interdum enim hæc efficaciora sunt, quàm ex pluribus composita medicamenta. Erit autem nota denarii unius pro Græca drachma. æquè enim in libra * denarii octogintaquatuor apud nos, quot drachmæ apud Græcos incurrunt. Primum ergo ad quæ vitia compositiones exquisitæ & aptæ sint, subiecimus, & numeris notauimus, quò facilius quod quæretur inueniatur. Deinde medicamentorum, quibus compositiones constant, nomina & pondera vitiis subiunximus.

SCRI-

INDEX COMPOSITIONVM.

Com-

Ad

Em-

Em-

Ad



SCRI-

SCRIBONII LARGI

COMPOSITIONES MEDICÆ.

AD CAPITIS DOLOREM. CAP. I.

COMPOSITIO I.



D capitis dolorem, etiam in febre, primis diebus benefacit serpylli pon. quadrans, rosæ aridæ, P. quadrans. Hæc incoquuntur duobus sextarijs aceti acerrimi, donec ad dimidias perducantur. Inde sumitur cyathus, & in duobus rosæ commiscetur, frequenterque ex eo curatur caput, ubi enim concaluit quod infusum est, nisi aliud recens adiiciatur, nocet.

II. Item prodest eodem modo ruta per se vel cum hederæ baccis decocta. Polygonium quoq; & mentha multis profuit, ea ratione decocta, & infusa capiti dolenti. sphondylion, & agni semen, & platani pilulæ similiter aceto incoctæ, rosæque folia residuo aceto commixta.

III. Quum autem pluribus diebus permanserit dolor, tū omnium supradictorum oportet uncias singulas sumere, iisque admiscere lauri baccarum, castorei, nucum amararum, pulegii, sampsuci foliorum, singulorum uncias, & aceti sextarios tres, decoquere ad dimidias. Eodem modo

modo rosa admixta, non tamen frequenter, caput curare.

IV. Ad omnem capitis dolorẽ efficaciter prodest, crocomagmatis pondo sextans, aluminis fissi, vel gallæ. P. uncia. Hæc terere ex aceto & rosa vicibus adiecta oportet, usquedum mellis habeat spissitudinem: inde frontem, & utraque tempora oblinere.

V. Ad capitis dolorem, quum inueterauerit, benefacit hęc cõpositio: Myrrhæ * P. I. croci * P. II. amygdalorum amarorum * P. II. rutæ viridis *. P. III. sphondylii * P. I. panacis *. P. I. laurus baccarũ *. P. III. serpylli *. P. II. castorei * P. I. Teruntur hęc omnia aceto, & fiunt pastilli: quum opus est, diluuntur aceto & rosa, in mellis spissitudinem, atq; ita frons & tempora illinuntur.

VI. Oporret vero permanente capitis dolore, materiam quoq; detrahere ex eo per nares, vel os. Quę res etiam auriculæ, vel dentibus dolentibus prodest. Nec minus quibus subitę vertigines obversantur, quos σκοτωματικοὺς Gręci dicunt. Item comitiali morbo correptos, & caligine impeditos ex magna parte leuat. Debent autem ii omnes pridie abstinere, & superioribus diebus aquam potare.

VII. Per nares ergo purgatur caput iis rebus infusis per cornu, quod rhinenchytes vocatur: Hederę succo per se, vel betæ succo, cum exiguo flore æris, vel cyclamini succo mixto lacte aut aqua pari mensura.

IIX. Bene detrahit è naribus liquorem & hæc compositio: Salis, nitri, mellis, aceti, olei veteris, singulorum *. P. binum, cyclamini succi, σταφίδος ἀγρίας, quam herbam pedicularium, quod pediculos necat, quidam appellant, singulorum *. P. I. Hæc in unum mixta, naribus per cornum infunduntur, vel pinna longiore nares

interius

interius perfricantur. Cum satis visum fuerit fluxisse, ut reprimatur, aqua frigida nares diutius abluere pura oportet: vel ea, in qua pridie crocum adiectum maceratum fuerit.

IX. Sed si per os magis detrahere materiam visum fuerit, quia non sine tormento per nares ea deduceretur, suadebimus pyrethri radiculam commanducare, atque subinde hiantem pati fluere saliuam: vel uvam passam cum piperis albi granis totidem dabimus commanducandam, & exspuendam; æque enim & hæc deducunt pituitam. Benefacit & sinapi ex aceto tritum, & non excastratum, gargarizatum trium cyathorum mensura, admixto mellis P. quadrante: detrahit enim largiter pituitam.

X. Prodest, quum diu caput dolet, adtondere ad cutem, & radere, & diutius siccum ad relaxationem cutis fricare, & aqua calida fouere pura, vel laurum incoctam habente. Quo tempore etiam sternutamentum concitare non alienum erit medicamento, quod ex his rebus componitur: Veratri albi, castorei, struthii, quod est radix lanaria, piperis albi, singulorum ✻. P. 1. hæc contusa tenuiter forato cribro transmittuntur: quum opus fuerit, per pinnam, vel calamum scriptorium naribus sufflentur, vel specillo tincto in aquam, & excusso, tacta naribus iniiciantur. Prouocat sternutamentum etiam per se contusum, & eadem ratione iniectum veratrum album. Nigrum, siccum, & aridum sternutationem statim inuitat.

XI. Capitis dolorem quemuis veterem & intolerabilem protinus tollit, & imperpetuum remediat torpedo viva nigra, imposita eo loco qui in dolore est, donec desi-

nat

nat dolor, & obstupescat ea pars: quod quum primum senserit, remoueatur remedium, ne sensus auferatur eius partis. Plures autem parandæ sunt eius generis torpedines: quia nonnunquam vix ad duas trésve respondet curatio, id est torpor: quod signum est remediationis.

AD COMITIALEM MORBUM. CAP. II.

XII. AD comitialem morbum, quem Græci ἐπιληψίαν vocant, herbam quam iidem πολύνευρον, nos nervalem appellamus, oportet ieiunum quamplurimum viridem comesse, à prima luna ad tricesimam. Hæc eadem herba ebrio data copiosa in crapula vinum discutit, mentemque restituit.

XIII. Item hinnulei cerui coagulum intra nouem dies exceptum benefacit ad morbum comitialem. Intelligitur autem dierum numerus ex eo, quod iacent aures simul eorum primis temporibus, à nono enim die subriguntur. Oportet ergo sumere tunc coagulum, & arefacere, quo neque sol neque luna accedit, atque inde dare pueris viciæ magnitudinis globulum, ex aquæ caldę cyathis duobus: maioribus verò natu fabæ solidæ magnitudine, ex aquę caldę cyathis tribus per dies triginta. Dentur autem aquæ puræ supra medicamentum cyathi duo, aut tres. Hoc remedium qui monstrauit, dixit ad rem pertinere, occidi hinnulum cultro quo gladiator iugulatus sit.

XIV. Constat inter plures & crocodili testiculum * P.1. aut victoriati, per dies triginta ex aquæ cyathis tribus sumtum multos remediasse.

XV. Ad recentem comitialem morbum citò proficit, ad veterem tardius, thymi albi * P.III. ex aceti cyathis tribus, & mellis boni pondo uncia: ut dilutum ieiunus bibat per dies quadragintaquinque. Sed quum biberit, citatus ambulet millia passuum minimè duum.

XVI. Scio Romæ quandam honestam matronam aliquot comitiali morbo liberasse hoc medicamento: eboreæ scobis hemina, mellis Attici pondo libra, hæc in unum miscentur. Postea adiicitur, si puer fuerit qui laborat, testudinis masculæ, palumbi masculi, utrorunque ferorum, id est nuper captorum, sanguis, quantum fluxerit dum viua utraque animalia dimittantur. Sin autem puella fuerit, fœminei generis animalia sint, & eodem modo capta, sanguine effuso emittantur. Oportet autem clauum Cyprii æris acutum demittere in iugulum testudinis, & palumbi venas, quæ sub alis sunt, ære acuto incidere. Hoc medicamentum ligneo vase seruatum reponitur. Quũ opus fuerit, datur ex eo luna decrescente per continuos dies triginta: primum cochlearia tria, deinde quinque, deinde septem, deinde nouem, summum undecim: & rursus nouem, deinde septem, deinde quinque, postea tria: & iterum augetur, minuiturque numerus cochleariorum, donec dies triginta antedicti consumantur. Postea oportebit scobis eboreæ heminam per duos menses consumere vitio correptum, accipientem ex ea terna cochlearia in die, ex aquæ cyathis tribus. Hoc medicamento qui utitur, neque vinum, neque suillam gustet: præterea habeat in brachio verua eborea. Nam sunt & qui sanguinem ex vena sua missum bibant, aut de caluaria defuncti terna cochlearia sumant per dies triginta.

XVII. Item ex iecinore gladiatoris iugulati particulam aliquam nouies datam consumant. Quæque eiusdem generis sunt, extra medicinæ professionem cadunt: quamuis profuisse quibusdam visa sunt.

XIIX. Illud tamen non oportet ignorare, sanari hoc vitium, quum cognitum est, aliquibus: viros facilius mulieribus remediari: pueros, vel virgines liberari post complexum & deuirginationem.

COLLYRIA COMPOSITA LEVIA. CAP. III.

XIX. AD conturbationes & epiphoras oculorum scio multa collyria, tametsi tardè, magnos tamen effectus habere. Sed nulli collyriorum tantum tribuo, quantum lycio Indico vero per se. Hoc enim inter initia, si quis hoc collyrio inungatur protinus, id est eodem die, & dolore præsenti, & futuro tumore liberabitur. Superuacuum est autem nunc laudes eius referre, in aliis enim expertus intelliges simplicis rei vix credendos effectus.

XX. Oportet verò minimè quater quinquiesue ex interuallo inungere, deinde quum combiberint oculi ad singulas inunctiones, eaque quàm poterint sustinere calidissima, spongiis expressis vaporare eos diutius, eodemque die in balnea ducere, ita ut cum cætero corpore caput quoque, & facies calida immergatur, & foueatur, vinoque uti ut quisque assuetus est. Postero die si qua vestigia epiphoræ remanserint, inungere collyrio aliquo acriore aquato sub vespere, & rursus in balneum deducere

ducere, & vinum dare eodem modo. Fere enim uno die tollit epiphotam, & præcipuè incipientem, neque adhuc alio medicamento tactam. Sed si ea vis fuerit epiphoræ ut non cedat uno die, spectate oportebit donec impetus sedetur, & ita in balneum deducere, cæteraque facere quæ præcepimus. Idem hoc medicamentum etiam supra peruntum tardiùs quidem, sed eosdem effectus præstat, maximè in teneris corporibus, ut mulierum, & puerorum, quorum oculi nullius medicamenti vim sustinent. triduo enim aut plerumque quatriduo tollit dolorem, adiutum oui infusione, & aquæ calidæ vapore.

XXI. Item compositorum collyriorum hoc maximè probo ad recentes epiphoras, & conturbationes oculorum, tumoresque, & dolores: Aloes Indicæ * P. IIII. croci * P. II. opii * P. I. gummis * P. IIII. plantaginis succi cyathos tres. Terere oportet per se crocum diligenter, deinde cætera admiscere pridie macerata succi plantaginis cyatho: atque ita reliquis duobus cyathis admixtis, quum spissata fuerint, fingere collyria. Vtrunque autem genus medicamenti eximiè prodesse iudico, proprietate quidem quadam: sed præcipuè quod nullam in se aspritudinem habet, ut pleraque quibus fere inunguntur homines. Nam quæ ex cadmia, aut ære usto, eiusdemque generis pigmentis componuntur, quamuis curiosè terantur, naturam suam tamen amittere non possunt. Nunquam enim ut succus diluuntur, sed quum in summam subtilitatem deduci non possint, perseuerantia tamen terentium, corpora quasi puluerulenta necesse est maneant. Quorum verò partes velut configunt, certè exterius pungunt foramina prima, & tuniculam oculi, atque initiis

interdum non tam molestam futuram concitant epiphoram.

XXII. Quod nomine etiam quidem Diaglaucium dicitur, probo in initiis. Nam & hoc genere quodam ex eadem materia constat, nec ullam aspritudinem habet, quando sic componitur: croci * P. v. sarcocollæ * P. x. glaucei succi * P xx. tragacanthi * P. v. opii * P. v. Et hoc enim ego adiicio, & ita melius respondet, scilicet opium & in hoc, & in omni collyrio, medicamentoque. Verum adiicere oportet, quod ex lacte ipso siluatici papaueris capitum fit, non ex succo foliorum eius, ut pigmentarii institores eius rei compendii causa faciunt. Illud enim cum magno labore exiguum conficitur, hoc sine molestia & abundanter teritur. Ante omnia crocum aqua pluuiatili, deinde adiicitur sarcocolla, glaucium, opium, tragacanthum, prius omnia seorsum macerata non multa eius generis aqua: ut quamprimum, id est (si potest fieri) eadem die fingantur collyria. solet enim diu neglectum mortario inarescere. His uti primis diebus collyriis, non cæteris auxiliis prout res postulat, abstinendo dico sanguinis detractione, meliusque eam cæteris proficere adfirmo.

XXIII. Quū verò pluribus quis diebus vexatus fuerit epiphora cum perseuerantia tumoris, & pituita ipso calore oculorum glutinosior visa fuerit (quod fere sexto septimoque die accidere solet) tum proderunt & ea, quorum genus superius improbauimus, composita ex rebus metallicis. Facilius enim iam patiuntur oculi (si modò exulcerati non fuerint) iniuriam. Quorum præcipuè hoc mihi placet, quod à colore φαιὸν dicitur. Accipit au-

autem hæc: æris uſti * P. XII. cadmiæ uſtæ * P. XII. ſtibii cocti * P. XII. acaciæ chyliſmatis * P. VI. aloes * P. III. opii * P. II. croci * P. III. caſtorei victoriati P. myrrhæ, licii, idem ſcilicet ponderis, commis * P. decem & octo aqua pluuiatili quæ ſunt durata diu, teruntur donec leuiſſima fiant: poſtea cætera alio mortario ſingula trita admiſcentur: dum tollendum eſt, commi adiicitur. Hoc quidem etiam in initiis utuntur, cum oui aquato liquore per ſe, vel cum collyrio, quod à cineteo colore σποδιακὸν appellatur.

XXIV. Collyrium ſpodiacum à quibuſdam cinereum dicitur, componitur autem ex his: cadmiæ, botryitidos uſtæ ſuper teſtam donec incandeſcat, & vino Falerno extinctæ * pond. XL. cretæ Samiæ, quam vocant aſtera, * P. LXXX ſtibii cocti * P. XX. opii * P. X. commis Alexandrini. * P. XX. Teruntur hęc omnia aqua pluuiatili, commi ultimum adiicitur: ante hoc, quum cętera leuia ſunt facta, opium miſcetur maceratum pridie aqua. Facit hoc per ſe etiam initiò quum tenuis abundanſque fluit lachryma, & puſtulę moleſtę ſunt: aut quũ prima tunica oculi exeſa eſt, aliaue exulcerata. Quum purum ulcus eſt, diluitur fere oui albore, quod eſt tenuiſſimum.

XXV. Ad ſordida ulcera oculorum, cruſtaſque habentia, quas ἰχῶρας vocant, item carbunculos, quos ἄνθρακας dicunt, facit benè & per ſe mel Atticum pyxide Cyprii æris conditum, & repoſitum menſibus duobus, nec minus. quantò enim diutius remanet, efficacius fit.

XXVI. Sed præcipuè hoc collyrium, quod quidam Athenippum, quidam Diaſmyrnes, quidam εὐῶδες vocant, quia boni odoris eſt. Sed præcipuè hoc, quod etiam ad

pu-

pustulas, papulasque, & suppurationes oculorum facit, & ad cicatrices non veteres, & ad palpebrarum recentem, aut in corporibus tenuioribus aspritudinem. Oportet autem eo ad sordida ulcera diluto cum oui albo, id est aquatissimo uti: deinde quum lachrymę fluere desierint, cinereo superinungere. Item ad pustulas ex ouo tritum facit. Ad papulas verò, & ad dolores cum rubore, & distentione oculi sicca, cum lacte muliebri & ex aqua. Aut ad cicatrices recentes extenuandas, & palpebrarum aspritudinem tollendam, subiecto scilicet specillo, aut inuersa palpebra, si quis eo utatur. Componitur autem ex his: Pompholygis lotæ * P. VIII. æris usti * P. VIII. croci * P. IIII. myrrhæ * P. III. nardi * P. sex semis & victoriati, lapidis hæmatitis. * Pon. duum & victoriati, piperis albi grana decem, opii * P. I aut victoriati, commis * P. X. teritur vino Chio.

XXVII. Collyrium Psittacinum, à colore ita dictũ, facit ad epiphoras, quæ cum tenui & acri lachryma consistunt. Item ad ustiones & solutas cicatrices, & vastum tumorem, quem, quia à loco interdum videtur propellere oculum, πρόπτωσιν vocant, cum oui albo quod est tenue. Sed præcipuè facit, quũ quasi sanguine suffusi sunt oculi, & ob id nullum nisi leuissimum collyrium patiuntur. Recipit autem hæc: Croci * P. IIII. cadmię * P. IIII. stibis * P. IIII. opii * P. II. commis * P. II. amyli & recentis & dulcissimi * P. IIII. Eodem modo quę scripta sunt, in mortario debent teri ex aqua pluuiali. Amylum autem, quum iam fingendum erit collyrium, adiicietur. Interdum & hoc superinungantur, qui prius Athenippo curati sunt. His ferę collyriis leuibus omnia, quę circa oculos

cum

cum tumore & dolore fiunt, remediamus.

COLLYRIA ACRIA. CAP. IV.

XXIIX. Acrioribus autem iis ad cicatrices extenuandas, & palpebras aſperas: quod quia ex quatuor rebus ut quadriga equis conſtat, & celeres effectus habet, ἅρμα dicitur. Recipit autem hęc: ęris uſti * P. IIII. thuris arboris corticis * P. IIII. ammoniaci guttę * P. IIII. commis * pond. IIII. Teruntur ex aqua pluuiali.

XXIX. Hoc etiam ſuperunctum, ad puerorum epiphoras, & qui non ſufferunt inunctionem facit: ut huiuſmodi medicamenta, quę ἀπύρετα vocant. Croci Siculi pondo uncia, commis pondo uncia: hęc aqua teruntur, fiunt collyria.

XXX. Eſt & hoc medicamentum ſatis efficax, quo ita oportet palpebras perungere, ne quid intra oculum fluat. Recipit autem hęc: Croci Siculi * P. III. crocomagmatis * P. XII. thuris * P. III. aluminis rotundi * P. VI. opii * P. I. myrrhæ * P. II. commis * P. III. Vino Falerno teruntur: quum leuia facta ſunt, & craſſitudinem habent mellis ſpiſſi, adiicitur paſſi Cretici P. ſextans: reponitur pyxide ſtagnea, ſi paſſum adiectum non erit, collyrium erit.

XXXI. Benefacit & hoc medicamentum, quo Auguſtus uſus eſt, et recipit hęc: Aluminis fiſſi * P. XL. thuris candidi * P. X. aloes * P. XV. croci * P. XV. opii * P. II. gallę * P. X. roſę foliorum aridorum * P. X. plantaginis ſucci vel ſeminis * P. X. Vino Falerno teruntur, quum

leuia

leuia facta sunt, & spissitudinem mellis habent. Adiicitur passi sextarius, aut hemina, aut rursus commiscetur. Reponitur vase stagneo, vel argenteo.

XXXII. Collyrium psoricum ad caliginem, & ad aspritudinem oculorum, siccamque perturbationem sine tumore, quam ξηροφθαλμίαν appellant. Facit hoc collyrium benè quod psoricon dicitur. Habet autem hęc: Croci * pon. XII. psorici * P. XXIIII. psimmithii * P. IIII. opii idem, piperis albi idem, commis * pond. VI. aqua pluuiali commiscentur, teruntur.

XXXIII. Stratioticum collyrium ad aspritudinem, & caliginem. Recipit autem hęc: psimmithii * P. VI. piperis albi * P. I. omphacii * P. II. cadmię * P. III. opobalsami * P. II. opii * P. I. commis * P. II. teruntur aqua pluuiali. Collyrium hoc melius superiori ad caliginem facit.

XXXIV. Stacton, quod vocant, ad eadem. Ferè autem mulieribus prodest. Habet hęc: cadmię * P. XII. stibis * P. VI. piperis albi P. II. mysis usti donec puniceum fiat * P. II. æruginis rasę * P. I. & victoriati, æris floris idem, commis * P. V. aqua pluuiali teritur.

XXXV. Collyrium acre ad extenuandas cicatrices, & quamuis veteres, caliginemque & aspritudinem oculorum, quod semel inunctum plurium dierum effectum præstat. Oportet autem eo aquato uti: diu enim tenet: ammoniaci guttæ P. libram, æruginis Pon. libram, commis P. quadrantem: pluuiali aqua teritur ærugo: postea cætera adiunguntur macerata aqua.

XXXVI. Collyrium quod propriè facit ad aspritudinem palpebrarum & callositatem. Oportet subiicere spe-

ſpecillum, aut inuertere palpebram: æris uſti * P. XXIV. æruginis * pon. VI. croci * P. x. myrrhæ * P I. nardi ſpicæ * pond. I. caſiæ rufæ fiſtularum victoriati P. piperis albi grana XLV. commis * pon. nouem, vino Chio teruntur.

XXXVII. Medicamentum liquidum ad palpebrarum veterrimam aſpritudinem, & excreſcentem carnem, σύκωσιν quam vocant: Item callum duriſſimum. Hygram appellant, quia eſt liquidum medicamentum: carnem ex palpebris tollit ſine magno dolore. Recipit hæc: Myrrhæ, thuris, croci, ſingulorum * pond. III. myſios * pon. III. chalcitis * P. VI. Hæc teruntur diligenter aceto acri: ubi leuia facta ſunt, & habent ſpiſſitudinem paſſi, miſcetur eis mellis Attici P. libra. Deinde in patella æris Cyprii ſuper carbones poſita inferueſcit, donec mellis habeat non nimium liquidam ſpiſſitudinem: atque ita reponitur pyxide æris Cyprii. Quum opus fuerit, inuertitur palpebra: deinde hoc medicamento ſuffricatur curioſè ad delacrymationem, id eſt ubi deſierit mordere medicamen. Rurſus inuertere oportet palpebram, atque ita pollice impreſſo membranas innatantes abducere, quę facilè ſubſequuntur. Poſt hęc cinereo ex aqua inungendi erunt craſſiore. Hoc inunctum multorum annorum callos, & aſpritudines palpebrarum deſperatas à quibuſdam oculariorum paucis diebus tollit.

XXXIIX. Hygra ad ſuffuſiones oculorum, quas Græci ὑποχύματα dicunt, medicamentum liquidum. Fœniculi ſucci * P. III. opobalſami * Pond. III. mellis Attici * pond. III. olei veteris * p. III. hyęnę fellis * pond. I. euphorbii * P. I. Hoc, oleo diluitur, & ita commiſcetur

tur cæteris. Aquato uti oportebit hoc medicamento. est enim acerrimum, & undique humores trahit. Quamobrem non sunt inungendi, qui capitis dolorem aut grauitatem habent. Item ante biduum aut triduum ut aquam bibant, quos destinauerimus eo ungere. Quanquam melius facient etiam, si perseueranter aquam potauerint: vitio enim molestissimo facilius inter initia carebunt. Non præterit me, habere te prudentes ocularios, quibus si nomina dixeris collyriorum in hoc libro scriptorum, contendant forsan se quoque habere eadem composita: sed si pondera, aut effectus comparare voles, longè diuersos inuenies. Ego enim ipse eodem nomine multa composita, non iisdem ponderibus & rebus, interdum habeo: sed his maximè probatis utor. Nec utique adfirmo non posse & alios eadem habere: nam & ipse ab aliis accepi, sed rarò. Scio quosdam ocularios simpliciter tradentes compositiones, meque multum elaborasse, ut veras & incorruptas acciperem, conscius sum mihi. Neque illud rursus dico, nouas & non aliquibus notas in hoc libro congestum compositiones, verum etiam quasdam diuulgatas, & (ut ita dicam) publicatas. Eiusmodi enim, quia efficaces sunt, etiam pluribus in notitiam veniunt.

AD AVRIUM DOLOREM. CAP. V.

XXXIX. AD auriculæ & tumorem, & dolorem sine ulcere prodest herbę urceolaris, aut cucurbitæ ramentorum succus tepens per strigilem in foramen auris dolentis infusus: item bestiolæ multorum

pedum

pedum (quæ tactæ conduplicant ſe in orbem pilulæ rotundiſſimæ ſimilem, κατοικιδίους ὄνους aut πολύποδας Græci hoc genus animalium vocant) oleo domeſtico complures inferuefactæ vaſe ferreo, benefaciunt. Prodeſt & gliris pinguis, & gallinæ adeps, & medulla bubula, liquefacta, tepenſque infuſa.

XL. Sed præcipuè picis flos, quod πισσελαίον appellant, cum oleo communi mixtum, ita ut tertia pars ſit olei. Nam & dolores ſedat, & ferè non patitur ſuppurationem fieri. Et ſi facta fuerit, eadem res perſanat. Ad ſummam, ego ipſe diu vexatus ab aure, quum multis fruſtra uſus eſſem medicamentis, ab hoc ſum perſanatus, & alios complures ſanaui. Florem picis autem appello, quod excipitur, dum ea coquitur, lana ſuperpoſita eius vapori. Hoc etiam grauitatem odoris protinus tollit.

XLI. Item benefacit hoc medicamentum ad tumorem, & exulcerationem aurium: aceti acris ſextarii duo, incoquuntur mala granata, quibus coriarii utuntur; quia ſemper valida ſunt, nec unquam matureſcunt, ῥοιὰς ὀξείας Græci dicunt, donec madida fiant. Tunc hæc adiiciuntur & admiſcentur. Aluminis ſiſſi uncia, acaciæ ſucci pon. quadrans. Reponitur medicamentum ampulla vitrea. Quum opus eſt, ad tumorem quidem calidum per ſtrigilem infunditur: deinde foramen ſummum lana ſuccida regitur. Ad ulcus autem frigidum per eiuſdem generis lanam & auriſcalpium inicitur.

XLII. Si caro excreuerit in foramine auris, compeſcitur ſine dolore aut ferro hoc paſtillo: Aluminis ſiſſi pon. triens, æruginis pon. triens, miſyos uſti pon. triens, rubricæ Sinopidis pon. triens, commis P. ſextans. Terun-

tur priora ex aceto acri, donec quasi quũ collyrium componitur leuia fiant. Vltimum commi adiicitur: & fiunt pastilli, qui ad omnia ulcera faciunt, aqua diluti, quum aut compescenda sint, aut cicatricem debeant ducere. Sed aquatioribus oportet uti, quum cicatrix est cludenda. Benefaciunt & ad exulceratas nares qualibet ex causa, & grauiter olentes.

AD PAROTIDAS. CAP. VI.

XLIII. AD parotidas conuenit noctuę cerebellum butyro mixtum. discutit enim ferè eas sine dolore & molestia. Oportet autem aqua marina feruenti, nouis spongiis demissis, & per linteum intortum utrisque expressis vaporare parotidem, atque ita oblinere hoc medicamento, superque tegere lana sulphurata totam maxillam.

XLIV. Item benè discutit parotidas iris Illyrica contusa, cocta ex passo more farinæ hordeaceæ, calda bis terue imposita.

XLV. Discutit & hoc medicamentum parotidas, antequam suppurauerunt: Spumæ argenteæ pondo duo, cerussæ. P. libra, salis ammoniaci pon. libra, æris floris pond. dodrans, aceti sextarius, olei veteris sextarii duo & dimidium. Spumam & cerussam, salem per se & cum aceto terere oportet mortario, deinde oleo admixto traiicere in cacabum amplum, ne extra fundatur, & efferuescat: efferuescit enim valde. Quum hæc super ignem posita habuerint emplastri temperaturam mollis, deponere oportebit cacabum: quum feruere desierit, paulatim

latim aſpergere æris florem, & mouere ſpatha medicamentum, ne extrà fundatur: & rurſus coquere, donec habeat emplaſtri ſpiſſitudinem ſtricti.

AD SANGVINIS ERVPTIONEM DE NARIBVS. CAP. VII.

XLVI. ERumpit è naribus ſanguis, qui quum abundanter fluxit, niſi celerius ſupprimatur, periculum adfert. Proderit ergo aqua frigida vel poſca ſubinde aſpergere totam faciem, vel ſpongia refrigerare, acetum acre infundere in aurem, cuius è regione ſanguis fluit: aut in utranque, ſi ex utraque ſanguis emanauerit: gypſo totam faciem cum fronte, & maximè nares craſsè oblinire prodeſt: & caput frigida aqua copiosè, ſuperpoſito aliquo tegumento, perfundere, vel cucurbitam occipitio adfigere. Iniicere autem intus narem aut nares oportebit cochleæ viuę carnem per ſe, aut cum thuris polline tritam: vel herbam quę, quia multa eſt, & ubiq; naſcitur, πολύγονον appellatur. Idem trita facit & λυσιμάχιον herba eodem genere. Proderit & ſpongię particulam pręſectam, aptè forcipe ad amplitudinem & patorem narium figuratam iniicere paulò preſſius ex aceto per ſe. Interdum aſpergenda ei galla erit, vel chalcitis curiosè trita, vel utraque in unum æquis ponderibus mixta. melius enim facit.

XLVII. Item bene ſupprimit & hoc medicamentum: Mali corticis, quo coriarii utuntur, P. quadrans, aluminis Ægyptii P. ſextans, chalcitis P. uncia. Hoc tritum per ſuccidam lanam aſperſum medicamentum iniicere

licere oportebit. Facit autem etiam ad omnem ex qualibet corporis parte, seu vulneris sanguinisq; eruptionem: quoniam interdum ita (ut diximus) minus curati, præfocati videntur. Et maximè quum utraq; obturata spissè necessariò sunt foramina narium, qua spirandi facultas eripitur, non alienum est scire qua ratione utrunq; præstari possit, ut neque spiratio interpelletur, neque remedium efficacissimum (quod per oppilationem narium efficitur) excludatur. Oportet ergo sumere pinnam anseris quam maximam, vel calami scriptorii fistulam modicè plenam: deinde aptare ad longitudinem nasi, atque ita præcidere utraque parte ut perforata sit, inuoluereq; ex fasciola tenui linrea quasi insita explere circuitum eius, donec quum videatur pator narium cuneatione quadam recipere posse fistulam, atque ita ut est circumuolutā mergere aceto acri & iniicere, interdum per se, vel asperso super acetum atro libuerit ante dictorum medicamentorum. Hoc autem remedio magis uti, quum per utrasque nares sanguis abundauit.

AD VLCERA IN NARIBVS. CAP. IIX.

XLIIX. AD ulcera in naribus, plumbi stercus, quod scoriam dicunt, ex vino & murteo oleo vicibus adiecto terere oportet, donec spissum fiat, & ita per pinnam nares obteguntur.

XLIX. Facit & hoc medicamentum bene. Pompholygis * pond. IIII. cerussæ * P. XII. hyssopi * P. trium. Vino Falerno & rosa vicibus adiecta teritur, donec mellis habeat temperaturam.

AD POLYPOS. CAP. IX.

L. AD grauem odorem narium, ὄζαιναν Græci hoc vitium vocant: æruginis pond. quadrantem, aut ſquamæ æris P. quadrantem, aut utranque rerum ponderis ſeſcunciæ in mellis deſpumati P. libra decoquere oportebit, & eo uti liquido per pinnam.

LI. Ad polypos, miſy uſtum, chalcitis uſta, æris flos, uſtum ſori, æris ſquama tuſa, cribrata, ſi eo medicamento per pinnam ſæpius nares tactæ, eiuſmodi vitia attenuata, cotidie emendantur: quũ ſint à cerebro, paribus ponderibus ſicca benefaciunt.

LII. Sed quia plerunque vexantur nares grauedine, quę tumore earum efficitur, non alienum eſt te eius quoque remedia ſcire. Prodeſt igitur quies unius diei, & ab omni re abſtinentia. Perungendæ nares erunt bitumine liquido, aut myrrha ſtacte, vel pice liquida. Poſtero die paſtillus iſte nocte ſuper cibum dandus eſt, & ſi opus fuerit, per triduum continuum eodem tempore. Recipit autem hæc: Apii ſeminis pon. trientem, aneſi P. quadrantem, alterci ſeminis, quod ὑοσκύαμον dicitur, P. trientem, opii pond. unciam. Fiunt paſtilli ponderis victoriati: aliis parte tertia detracta dantur cum aquæ cyathis tribus. Faciunt autem & ad oculorum epiphoras, & ſtomachi nauſeam, & deiectiunculas, & ad omnem fluorem.

AD DENTIVM DOLOREM. CAP. X.

LIII. AD dentium dolorem quamuis plurimi dicant forcipes remedium esse, multa tamen citra hanc necessitatem scio profuisse. Itaq; quum etiam exesus est aliqua ex parte, tum non suadeo protinus tollendum, sed excidendum scalpro medicinali qua cauatus est. quod sine ullo fit dolore: reliqua enim solida pars eius, & speciem, & usum dentis præstabit. Sed quum dolor urgebit, variè sedandus est, partim collutione quorundam, partim commanducatione, nonnunquam suffitione, aut impositione aliquorum. Prodest colluere ei frequenter radice herbæ quinquefoliæ incoctæ in vino: item herba urceolari, & cupressi baccis aqua incoctis. Alterci quoque radix, aut eiusdem semen linteolo spisso illigatum, & aqua sæpius inferuefactum, denti subinde adpositum. Item leuat æquè dolorem dentium portulaca, commanducata ab ea parte qua non dolebunt, ut succus traiectus contineatur pusillo diutius: & solani succus tepens benefacit gargarizatus.

LIV. Suffire autem oportet ore aperto alterci semine carbonibus asperso, subinde os colluere aqua calida. interdum enim quasi vermiculi quidam eiiciuntur. Leuat dolorem & bitumen suffitum.

LV. Item commanducare proderit herbam rhododaphnen, & saliuam dolentibus traiicere, ac pusillo diutius continere, & ita hiantem pati saliuam decurrere. Item mentastrum, vel radicem κοτυληδὼν, quæ herba similia folia cymbalis habet, nasciturque fere in parieti-

bus humidis. Pyrethri quoque radix commanducata multorum leuauit dolorem. Nec minus alumen fissum linteolo spisso circundatum, & ita dolenti pressum diutius continere prodest.

L VI. Imponere ipsi verò denti toti oportet hoc medicamentum quasi emplastrum: Peucedani succi ✳ Pon. III. opopanacis ✳ P. I. thuris ✳ pond. duum, uuæ passæ sine granis ✳ P. I. Hæc per se contundi iubebis, deinde cætera seorsum trita commisceri in unum. Vbi fuerit dolor, auriscalpium lana molli inuoluitur, deinde tingitur feruentissimo oleo, atque ita denti primum, deinde proximis gingiuis superponitur bis terue, donec hebetescat ex aliqua parte dolor: post hoc, medicamento dens cooperitur. Si repetierit, aut permanserit nihilominus aliquis dolor, super medicamentum auriscalpium cum lana ex oleo candenti eodem modo imponere sæpius oportebit, id est donec dolor tollatur.

L VII. Sed si quando mouentur dentes ex perfrictione, confirmandi erunt plurima gargarizatione lactis asinini, aut vini Marsici ad tertias decocti, in quo lapathi radices coniici debebunt, ut unà decoquantur. Stringit etiam dentes alumen, quo infectores utuntur, ex melle Attico, ita ut duæ partes sint mellis, tertia aluminis. Hæc misceri oportet mortario, deinde patella fictili feruefacere ut spissentur: atque ita recondere quolibet vase æreo, donec hoc medicamentum primò austerè, & nimis perstringere dentes, postea remissiùs videbitur.

L IIX. Item proderit motis dentibus hoc medicamentum: Aceti acerrimi sextarius unus semis, cedriæ veræ, ne habeat picis aliquam mixturam, hemina, aluminis

fi ſſi pond triens. Teritur alumen cum aceto, miſcetur deinde cedriæ, & unà omnia vaſe æreo coquuntur, teſta pingui mota, donec in mellis ſpiſſitudinem temperati medicamentum redigatur. Hoc medicamento ſi quis ter in menſe dentes fricuerit, dolorem eorum non experietur.

DENTIFRICII COMPOSITIONES.

CAP. XI.

LIX. Dentifricium quod ſplendidos facit dentes, & confirmat: Farinæ hordeaceæ ſextarium conſpergere oportet aceto cum melle mixto, & ſubigere diutius: atque ita in globulos diuidere ſex. Quibus dilatatis admiſceri ſalis foſſicii ſemunciam, deinde furno coquere, donec in carbonem redigantur, tunc terere oportebit eos globulos, & admiſcere ſpicæ nardi quod ſatis videbitur.

LX. Ad dolorem faciundum hoc Octauia Augusti ſoror uſa eſt: ad dentium dolorem, & confirmationem benefacit radicis edulis cortex ſole areſacta, & contuſa, cribrata. Item vitrum candidum, quod ſimile cryſtallo eſt, diligenter tritum, admixta ſpica. Vtuntur plerique etiam huiuſmodi dentificio: herbam urceolarem legunt quũ iam in ſemine eſt quamplurimam cum radice: deinde lotam uno die ſiccant: poſtridie recenti muria dura macerant: tertio die expreſſam olla noua componunt, ſubinde ſalis foſſicii quaſi tabulata interponunt: atque ita percoquunt fornace balneariorum, donec in carbonem redigantur. Poſtea trita ad tertias admiſcent

ſpicæ nardi quod ſatis eſt. Hoc cum eo quod candidos facit dentes, tum etiam confirmat. Auguſtam conſtat uſam. Nam Meſſalina dei noſtri Cæſaris hoc utitur, cornorum cerui uſtorum in ollam nouam ad cinerem redactorum ſextario uno, maſtiches Chiæ pondo uncia, ſalis ammoniaci pondo ſeſcuncia.

AD FLVOREM GINGIVARVM. CAP. XII.

LXI. Solent gingiuæ quorundam fluore infeſtari, quas prægnantes vocant. Proſunt eis lentiſci folia arida contuſa, & cribrata perforato cribro: facit & cinis eiuſdem lentiſci foliorum ex aqua eiuſdem decocti. Compoſitum autem hoc medicamentum prodeſt, quod & ad omnia ulcera quæ in ore fiunt, utile eſt, ἀνθηρὰ à Græcis appellatur. Recipit hæc: Aluminis ſiſſi * P. IIII. myrrhæ * P. I. croci * P. II. cypiri, id eſt iunci radicis * P. II. gallæ * P. I. roſæ lutei floris * Pond. I. ſandaracæ * P. III. His omnibus rebus tunſis cretis, arido medicamento uti oportet per pinnam etiam ad παρυλίδας & ἀποκυλίδας, id eſt ubi ex tranſuerſo gingiua ſuppurauit: aut tonſillarum tumorem magnum, ut digito preſſius fricentur, vel ubi ſuper extremum molarem increuerit gingiuæ.

AD CANCRVM IN ORE. CAP. XIII.

LXII. Eſt & moleſtum interdum quũ cancer os corripit, quod initijs neglectum, breui ſpatio

temporis mortis causa est. Oportet ergo, quumprimum visum fuerit, antequam latius serpat, faucesque o ccupet, misy usto quamplurimo cum melle uti sæpius: deinde colluere aqua oleastri decocti subinde, aut corticis mali granati.

LXIII. Medicamentum Andronis prodest in omni parte corporis facto cancro. Recipit autem hæc: Mali granati corticis * P. x. terræ mali * P. IX. aloes * Pon. IIII. myrrhæ * P. II. gallæ * P. VIII. aluminis fissi * P. III. æris floris * P. duum. Teruntur & cribrantur sicca curiosè: deinde admiscetur passum Creticum dum habeat spissitudinem mellis: quum opus est, vino austero sumendum medicamentum est: vitro reponitur, diluitur. Facit hoc medicamentum ad carbunculos, & ad ignem sacrum, & ad Zonam, quam Græci ἕρπητα dicunt.

AD FAVCIVM VVAEQVE TVMOREM. CAP. XIV.

LXIV. AD faucium uvæque tumorem stomatice hac ferè utuntur, quia nullam aspritudinem habet, & satis efficax est. Vuæ Amineæ acerbæ quumprimum granum incipiet perlucere, succi sextarios quatuor, mellis Attici sextarium: commisceto in unum, atque in æreo vase coquito, subinde mouens, donec mellis spissitudinem habeat.

LXV. Altera eiusdem utor stomatice, quum diutius vexatæ partes antedictæ sunt: Aluminis fissi * P. duum, gallæ contusæ * P. duum, omphacii aridi * pondo. I. croci * P. I. passi Cretici sextarius unus. Hoc decoquitur

vaso

vaso fictili ad dimidias, & ita cætera diligenter trita admiscentur. Vtrumque autem medicamentum stagneo reponendum est vaso.

AD SVPPVRATIONEM FAVCIVM. CAP. XV.

LXVI. VBi verò suppuratio faucium suspecta est, diutius permanente earum tumore, & interdum febriculis non sine horrore intercurrentibus, oportebit gargarizare quidem aqua mulsa crebrius, furfuribus siligineis decocta, vel passo ad dimidias decocto benè caldo, uti ore & faucibus diutius contineatur, vel ea aqua, in qua ficus arida pinguis erit decocta: perungere autem fauces hoc medicamento, quàm tactus sustinere poterit pusillo pressius: Mellis optimi heminam, resinæ terebinthinæ * P.duum, rosæ cyathos duos, resinam cum rosa in duplici vase, uti solent unguentarii, liquefacere oportet: deinde admiscere ei mel, & coquere donec spissum fiat medicamentum. Hoc etiam, quum eruperit suppuratio, uti oportet: expurgat enim & explet idem.

AD ANGINAM. CAP. XVI.

LXVII. AD anginam prodest & sanguinis detractio, cucurbitarum admissio, cæteraque auxilia quibus medici efficacius utuntur. Medicamenta autem simplicia quidem hæc faciunt: laser Cyrenaicum, si poterit inueniri: sin minus, Syriacum aqua dilutum, crassius per pinnam faucibus adhibitum. Item euphorbium

bium aqua dilutum.

LXIIX. Compositorum autem medicamentorum hæc sunt apta. Fellis taurini, salis, aceti, mellis, olei veteris, æquas partes in unum miscere oportet, & quum opus fuerit, pinna perfricare fauces diutius.

LXIX. Item benefacit git frictum * P. duum, pyrethri * P. I. sagapeni victoriati pondus, melle miscentur hæc in unum trita.

LXX. Facit bene & hoc medicamentum: Fellis taurini * P. II. elaterii, qui est succus cucumeris siluatici * P. I. cachryos animati * pond. I. tritum melle admixto reponitur. Quum opus est, dilutum aqua tepida sumetur, & fauces perungentur, coguntur que inde quamplurimum deuorare. Soluit enim ventrem, & ita vehementissimè prodest. Item hoc medicamentum vehementissimè prodest: multos enim à summo discrimine mortis liberauit. Benefacit hirundinum pullorum cineris pondo quadrans, hyssopi pondo sextans, nitri P. uncia, piperis P. semuncia, laseris pondo semuncia: his tritis cretis, mellis Attici quod satis erit admiscetur. Et hoc autem cæteris medicamentis sæpius fauces, & pressius fricare oportet. Multis & hoc profuit medicamentum, quod est sine dubio efficacius & vehementius: costi, apii, anesi, schœni, casiæ rufæ, singulorum * P. binum, git * Pon I. amomi victoriati P. unius, Zeæ, quod est semen * P. duum, aluminis fiss. semuncia, gallæ mediæ magnitudinis numero v. croci * P. duum, crocomagmatis victoriati pond. myrrhæ victoriati P. Aristolochiæ Creticæ * P. IIII. cinnami * P. III. hirundinum siluestrium pullorum cineris P. uncia, nardi spicæ victoriati pondo. Hæc omnia siue contusa,

ſiue creta diligenter melle Attico deſpumato comprehendantur. Quum autem opus fuerit, adiicietur quod ſatis erit eiuſdem mellis. Hoc Augusta ſemper compoſitum habuit.

AD VVAE TVMOREM ET DOLOREM.

CAP. XVII.

LXXI. Vam ſupprimit diu iacentem ſal ammoniacum, galla contuſa, æquis ponderibus. Eadem ratione aluminis fiſſi * P. IIII. piperis albi * P. II quibus in unum mixtis cocleario ter tacta reſilit. Item herbæ cyclamini ſucco per cochlearium ter die tacta, ac per triduum, non ſolum reſilit ac fit minima, ſed etiam rarò valde moleſtat. Item ad uvæ tumorem & tonſillarum ſiccum & efficax medicamentum: gallæ tuſæ. p. uncia, æris flos pond. ſemuncia, menarum, ſine ouis quæ ſunt, ſalſarum capita decem. Hæc comburuntur, & ita cæteris admiſcentur cineribus, & poſtea nihilominus in unum diutius teruntur. Oportet autem digito humido tangere medicamentum, & ſic uvã ab imo rectam diutius ſupprimere ſurſum verſum. Item aliud efficacius ad uvam diu iacentem: cyperi ſiccatæ bene P. quadrans, myrrhæ ℈. S. croci ſiccati antè ℈. I. ſandaracæ * pond. I. aluminis fiſſi ℈. S. æris uſti ℈. S. Hæc omnia intunduntur, cribrantur, ac digito melle mixto medicamentum ſumitur, & ita uva leuatur, ac tonſillæ preſſius fricantur per triduum, aut ſi voles, digito mundo ſine melle curabis.

AD TVMOREM ET RAVCITATEM ARTERIAE, ET VOCIS ABSCISIONEM. CAP. XIIX.

LXXII. AD arteriam exasperatam simplicia quidem hęc faciunt: commis Alexandrina vel tragacanthum per se sub lingua retentum. Compositio autem hęc est.

Deest Compositio.

LXXIII. Ad tumorem arterię, papaueris siluatici iam maturi, viridis tamen adhuc, capita quamplurima vase fictili coniiciuntur, aquaque superfunduntur, ut supernatet duobus tribus ve digitis. Hęc ubi triduo macerata fuerint, eodem vase coquuntur donec demadescant, postea exprimuntur capita, omnisq; aquę percolatę prius diligenter mensura capitur, ad cuius modum mellis Attici quarta pars miscetur: deinde per duplex vas coquitur, donec mellis habeat spissitudinem. Hoc medicamentum ad arterię tumorem, & ad tussim facit.

LXXIV. Altera arteriace ad fluorem & raucitatem arterię. Item ex ea ad tussim, & abscissum sonum vocis. Tragacanthi * P. VI. commis Alexandrinę * Pond. V. myrrhę * P. I. thuris pond. II. croci * P. I. piperis albi grana XX. cariotarum recentium trium pulpas medias, detracta exteriore cute, interioribusque venis, vel uvę passę nouę & incorruptę, purgatis interioribus granis P. VIII. commis & tragacanthum passo Cretico uno die & una nocte macerari oportet, & postero die pila & pilo mundo.

do contundere, & cætera trita mortario curiosè admiscere: inde dare fabæ magnitudinem, globulum sub lingua tenere deuorantem quoad liquefactum fuerit. Hoc medicamentum, pipere detracto, & ad tumorem arteriæ facit. Seruandum autem pyxide buxea.

LXXV. Arteriace qua melior non est, refertur autem ab Asclepiade nostro: facit ad omnia superius dicta efficacius, & quicquid in arteria vitii est. Constat ex his: myrrhæ optimæ pinguis * P. XXIIII. tragacanthi candidi * P. XXVIII. glycyrrhizæ radicis * P. XVIII. resinæ terebinthinæ veræ * pond. XVIII. tragacanthum sicut est contundere, & per cribrum tenuibus foraminibus eiicere oportet: deinde myrrham tritam seorsum admiscere, & rursus utraque in unum diu terere, atque ita in pilam coniicere, & ibi quum concaluerint ictu pili terebinthinam paulatim miscere, donec omnium unitas fiat. Postea glycyrrhizam contusam & cribratam, mortarioque nihilominus tritam sensim aspergere oportet. Vbi hæc bene mixta fuerint, dum calet medicamentum, plures accedant, & pilulas faciant magnitudinis fabæ. Fit enim durissima hæc arteriace, & hoc ipso præcedit cæteras: quia linguæ subiecta non facilè soluitur, & ita diutius exhibet suum effectum.

AD SVSPIRIVM. CAP. XIX.

LXXVI. AD suspirium faciunt bene inter simplicia quidem acetum scillites, quod vocant, cochleario ter quaterue sumptum in die. Prodest & ipsa scilla argilla circundata, & furno cocta, purgatis

exterioribus putaminibus, & quod tenerrimum est eius, mellis duabus partibus Attici admixtum, & tritum bene cochleario, semel in die bisve sumptum profuit multis. Pulmo vulpis in olla fictili ad cinerem redactus, & datus mensura cochleariorum trium, cum aquæ calidæ cyathis tribus. Item pulmo cerui eodem modo factus & datus.

LXXVII. Prodest & hoc medicamentum euidenter: Aluminis fissi P. ✳ VI. opii P. ✳ I. aqua exigua opium diluitur, miscetur alumini ante trito: fiunt globuli ciceris amplitudinis: dantur ieiuno ante cibum quaterni aut quini. Hoc medicamentum & ad sanguinis eruptionem ex interioribus partibus facit, & ad veterem tussim, & ad phthisicos, vel alios qui purulenta exscreant.

LXXIIX. Hoc quoque medicamentum ad suspirium satis commodè proficit: Sulphuris viui P. ✳ I. nitri P. ✳ selibra, abrotani quod tribus digitis comprehendi possit. Hæc contunduntur, & teruntur curiosè. Quum opus est, dantur ex his cochlearia duo cum duobus cyathis aceti calidi ieiuno.

LXXIX. Aliud medicamentum ad suspirium efficax valde. Facit autem & ad lumborum diutinum dolorem, & ad paralysin, & hydropicos, lienosos. Bryoniæ, id est, albæ vitis radicis. P. ✳ XII. iris Illyricæ P. ✳ XII. ammoniaci guttæ P. ✳ XII. asparagi radicis P. ✳ VI. scillæ bulbi crudi ex interiore parte, P. ✳ XII. tragacanthi P. ✳ VI. mel miscetur contusis & tritis donec ceræ mollis habeat temperaturam. Inde quum opus est datur P. ✳ I. cum aqua mulsa cyathis tribus vel quatuor.

AD STRVMAS ET OMNEM DVRITIEM IN CORPORIS QVOLIBET LOCO. CAP. XX.

LXXX. AD ſtrumas bene facit radix cucumeris ſil-uatici cocta ex aqua mulſa & trita, atq; ita impoſita. Item ebiſcum eodem modo factum. Sed melius marini lepores oleo vetere necati faciunt, in plumbea puxide cluſi, quam diebus quadraginta diligenter alligatam oportet habere. Poſtea ex ea pinna oblinendæ ſunt ſtrumæ, ſuperque eas pellis lanata non nimium tonſa, tegendi graria, imponenda eſt. Præcipere autem oportet, ne quis hoc medicamenro manus inquinet, aut inquinatas, prius quàm lauerit, ad os referat.

LXXXI. Ad ſtrumas & ad duritias mammarum mirificè facit antequam ſuppurent, & poſt ſuppurationem nihilominus, hoc medicamentum: Olei veteris P. dua, ſpumæ argenteę pond. libra, gallę Syriacę P. triens, mannę thuris P. uncia, galbani P. uncia. Cum oleo coquitur ſpuma donec cerati ſpiſſi habeat temperamentum, deinde admiſcetur ei galla, & ſecundum hanc manna: quum emplaſtri habet ſpiſſitudinem, tollitur ab igne medicamentum: & quum deſinet feruere, paulatim galbanum miſcetur, per minutas parteis linitur aluta quum opus eſt. Hoc medicamentum ſoluitur tertio quartoue die, ſi non ſuppurauerint ſtrumę: ſed ſi apertę fuerint, hieme alternis, ęſtate coridie.

LXXXII. Malagma ad ſtrumam & omnem duritiem mirificum. Idem ad mammarum muliebrium du-

ritiam, & ad paniculas, & ad tubera, & cętera quę subitò adnascuntur. Recipit hęc: Resinę terebinthinę pond. dua, cerę pond. semissem, propolis, quam quidam ceram sacram vocant, P. sescunciam, galbani P. sextantem, olei veteris P. selibram. Hęc omnia oleo ad ignem liquefacere oportet, & postea miscere visci de quercu pondo quadrantem, ammoniaci guttę P. quadrantem, ebisci radicis aridę P. quadrantem, cypiri radicis, quem nos gladiolum appellamus, P. sextantem, ferulę pond. trientem, aphronitri P. quadrantem, Asii lapidis florum P. quadrantem, opopanacis P. sextantem. Hęc omnia ordine quo scripta sunt cribrata in cacabum coniiciuntur, opopanax oleo diluitur. Vbi temperatum est medicamentum, manibus subigitur, linitur quum opus est aluta.

AD SANGVINIS ERVPTIONEM. CAP. XXI.

LXXXIII. AD sanguinis eruptionem, siue ex arteriis, siue à pulmone, vel pectore ea fuerit, benefacit symphyti radix, quam quidam Inulam rusticam vocant, quidam autem Alum Gallicum dicunt, lota aqua frigida, & rasa cultello eburneo vel osseo P. sextantis, aut plus, id est quantum poterit manducare & deuorare. neq; enim amara est. Oportet autem eodem die acetum non gustare, quod interdum per se magnificè solet prodesse: sed huius radicis effectum resoluit. Item benefacit polygonii succus cyathorum duorum aut trium per triduum repetitus. Et plantaginis & solani eodem modo succus prodest: & cretę Samię P. * I. sumtum ex

aquę

aquę frigidę rigore detracto cyathis tribus. Prodest & herbę quam πόλιον vocant, nos ut opinor, tiniariam, fasciculus, quantum manu comprehendi potest, in tribus heminis aquę decoctus, & ad tertias redactus, si quis inde cyathos tres dederit per triduum.

LXXXIV. Oportet autem extrà sentienti vulnus, eo loco spongiam ex aqua recenti imponere, vel ex aceto acri, ac frequenter mutare, ne concalefacta noceat: & vetare artus constringere, quod plerique medicorum faciunt, ignorantes quod incitatur sanguinis eruptio musculorum compressione. Quandoquidem omnis constrictio in utranque partem exiget ęquè subiectam materiam, sicut utrem si quis medium laqueo constrinxerit, animaduertet in utranque partem excludere subiectum liquorem. Et si super foratus casu fuerit, incitatione eiaculabitur quod in eo erit. Eadem ergo ratione quum sanguis eruptus est, qui constringunt vi magna artus exprimentes, sanguinem venis subiectum cogunt magis erumpi per vulnus. Huius rei argumentum est, si quis super laqueum percusserit venam in brachio, quę est animalis, animaduertet ęquè incitari sanguinem ex ea parte, quam ex inferiore loco quum percussa est vena. Et hoc per se quidem si non viderant medici, meritò essent culpandi, quòd negligentes in ancipiti casu hominum essent: quũ pręsertim Asclepiades etiam pluribus usus sit argumentis in hac re: neque ei quisquam contradixit. quis enim aduersus veritatem hiscere potest? Proinde magis sunt custodiendi qui pollicentur salutis custodiam uniuscuiusq; se facturos. Tam inertes autem & negligentes necessaria quidem ad conseruandam vitam humanam, quę per alio-

aliorum laborem reperta sunt, studeant scire. Meritò itaque manifestè quidam iugulantur genere quodam incitata eruptione sanguinis ab eiusmodi hominum imprudentia. Et, ô bone deus, hi sunt ipsi qui imputant suam culpam medicamentis quasi nihil proficientibus. Sed ad propositum reuertemur.

LXXXV. Faciunt enim composita medicamenta ad sanguinis eruptionem, quorum & hoc est: Acaciç succi P. unciç, ὑποκιστίδος, qui est succus rosę siluaticę, quam caninam quidam vocant, pond. unciç, balaustium, quod est flos mali granati, quo coriarii utuntur, pond. unciç, opii P. semunciç. Balaustium contunditur, siccatur, sicco mortario teritur. Cętera pridie macerata in aqua commiscentur, & diligenter pastilli finguntur. Quidam P. * I. quidam victoriati denarii dantur ad ętatem cuiusque, ex aquę frigidę remissę cyathis tribus aut duobus. Atque ille quidem pastillus benefacit ad dysentericos, id est torminosos.

LXXXVI. Alter pastillus ad sanguinis eruptionem mirificè faciens. Tragacanthi P. * IX. Samię cretę P. * VII. cerę Ponticę P. * IX. glycyrrhizę succi (est autem radix dulcis) P. * V. Symphyti succi P. * XII. Commis pond. * IIII. ὑποκιστίδος succi P. * VII. thuris pond. * V. aluminis liquidi P. * II. opii P. * V. amyli P. * VI. myrrhę P. * V. croci P. * VII. plantaginis succi P. * III. passi meconii quod satis erit miscebitur, fiunt pastilli. Alii P. * I. alii victoriati dabuntur ex aquę tepentis cyathis duobus & dimidio.

AD

AD TVSSIM VETEREM, ET DESTILLATIONES, ET SVSPIRIA, ET INFLATIONES, QVVM DVRA HABENT PRAECORDIA, ET LIENOSOS, ET PHTHISICOS. CAP. XXII.

LXXXVII. Catapotium, id est medicamentum quod non diluitur, sed ita ut est deuoratur, ad tussim quæ cum fluore est. Croci pondo unciæ, myrrhæ P. sextantis, opii pond. quadrantis. Contunditur crocum, percribratur, contusæ myrrhæ opium admiscetur aqua exigua dilutum. Postea adiicitur crocum, & quum in unum benè mixta sunt, finguntur pilulę erui magnitudinis. Dantur in nocte ternæ vel quaternæ.

LXXXIIX. Catapotium alterum ad tussim aridam. Myrrhæ, piperis, castorei, galbani, storacis, opii, singulorum idem ponderis. Castoreum & piper contunduntur & cribrantur: deinde myrrhæ ante tritæ cæteris contusis æquè admiscentur. Vbi omnium unitas mortario facta est, melle despumato medicamentum comprehenditur: deinde formantur pilulæ viciæ magnitudinis. Dantur ternæ vel quaternæ in noctem.

LXXXIX. Aliud catapotium ad tussim veterem, suspirium, & phthisi tentatos, lienem, & iecur durum habentes. Idem inflationem tollit, & purgat mulierem, si qua ex partu substiterunt. Styracis P. * VI. myrrhæ P. * II. & victoriati, opopanacis P. * II. iris Illyricæ P. * II. galbani P. * II. resinæ terebinthinæ pon. * V. alterci seminis P. * I. nitri P. * I. piperis albi P. * I opii P. * I. Irim, altercum, piper contundere oportet & cribrare, nitrum

mor-

mortario terere, & cætera pilo commiscere, & postea hæc eis adiicere, atque facere catapotia magnitudinis fabæ. Inde terna vel quaterna in noctem dare ad inflationes in ipsa distentione cum aquæ calidæ cyathis tribus.

X C. Pastillus ad tussim, destillationem pectoris, pulmones, ad epiphoras oculorum, vesicæ dolorem qui cum fluore consistit, ubi sæpius & non sine cruciatu urinam faciunt. Item ad eos qui sanguinem reiiciunt, aut per urinam reddunt. Ad deiectionem, tormina, grauedinem, choleram, stomachi crebram nauseam cum vomitu sine febre: & quicquid reprimere & siccare oportet, optimè compescit. Præterea facit ad omnis partis corporis dolorem, præterea capitis. Quinetiam si quando aliquis hoc fuerit inunctus, alii vitio non erit dandum hoc medicamentum. Quum autem ad omnia quæ supra dixi, manifestè prosit, tum præcipuè ad initia phthisim habentes benefacit. Multos enim eripuit ex magno periculo interdum bis terue datus hic pastillus. Recipit hæc: Myrrhæ troglodytis pon. * VI. croci P. * V. opii P. * IIII. thuris pond. * V. alterci albi seminis P. * IIII. Apollinaris herbæ radicis corticis pon. * IIII. Contunditur hic cortex per se, & cribratur tenui cribro: deinde crocum, postea altercum, myrrha, thus, quibus miscetur opium pridie aqua maceratum: subinde aquæ exiguum adiicitur, donec fingi pastilli possint pond. * victoriati. Alii tertia huius ponderis detracta, dantur in noctem ex aquæ cyathis tribus. Somnum faciunt, dolorem sedant, ut superius dixi. Oportet autem ex eo etiam catapotia facere. quidam enim facilius ea quam potionem sumunt, verùm non multum interest.

XCI. Ad eadem remissior quidem pastillus, sed non contemnendus, croci, myrrhæ, alterci, opii, pondera paria contusa miscentur, despumato Attico melle fiunt pastilli eiusdem ponderis. Dantur ad ætatem eius tres in noctem: licet & hinc catapotia facere propter eandem causam, sed tunc aqua, non mel adiicitur.

XCII. Pastillus ad tussim & sanguinem reiicientes, & stomachum solutum habentes: facit & ad deiectionem, & vesicæ dolorem. Apii semen pon. * VI. alterci seminis P. * XII. anethi P. * XII. opii P. * VI. croci P. * III. rosæ foliorum arefactorum in umbra P. * XII. myrrhæ pon. * XII. Semina, & crocum, & folia rosæ contunduntur, cribrantur, myrrha teritur, opium aqua maceratur: omnia in unum miscentur aqua adiecta: fiunt pastilli victoriati pon. aliis tertia parte detracta. Dantur ad stomachum imbecillem habentes, & sanguinem reiicientes, ex aqua frigida cyathis duobus, cæteris ex calida totidem cyathis.

XCIII. Pastillus ex odoribus benefacit ad omnem dolorem: propriè autem ad tussim: item pectoris destillationem, & oculorum epiphoras. Facit & ad suspirium, & ad lateris dolorem, & ad phthisicos: & vesica renibusque laborantes, vel sanguinem ad urinam reddentes cum dolore. Casiæ, cinnami, croci, singulorum P. * III. alterci seminis, Apollinaris herbæ radicis, singulorum pond. * IIII. piperis P. * II. opii P. * IIII. thuris pon. * III. nardi spicæ P. * II. Vino Falerno contusa & trita utraque, ut debent, consperguntur: fiunt pastilli victoriati P. Et aliis parte tertia detracta. Dantur in noctem, prout vires sunt, cum aquę calidę cyathis duobus aut tribus.

XCIV. Medicamentum, quod per cochlearium deuoratur, benefacit ad tussim aridam, & eos qui difficulter glutinosa exscreant, & præfocari videntur interdum. Sed præcipuè iis qui lateris dolorem cum febre sentiunt, quos Græci πλευριτικοὺς vocant. Liberat enim eos ab omni periculo. Hoc medicamentum Apulei Celsi fuit, præceptoris Valentis & nostri, & nunquam ulli se viuo compositionem eius dedit, quòd magnam opinionem ex ea traxerat. Est autem hęc quę componitur tribus rebus his: Piperis nigri electi & ponderosi granis duobus, myrrhę troglodytidos pond. * II. mellis Attici despumati libra. Piper contunditur diligenter & cribratur, myrrha teritur mortario curiosè, & postea utraque in unum miscentur: deinde mel adiicitur. Dantur cochlearia quina vel sena. Pleuriticis etiam plura sępius, & cum interuallo dare oportet: & maximè quum tussiunt, aut præfocari videntur, & difficulter spirant, siue noctu siue interdiu. Protinus enim exscreant ea quę obstant transitui spiritus, & tussire desinunt.

XCV. Alterum medicamentum ad tussim aridam. Nasturtii animati seminis pond. uncia, alterci seminis P. uncia, opii P. uncia, myrrhę pond. uncia, croci P. semuncia, sulphuris viui P. semuncia, piperis albi p. quadrans. Melle colligitur medicamentum. Datur fabę Ægyptię magnitudine ex cyathis aquę tribus in noctem. Facit autem hoc medicamentum ad lateris dolorem, & ad stomachi inflationem, grauedinem, cœliacos qui subitò uniuersa deiiciunt. Prodest & dolentibus superpositum & circundatum denti: & si exesus est, in cauernam eius infertur. Tollit prętera horrores febrem præcedentes: tum

quum

quum hæc circuitum certum habet, datum ante horam; diutius corpore perfricato ex oleo calido. Prodest & illis qui sine horrore circuitibus febrium vexantur. Quamobrem ἀνεξιπύρετος hæc compositio dicitur.

XCVI. Aliud ad tussim aridam, & glutinosa exscreantes. Purgat etiam interaneas vomicas, suppurationes, lini seminis, urticæ seminis, nasturtii seminis, iris Illyricæ radicis æqua pondera misceri oportet, & cum melle despumato, quantum satis sit: & frequenter oportet cochleario dare.

ANTIDOTOS HIERA PACCHII ANTIOCHI AD UNIVERSA CORPORIS VITIA, MAXIME LATERIS, ET AD PODAGRAM. CAP. XXIII.

XCVII. AD lateris dolorem, siue cum febre siue sine febre fuerit, compositio mirifica, non ignorata quidem ab antiquioribus propter effectus, sed præcipuè à Pacchio Antiocho auditore Philenidis Catinensis usu illustrata. Fecit enim magnos quæstus ex ea propter crebros successus in vitiis difficillimis. Sed ne hic quidem ulli, se viuo, compositionem dedit. Post mortem autem eius Tiberio Cæsari per libellum scriptum ad eum, & bibliothecis publicis posita venit in manus nostras, quam antea nullo modo extrahere potuimus: quamuis omnia fecerimus, ut sciremus quæ esset. Ipse enim clusus componebat, nec ulli suorum committebat. plura enim quàm recipit ipsemet contundi iubebat pigmenta, fallendi suos causa. Hanc postea nos sciuimus,

quæ, ut ſanè & libello ipſe fatetur, non à ſe inuenta, ſed uſu exactiore comprobata ad quæ vitia, & cum quibus, & quemadmodum data proficeret. Etenim non ignota, ponderibus tamen antiquis aut adiecit, aut detraxit; & res quæ in hac compoſitione ſunt, non utique conueniunt ad antiquas. Interdum enim earum quædam plures etiam numero accipiunt, atque ideo non idem præſtant, quum interim hæc mirifica temperatura compoſita mirificos effectus habeat.

XCIIX. Facit hoc verò medicamentum non ſolum ad lateris dolorem, ſed etiam ad plura vitia efficaciter. Quamobrem ſemper habeo id compoſitum. Percurram autem quam breuiſſimè, ad quæ vitia, & qualiter datum proſit, ut etiam in libello eius ſcriptum eſt, & ego magna ex parte iam expertus ſum.

XCIX. Sanat ergo morbo comitiali correptos, quos ἐπιληπτικοὺς Græci vocant, furioſos, quos μαινομένους dicunt. Item ſanat quibus ſubitis tenebris obſcurantur oculi cum vertigine, σκοτωματικοὺς hos Græci appellant. Nec minus diutino correptos capitis dolore, quem κεφαλαργίαν appellant. Prodeſt data P. * duum ex aquę mulſæ cyathis quatuor, quum remiſſi fuerint. Et ſi frequenter quidem corripiuntur, poſt binas ternaſue acceſſiones danda erit antidotos Hiera. Hoc nomen enim tribuit ei duas propter cauſas, ut exiſtimo. Vnam, ne eius nomen verum dicendo oſtenderet quæ eſſet. Dicitur enim à quibuſdam πικρὰ, quia amara eſt: à quibuſdam διὰ κολοκυνθίδος. Alteram, quò magis ſub tanta ſpecie nominis commendaret medicamentum. Sed ſi ex longo interuallo acceſſionibus vexabuntur, in remiſſione dolorum ſæpius dandum erit

medicamentum. Ità enim aut ex toto remedio est, aut certè minuitur quotidie impetus vitiorum & sedatur, interuallaq; maiora accipit, & hoc ipso opportuniores fiunt ad veratri potionem, qua maximè hæc vitia tolluntur. Dare autem his oportet secundum purgationem (bis enim aut ter spumosa & glutinosa deiiciunt) ptisanæ cremorem, olera lenia ex urtica, & lapatho, malua facta, torpedine interdum admixta, & cum exiguo pane, aquamque potui.

C. Facit bene hæc compositio ad suspirium, & ad vocis abscisionem, & subitas præfocationes ex qualibet causa ortas, & ad eos qui sæpius existimantur ab incubone deludi. Vsque eò tamen vexantur, ut interdum vitæ periculum adeant. est enim vitium non contemnendum utique in processa ætate. Quibus dandum erit medicamentum, proximo die eius noctis qua correpti sunt, quũ interuallum à somno fecerint, & quod satis est ambulauerint, ex aquæ hyssopum aut marrubium incoctum habentis cyathis quatuor vel quinque * P. I. vel unius & victoriati, prout res postulauerit. Deinde post horas treis quatuorue cremor ptisanæ detur.

CI. Facit & hoc medicamentum ad eos, quorum musculi maxillares cum maximo dolore tensi sunt, adeò ut aperire os nullo modo possint: τέτανον hoc vitium Græci dicunt. Item facit ad deprauatam faciem in utramlibet partem: κυνικὸν σπασμὸν hoc idem appellant genus morbi. Præcipuè verò ad pectoris, & lateris dolores prodest ex qualibet causa factos, siue latente & occulta, siue manifesta: ut ex ictu, casu, conatu aliquo supra vires, vel ponderis supra modum portatione, vel contusione, quæ fre-

frequenter gladiatoribus accidere solet in luctationibus, & eorum maximè sauciatis. Nec minus arbore alta delapsis, vel scalis deuolutis, excussis à rheda vel curriculo, atque ita tractis. Sed his, id est manifesta causa vexatis, cum aceti cyathis tribus quatuorue danda erit antidotos. Illis verò qui ex occulta causa laborant, ex aqua mulsa proderit. Preterea neruorum tensionibus mirificè conuenit. Quamobrem facit & ad tremulos, & sideratione tentatos utralibet. una enim ex contractione, altera cum remissione neruorum conspicitur: παράλυσιν hoc utrumque vitium Greci appellant. Ad quod etiam quum correpti sunt prodest ex aque mulse cyathis tribus quatuorue datum medicamentum * P. I. vel unius & victoriati, admixto pondere victoriati castorei. Prodest & ad articularem morbum, quem ἀρθρῖτιν vocant, ad spinam, & totius lumborumque dolorem: ex aqua mulsa datur ad vires cuiusque. Item ad podagram benefacit. nam & in presentia detractione ipsa leuat, & in futurum omni molestia liberat. Dimidio enim celerius sanantur qui acceperunt medicamentum, quàm prius solebant.

CII. Quid dicam duritias in mammis mulierum cum dolore consistentes, quas nullum medicamentum leuat, quemadmodum ex toto imperpetuum interdum sanat? quas plerique medicorum insanabiles adfirmant, καρκινώματα, & κακοήθη appellantes. Poteram nominare honestas fœminas, quas aut ille, aut ego hoc medicamento sanauimus: nisi crederem fidem te habere nobis, alioquin ipse tibi iam dixissem.

CIII. Illud verò supra omnium opinionem est, quod ad stomachicos euidenter conuenit, quũ sit virosissimum

medicamentum aduersus stomachum, ne ad lenia quidem, & simplicia medicamenta aptè dispositum. Sed videlicet in eiusmodi rebus potentior usus ratione est. expertus enim unusquisque intellegit stomacho quoque hoc medicamentum eximiè prodesse.

CIV. Remediat enim eos quibus frequenter inacescit cibus, & eos qui assiduè inflationibus urgentur, vel dolore eius vexantur, aut assiduè nauseant, aut saliua abundant, vel inedia consumuntur, stomachumque ita solutum habent, ut ex eo varios liquores subinde respuant consentiente capite, ut nullum genus cibi continere possint. Item ad bilem atram generantes, quos μελαγχολικοὺς appellant, benefacit. Oportet autem non continentibus cibos secundum vomitum protinus oleo perunctis, & diutius pressè fricatis dare medicamentum * P. I. ex aquæ cyathis tribus: deinde artus constringere, & interdum olfactariis reficere, & commanducatione oliuarum contusarum, earumq; rerum quæ stomachum constringere solent, interim subrectos recubantes, deinde quum deiecerint, solutis vinculis rursus perungere, & fricare totum corpus. Atque ita varietate apta ciborum stomachum proritare, ut halica ex mulso, malorum cydoniorum succo facto, vel ex granatorum per se malorum, vel si quos magis delectat ex frigida posca: secundum quæ, apala oua proderunt, & intubi cocti vel crudi ex aceto: item lactucæ caules cum foliis ex posca decocti, conchula marina, purpuræ murices, pelorides, volua pomorum, sorba, mala orbiculata, Scandina, pira Crustumina, Segnina olla reposita, item uvæ ex olla. Hæc enim & huiusmodi quæ sunt, confirmant stomachum, quibus & insequen-

quentibus diebus uti oportebit paulatim ad consuetudinem progredientem, donec propè omni molestia ægri liberentur.

C V. Est stomachi vitium quod cum siccitate & ardore eius, & inrequiebili (ut ita dicam) & inextinguibili siri consistit: ἄτονον Græci vocant, ab eo quòd exsiccat omnem stomachi humorem. Scimus quosdam urnas aquæ bibisse, neque ideo sitim aliqua ex parte in præsentia compescuisse. Ad hoc * P. I. vel victoriati datum ex aquę cyathis duobus frigidæ, ita prodest ut facilè abstinere ab aqua proximis diebus possint. Lienosis verò ex posca, & iocinerosis duritiam habentibus diutinam ex aqua mulsa satis conuenit. Nec minus hydropicis, quibus datur eadem ratione. Sed his per complures dies oportebit ptisanæ cremorem sine ullo liquore dari.

CVI. Prodest compositio hæc & colo inflato, & cæteris intestinis. Futuras quoque vel iam factas vomicas iisdem partibus aut discutit, aut celerius aperit: item menstrua mouet mulieribus, quæ difficulter purgantur. Dandum autem erit his ex aqua medicamentum. In aqua decoquitur herba quę artemisia dicitur, aut quā ἄκταιον appellant. Etiam ad papulas & sacrum ignem, vel quam zonam vocant, benefacit ex aqua mulsa, detracto prius sanguine, si res postulauerit: ut & in aliis omnibus superius dictis faciendum est. Omnia enim auxilia adhibenda sunt, quæ ex usu prodesse eis comperta habemus: quia facilius adiuta antidotos adiuuabit, & effectus exhibebit. Recipit autem hæc: Stœchados, marrubii, χαμαίδρυος, quæ herba similia quercus folia habet, agarici, cucurbitulæ siluestris, quam κολοκυνθίδα appellant, singulorum * P. x.

opo-

opopanacis, sagapeni, petroselini, terræ mali, piperis albi, singulorum * P.v. cinnami, nardi spicæ, myrrhæ, folii, croci, singulorum * P.IIII. in unum omnia ponderata contunduntur & cribrantur: præterea opopanaces & sagapenum. hæc enim mortario teruntur, adiecto melle tenui, id est quam liquidissimo: deinde cæteris miscentur, quæ & ipsa recipere debent tantum mellis, quantum satis erit ad comprehendenda, & continenda ea. Reponitur medicamentum vaso vitreo. Datur, ut supra diximus, ad cuiusque vires; & est prorsus sacrum, ut autor huius nominis appellat.

CVII. Si quando autem efficaciore eo voluerimus uti propter difficultatem naturalem vitiorum, aut diuturnitatem, ut in furiosis, aut comitiali morbo correptis, vel lumborum perpetuum dolorem habentibus, podagra correptis vastius, cucurbitæ siluestris adiicimus ad superius dicta pondera * P. xx. opopanacis atque sagapeni, singulorum * P. trium. Quamobrem utraque parata debent esse medicamenta: ut quum opus fuerit usus alterutrius in promptu sit. Illud utique credas interim velim mihi, dum in aliis expertus persuadeam, hoc medicamentum non solum non nocere stomacho, verum etiam reficere & confirmare eum supra omnem opinionem.

AD STOMACHI DOLOREM ET INFLATIONEM, ET CAETERA VITIA INTERIUS. CAP. XXIV.

CIIX. MEdicamentum quod propriè aduersus solutionem stomachi facit & fluorem eiusdem: maxime verò quum nihil cibi retinere possunt, sed quicquid datum est reiiciunt. Mastiches Chiæ candidæ

pondo libra, tragacanthi albi pondo libra, Apolli naris herbæ radicis uncia. Contunditur tragacanthum cum radice: postea mastiche adiicitur. Reponitur in vitreo vaso. Dantur quum opus est cochlearia tria secundum vomitum per se factum ex aquæ frigidæ cyathis tribus.

AD STOMACHI DOLOREM ET INFLATIONEM. CAP. XXV.

CIX. PAlmarum * P. XL. anethi * pondo IIII. croci * P. duum, git * P. duum, & asari * P. duum, murri nigræ baccarum * Pond. IIII. iuniperi grana numero viginti. Contunduntur seorsum omnia, & in unum miscentur: deinde fiunt pastilli * P. I. aliis victoriati. Dantur ieiuno ex aquæ cyathis quatuor, aut ex Cretico musto, quod est passi genus.

CX. Medicamentum siccum ad stomachi inflationem, & dolorem, & inediam. Mouet urinam: ideoq; facit & ad hydropicos, & iecur durum habenteis, auruginem, quam quidam regium, quidam arquatum morbum vocant. Refertur in Musam Antonium. Recipit autem hæc: Aloes P. assis trientem, croci, cinnami, nardi, Syriacæ spicæ, asari, xylobalsami, mastiches Chiæ, singulorum * P. VI. Tunditur, & vitro reponitur. Dantur cochlearia duo vel tria ex aquæ cyathis tribus.

Com-

Compositio LXXII. *quæ superius defuerat, hîc ex Galeno* VII. *de Compositione medicamentorum* κατὰ τόπους, *citante Scribonium Largum sic restituta est à Io. Ruellio.*

Altera Scribonii Largi, quæ quod sub lingua teneatur, ὑπογλωσσὶς appellata, facit ad abscisionem vocis: Radicis dulcis * P. VIII. myrrhæ * P. XXIIII. terebinthinæ * P. XXXII. tragacanthæ * P. XXXVIII. singula sicca seorsum tundito & cernito, resinaque in pilam coniecta excipito. Vbi in unitatem coierunt, in formulas digerito, quæ Ægyptiæ fabæ magnitudinem æquent, & in umbra siccato: quumque usus poscet, unam aut alteram sub linguam tenendam dato, ut illiquescens deuoretur. Medicamentum oportet, quum res exiget, celeriter effingere, siquidem confestim exsiccari solet: quapropter in promptu tenere conuenit medicamenta quum in pastillos coges.

Hæc Galenus ex Scribonij Largi sententia.

AD COELIACOS, ET TORMINOSOS, ET VENTRIS DIVTINVM DOLOREM.
CAP. XXVII.

CXI. Ad cœliacos, id est qui subitò & multa deiiciunt. Item & ad aluum citatam, & interdum lenia tormina: Sorborum aridorum contusorum sextarius unus, thus Syriaci coquuntur sextarii duo, mala granata recentia decem, item mala Cydonia decem. Hæc utraque coniiciuntur in sapam factam ex musti ad-

huc in dolio feruentis ſextariis triginta ſex, ad duodecim ſextarios decoctam, donec malorum coria percoquantur, ut ſint madida. Deinde teruntur hæc fictili mortario, ut grana comminuantur, quibus deinde Cydonia admiſcentur, & æquè teruntur. Poſtea rurſus & ſorba arida admiſcentur cribrata curioſè ſapæ quæ reſidua eſt, & omnibus in unum bene coactis. Reponitur medicamentum in vitreo vaſe. Dantur autem inde ieiunis in diem ligulæ binæ vel ternæ per ſe. Sin autem grauior morbus inſedit, hic datur.

CXII. Paſtillus ad cœliacos & torminoſos optimè faciens: Balauſtii, hypociſtidos pridie aqua macerati, P. ſextans, alterci ſeminis, cretæ Samiæ, ſingulorum P. uncia, vino myrtite adiecto, fiunt paſtilli * P. unius, aut victoriati. Dantur ieiuno ſine febre ex vino myrtite, aut Signino, cyatho uno cum duobus aquæ mixto: febricitantibus, ex aquæ cyathis tribus. Hoc etiam, incitata libidine ipſius morbi, paſtillus, ſiue plures diluti aqua calida, vino, oleo, per clyſterem immittitur, ſtatim ſomnus conſequitur quoties deſurrexerint torminoſi, qui grauiter adflicti ſunt, & utique prodeſt.

ALIVS PASTILLVS AD TORMINOSOS EFFICACIOR. CAP. XXIIX.

CXIII. Aciæ * P. quatuor, croci * P. duum, gallæ * P. VIII. hypociſtidis * P. III. lycii * * P. IIII. myrrhæ * Pond. IIII. thus quo coqui utuntur, nardi ſpicæ Syriacæ, aloes, ſingulorum * pond. duum, aneſi, commis, ſingulorum * pond. quatuor, piperis nigri

gri * P. duum. Tunduntur, teruntur, cribrantur ex ſucco cauliculorum rubi, vel ex vino Signino collyrii tritura. Quum fuerint hęc lenia, aut ungui nulla pateat aſpritudo, finguntur paſtilli * P. I. aliis P victoriati. Datur unus ieiuno ante meridiem, alter in noctem ex aqua, ſi febres erunt: ex vino Signino, ſi ſincerè corpus erit. Hoc efficax eſt medicamentum, & ſi cętera quę debent, ſentiente eius valetudine, rectè adhibita fuerint, utique ſanant.

CXIV. Paſtillus item qui clyſterio immittitur torminoſis per anum, quum ſordida, & ſanguinolenta eiiciunt, id eſt quum inteſtina eorum cancer occupauit, quo quaſi cauterio tunc tantummodo uti oportet, alioqui nocet. Ideoque à quibuſdam ignorantibus eius uſus accuſatur, quaſi nocuus. Recipit autem hęc:. Chartę combuſtę cineris * P. XXX. calcis viuę * pondo XXIIII. ἀρσενικοῦ, quod eſt auripigmentum, * P. XII. ſandaracę * P. ſex. Hęc trita vino conſperguntur, in quo roſa & lentes ptius incoquuntur, ut poſſint fieri paſtilli * P. duum aut unius. Quum opus eſt, teritur unus paſtillus, & immittitur per aquam decoctam, roſam & lentem habentem, ſi febricitabunt: ſin minus, ex vino eadem incocta habente. Facit & murti faſciculus cum oleaſtri vel oliuę ramulis, utrorumque modo prout res exegerit, incoctus.

CXV. Potio autem, id eſt paſtillus quum immiſſus fuerit, medicamentum ſic conuenit in noctem: Myrrhę * P. duum, lycii * P. III. thuris * P. I. opii * P. duum, aloes * P. duum, acaciæ * P. IIII. murti baccarum nigrarum * P. XVI. ouorum ex aceto coctorum vitelli duo. Hæc trita vino Surrentino conſperguntur, & fiunt paſtilli

li * P.I. Dantur febricitantibus ex aquæ cyathis quatuor, permixti Sutrentini vini cyathis duobus.

CXVI. Ad εἰλεόν, quod vitium est inflatio tenuium intestinorum, facit bene galbani P. victoriati, deuoratur in pilulas diuisum duas vel tres. Mouet & ructum, & interdum deiicit ventum deorsum, atque ita prodest.

CXVII. Ad idem vitium mirificè prodest hoc medicamentum. Facit autem ad lateris dolorem, & ad omnem partem corporis, dauci seminis, panacis radicis, castorei, paria pondera, rutæ siluaticæ dimidium, tritis vel contusis mel decoctum adiicere oportet. Inde dare * P. I. aut victoriati ex aquæ caldæ cyathis tribus.

CXIIX. Facit & ad huiusmodi per anum immissum fœnum græcum: id aqua bene coquere oportet, atque inde sumere heminam. Item in oleo domestico incoquere rutam quamplurimam, & hinc caldam heminam adiicere priori aquæ, quibus utrisque admiscere aphronitri triti sescunciam, & ita per clysteria caldam immittere. Hoc ego iam stercus per os deiicientem (quod si non mortiferum est) sanaui unguentarii cuiusdam seruum. Est autem vitium εἰλεὸς periculosissimum, & ideo inter præcipua refertur. Quamobrem non utique cum magna fiducia ad hoc genus vitii aggredi debemus.

AD

AD COLI DOLOREM ETIAM VETVSTVM COMPOSITIONVM GENERA EXPERTA, QVAE IN TOTVM PERSANANT. CAP. XXIX.

CXIX. AD coli inflationem benefacit cumini filuatici semen per se, ut est datum, quantum cochlearia tria in aquæ caldæ cyathis quatuor.

CXX. Nam Cassii medici colice bona multis nota propter effectus, vera hæc est, ut ab eius seruo Atimeto accepi, legato Tiberii Cæsaris: quia is eam solitus erat ei componere. Apii seminis P. selibtam, anesi P. quadrantem, castorei P. sextantem, myrrhæ P. quadrantem, spicæ nardi Indicæ P. sextantem, opii P. quadrantem, ctoci P. sescunciam, pipetis longi pon. sextantem, piperis nigri P. sextantem semunciam, petroselini P. sextantem, schœni P. sescunciam. Hęc omnia contusa cribrata, melle Attico decocta miscentur. Datur ex hoc medicamento quantum nux abellana media patet, ex aquæ cyathis tribus calidæ. In ipsis doloribus statim prodest. Item medicamentum cerati ex malabathro facit ex duabus pattibus & cerę unius mixtum, & extrà impositum in ventrem totum. Pręterea benefacit & ad stomachi inflationem, & ad suspirium, & ad iocineris dolorem, tussim, destillationem.

CXXI. Colice mirifica Iulii Bassi, citò leuat: deinde tollit inflationes coli & omnis partis corporis. Facit & ad stomachi imbecillitates, & ad intestinorum alioqui dolorem, quem Gręci στρόφον appellant, ex aqua hyssopum, aut

aut rutam decoctam habente. Item benefacit ad sanguinem, & ex interiore parte. Non enim patitur latè fieri, nec intus vulnus conuerti: sed citò supprimit sanguinẽ, & vulnus cogit coire. Dandum autem his medicamentum ex aqua, τύλιν coctum habente, aut rutam. Prodest & torminosis, & cœliacis, datum ex aqua centunculum herbam incoctam habente, quam Græci γναφαλίδα dicunt, vel sorba, vel siliquam Syriacam. Lienosis datur ex mulso vel passo aquę mixtis. Eodem modo dandum est & eis qui sanguinem per urinam vel aluum reddunt. Nec minus etiam mulieribus quę fluore sanguinolento infestantur, quod ῥοῦν ἐρυθρὸν Græci dicunt, vel ex partu abortuue, quę residuos vuluę dolores habent: & in totum quibus supprimendus est fluor, aut ex aliqua parte corporis inflatio tollenda. Recipit autem hęc: Spicę nardi, costi, piperis albi, piperis nigri, piperis longi, myrrhę, opii, Apollinaris radicis, & cinnami, asari, acori, thuris, brassicę feminis, castorei, singulorum * P. XII. opopanacis * P. X. stœchadis, dauci, amii, singulorum * P. XVIII. seselis Cretici * Pond. XXIIII. mel Atticum miscetur, datur non plus quàm * P. aut victoriati. Cęterum prout cuiusque vires postulabunt, dummodo infra hoc pondus ex aquę caldę cyathis tribus in noctem secundum cœnam. Hęc potio etiàm febricitantibus tutò datur: sed cœliacis in ipso dolore prodest. Vitreo vase seruatur.

CXXII. Ad coli dolorem faciunt quidem mirificè quę superius posita sunt: sed cętera medicamenta in aliis viris dolorem leuant in pręsentia, hoc verò quod dicturus sum, supra hominis spem conditionemque est. Ideo primo tempore ne fidem quidem habet, postea à nullo

satis

ſatis dignè laudari poteſt. Nam & in præſentia dolorem tollit, & in futurum remediat, ne eum unquam repeat. Rarò enim quis iterum, vel ad ſummum tertiò, hoc accepto medicamento, vexatus eſt. Quamobrem ſi quando repetierit iterum dolor, dandæ erunt per triduum & tunc potiones, eodem modo quo primæ datæ fuerint. Interdum & tertiò in dolore eodem genere potiones dabuntur: quod accidit poſt hanc, utique in futurum quoque remediatur, ita ut ne ſuſpicio quidem ulla relinquatur vitiis. Si quando tamen frigus, aut multitudo cibi præceſſerint, grauitatem quandam, & priorem eius loci ſine ullo dolore ſentiunt planè, ut intellegant quaſi quanto malo caruerint. Hoc medicamento muliercula quædam Romæ ex Africa multos remediauit. Poſtea nos per magnam curam compoſitionem accepimus, id eſt pretio dato quod deſiderauerat, & aliquot non ignotos ſanauimus, quorum nomina ſuperuacuum eſt referre. Conſtat autem medicamentum ex his rebus: Cerui cornua ſumuntur, dum tenera ſunt, quaſi in taleas breveis diuiſa, olla fictili componuntur, operculoque ſuperpoſito, ex argilla undique circundata, fornace uruntur, donec in cinerem candidiſſimum redigantur: atque ita in uaſo vitreo mundo reponuntur. Quum dolorem habet aliquis, pridie quàm poturus eſt medicamentum, debet abſtinere ab omni re: atque ita poſtero die ſumuntur ex cornibus cochlearia tria cumulata, ſatis ampla: quibus miſcentur piperis albi grana nouem trita, & myrrhæ exiguum, quod odorem tantummodo præſtare poſſit. Hæc quum in unum commixta ſunt mortario diligenter, cochlea verò Africana, id eſt inde

K adlata

adlata sumitur quam potest amplissima, & viua mortario cum sua testa contunditur, atque ut est teritur, donec nullum vestigium appareat testularum. Postea vini Falerni non saccati cyathus adiicitur, & nihilominus rursus teritur. Magis enim tunc apparent residendo amplitudines, si quæ reliquæ sunt: quibus leuatis, iterum adiiciuntur cyathi duo eiusdem vini, atque ita prioribus bene admiscentur: transfunditurque cum his quæ sunt in mortario, calice nouo, & supra carbones imponitur, mouente aliquo cochleario liquorem, ne quid subsidat, & peruratur. At ubi bene incaluerit, iniiciuntur in eundem calicem quæ suprà dixi cochlearia tria, & permouetur. Quum autem calore temperata & potio datur abducenda, statim dolorem leuat. Hoc facere oportebit per insequens biduum, capientem cibi in prandio aut alio tempore exiguum, quod facile conficiatur, ne crudus sumat medicamentum. Post ea in consuetudine victus sui, qui colo infestabatur, dimittitur. Oportet tamen non indifferenter remediatos in futurum viuere: tametsi enim à coli dolore tuti sint, metuere nihilominus debent, ne alia parte corporis æquè adficiantur ad intemperantiam coli antequam remediati erunt.

AD TVMOREM, DOLOREM IOCINERIS ET DVRITIEM. CAP. XXX.

CXXIII. AD tumorem & dolorem iocineris, item ad duritiem facit bene lupi iecur ptimum in aqua ferventi dimissum, atq; ita arefactum.

Quan-

Quantum victoriatorum pon. trium ex aquæ caldæ cyathis tribus per aliquot dies dabis.

CXXIV. Item benefacit ad duritiam iocineris veterem cunillæ aridæ, quam satureiam quidam vocant, contusæ * P. unius, vel victoriati, cum mulsi cyathis duobus & totidem aquæ.

CXXV. Proficit mirificè hæc compositio ad tumorem, & ad dolorem cum duritia iocineris & lienis. Item ad tenium dolorem benefacit. Nam colorem corporis restituit, qui propter vitia dictarum partium corrumpitur, pallidusque conspicitur. Prodest hoc item medicamentum etiam ad aquæ mutationes: croci * P. x. nardi * P. duum, casiæ * P. duum; costi * P. I. schœni * P. I. cinnami * P. I. myrrhæ stactæ * P. I. mellis optimi * P. xxv. Datur quantum faba Ægyptia, in musti mulsi cyathis quatuor. Vitreo vaso seruatur.

CXXVI. Ad iocinoris duritiam veterem, hydropicos, lienosos, arquatos, & quibus opus est urina. Item ex partu residua mulieri purgat, & vuluæ dolorem tollit sic. Anesi * P. VIII. dauci * P. III. petroselini, item iuniperi, item silis, tragacanthi, P. selibra, panacis * P. VIII. iris, myrrhæ, costi, amomi, singulorum * P. VI. cumami * P. III. casiæ * P. III. smyrnii, quod est semen olusatri, * P. VIII. nardi Syriaci * P. IIII. acori * P. x. balsami seminis * P. VI. opii * P. v. erui moliti sextarii bes, scillæ coctæ pondo triens, vini Chii aut Lesbii quod satis erit. Pastilli fiunt * P. duum.

AD AVRVGINEM. CAP. XXXI.

CXXVII. AD auruginem, quod vitium arquatum quidam vocant, capreæ montanæ ſtercus arefactum & tritum, adiecta mica myrrhę, ex vini meri cyathis tribus: ſi febricitabunt, ex aquæ totidem. Item rumicis radices tres aquæ tribus heminis incoctę, donec ſextarius relinquatur, inde cyathi quatuor per triduum dantur.

AD LIENOSOS VETERES ET NOVOS IMPVBIVM PVERORVM. CAP. XXXII.

CXXIIX. Lienoſis benefacit tamaricum longè à mari collectum, & arefactum, & contuſum * P. unius aut victoriati, datum ex aqua, vel ex poſca. Prodeſt & inula arida campana eodem modo contuſa & cribrata, ex vini mixti cyathis quatuor * P. I. data. Mirificè facit & ammoniacę guttę * P. victoriati, cum cauliculis tribus rubi ex aceto datum per dies quinque. Tollit enim ex toto duritiam.

CXXIX. Potio ad lienoſos, balani qua unguentarii utuntur * P. duum, coſti * P. I. capparis radicis * P. I. hederæ nigræ baccarum * P. duum, στρεκλυμένν, quam ſiluæ matrem vocamus, * P. victoriati, galbani * P. VIII. cardami nigri, id eſt naſturtii ſeminis * P. duum & victoriati, piperis nigri * P. I. ſcillę coctę * XII. Hęc omnia colliguntur ſcilla, fiunt globuli. Dantur * P. duum vel unius, ex melle & aceto mixtis cyathis quatuor aut tribus. Eadem facit ad hydropicos bene, ex aqua mulſa urinam mouet.

CXXX. Lienosos sanat extrà impositus sinapis sextarius unus detritus, adiecto sextario uno lentis aceto coctæ. Oportet autem impositum esse medicamentum, donec dolorem pati non possint: postea folio caldo dimittantur, ut plures eos contineant dum desinat dolor, alioquin exsilient: major enim fit dolor calda tactis; postea ceratum ex rosa imponere oportebit.

CXXXI. Aliud eadem ratione impositum melius facit. Sinapis sextarius, git cyathi duo, nasturtii cyathi quatuor, myrobalani corticis cyathi quatuor, piperis cyathi duo, sinapi aceto acri pridie maceratum, deinde tritum, contusum cæteris miscetur: in panno inlitum medicamentum imponitur, fascia quamlongissima alligatur plurimum in unum commissa, quò tardius soluatur. Hoc est efficacissimum, & multorum annorum tollit duritiam. Sed post hoc si quæ reliquiæ remanserint, ammoniaco tollendæ erunt & rubo.

CXXXII. Inflatibus lienosis dare oportebit aquam, in qua candens ferrum demissum, vel lac caprinum, capra tantummodo hedera pasta. Proderit & his sinapis sicca, contusa, cerato mixta, extrà impositum & gypsum aqua conspersum, & acetum in quo tamaricum decoctum fuerit, vesica abditum, & ita extrà impositum.

AD HYDROPICOS. CAP. XXXIII.

CXXXIII. AD hydropicos, quum iam distenti sunt propter aquæ multitudinem (initiò enim alia via prodest) benefaciunt chamæleæ, quę herba est simillima oliuæ, folia quinque vel sex, etiam

etiam si arida fuerint, data ex aquæ mulsæ cyathis tribus, salis cochleario adiecto: largiter enim aquam ducit. Item squamæ æris, quam λεπίδα Græci vocant, pondo victoriati, data cum apii seminis pari pondere ex aquę mulso cyathis quatuor: plurimum autem aquæ deijcit. Datur & radicis succus ex vini cyathis tribus mixtis. Oportet verò secundum purgationem spongiis nouis totum ventrem ex aceto & sale eiusdem mensuræ diluto & inferuefacto imponere, & constringere extrà instita longa, ciboſque assæ carnis dare, cum pane azymo, fricantem totum corpus sale, oleo, paribus mensuris, vini meraci quod satis erit dantem.

CXXXIIII. Benefacit ad hydropicos hęc compositio, & maximè in initiis, quorum sufflatum corpus est, ὑποσάρκα quod Græci vocant, vitis albæ radicis * P. x x. cocci Cnidii * P. IIII. scillæ bulbi cocti detracta exteriore parte * P. x. myrrhæ * P. VIII. cymini cyathis tribus, anesi cyathis tribus, vini Falerni sextariis duobus, passi sextario uno. Præter myrrham, omnia contusa, non cribrata, macerantur passo & vino, nocte & die: postridie colatur liquor, cui myrrha trita admiscetur, à quo cyathus datus à balneo alternis diebus, singulis adiectis cyathis, donec profectus intelligatur. Oportet autem his diebus dare eis cibos assæ carnis agrestis, aut volucrum, aut vinum austerum meraculum.

ALVVM MOLLIENTIA. CAP. XXXIV.

CXXXV. QVoniam interdum res postulat & per aluum detrahi materiam, ut diutius

rius lippientibus, secundum sanguinis detractionem, scabiem, ignem sacrum, papulas habentibus, & alia eiusmodi circa cutem summam, non alienum iudicauimus horum quoque genus exponere. Sed prius exponemus quæ aluum mediocriter molliunt, simplicia quæ sunt. Mollit ergo aluum herba mercurialis lenibus oleribus quamplurima mixta: item nitri victoriati pondus cum resinæ terebinthinę auellanę nucis magnitudine deuoratur: calices quoq; eis incrustentur, additis quinque vel sex salis farrisque granis, apii seminis paribus mensuris: & is qui vinum non austerum præbiberit, quantum possit ante cibum, & inter prandium, vel cœnam, bellè aluum mollit. Item ouilli lactis sextario si quis adiiciat cnici purgati ✱ P. IIII. Mollit & ventrem quidem tribus heminis vini ut aloes victoriati pondo, vel idem pondus duobus tribusve sextariis vini, & ita totum per partes aqua mixtum bibunt. Videtur autem vinum vetustius ventremq; cum eo satis mollit. Facit autem aloë per se victoriati vel ✱ P. ex aquæ cyathis tribus frigidæ vel calidæ perductę.

CXXXVI. Purgat ergo bellè chamęlea, quę herba oliuę folia similia habet: quorum quinque vel sex dare oportet, trita ex aquæ mulsæ cyathis IIII. frigidæ, si adsuetus erit: si minus, calidæ, adiecto cochleario. Detrahit enim aquam largiter. Biles purgat, & filicis radix lota & rasa, atque in minimas particulas concisa, quantum placet aceto aspersas condito, ut solet, ita cum P. quadrante consumpta.

CXXXVII. Bene purgat & hęc compositio: Aloës victoriati pondus, colophoniæ victoriati pondus: unà teruntur

runtur, adiicitur mellis quod satis est ad colligenda ea. Datur ex aquæ calidæ vel frigidę cyathis quatuor. Hoc medicamentum stomachum non corrumpit.

GLOBVLI MIRIFICE PVRGANTES, QVI VT SVMVNTVR, ITA INTEGRI DEIICIVNTVR, NEC LAEDVNT STOMACHVM. CAP. XXXV.

CXXXIIX. Colophonię * P. VIII. bdellij * P. duum, comminis. * P. unius. Hęc trita succo lactucæ colliguntur, & finguntur pilulæ fabæ magnitudinis. Dantur paribus pilulis usque ad septem, prout uniuscuiusque vires patiuntur.

GLOBVLI QVI ETIAM COENATIS DANTVR, ET EFFICIVNT MANE DEIICI QVOD SATIS SIT.

CXXXIX. Colophonię * P. III. aloës * P. III. tragacanthi * P. duum. Hoc pridie aqua maceratur, postero die cęteris admiscetur: fiunt indeq; lobuli fabæ magnitudinis. Dantur à tribus usque ad septem, prout cuiusque vires patiuntur. Stomachum nullo modo vexant.

AD TINEAS ET LVMBRICOS NECANDOS. CAP. XXXVI.

CXL. Ad tineas necandas, eiiciendas, per triduum allium plurimum edat, & vetera tum

tum caseum mollem, secundum hoc filicis Macedonicæ contusæ, aridæ & cribratæ * P. VIII. cum melle quantum ipse voluerit consumat. Post horas quatuor detur ei aloës, & scamoniæ, singulorum victoriati P. ex aquæ mulsæ cyathis quatuor: quum cœperit desurgere, aqua calda supponatur. Licet & sine oleo pridie incœnato dare utraque medicamenta.

CXLI. Ad lumbricos satis commodè facit & sandonica herba quæ nunc viget, & cornum ceruinum limatum lima lignaria, quantum quatuor vel quinque cochlearia ex aquæ mixtorum decoctorum cyathis tribus, pridie maceratum, deinde tritum, & datum, aqua exigua adiecta.

AD PROLAPSIONEM ET LIBIDINEM NIMIAM DESVRGENDI EXTREMI INTESTINI. CAP. XXXVII.

CXLII. TEnesmos est irritatio ultimæ partis directi intestini, in quo ultimo sæpius libet desurgere sine caussa. Proderit ad hoc quoties desurrexerit, vino austerissimo & aqua calida fouere, vel verbenis & murti & oliuæ ramulis, factis ita, ut duæ partes murti sint. Quin etiam penicillum intinctum, & non nimis expressum, ex alterutro eorum ano expositum proderit habere, vel eodem modo glomus staminis albi. diutius enim vaporem continet. Perungundus erit anus specillo lycio, Patarico, vel Indico. Vel hoc collyrium iniiciendum, quod ad omnem deiectionem, & tormina benefacit: Acaciæ, mali granati corticis usti,

ſingulorum ✻ Pon. IIII. hypociſtidis, rhois quo coriarii utuntur, opii, ſingulorum pondo ſena, omphacii pondo quatuor & victoriati, croci ✻ P. IIII. vino auſtero colliguntur: fiunt collyria magnitudinis nucleorum pineorum.

AD RENIVM TVMOREM ET EXVLCERATIONEM, ETIAM SI SANGVILENTAM VRINAM FACIANT. CAP. XXXIIX.

CXLIII. AD renium tumorem, & exulcerationem, etiam ſi ſanguilentam urinam faciant, roſæ aridæ foliorum, papaueris nigri ſeminis, nucleorum pineorum paria pondera, contunduntur ſeorſum, & in unum miſcentur: inde datur quantum nucis iuglandis, ex paſſi cyathis duobus, & aquæ cyathis tribus.

CXLIV. Alia ad renium dolorem potio, quæ etiam quaſi arenam ſabuloſam detrahit. Apii ſeminis, petroſelini, aneſi, ſingulorum ✻ P. XVI. dauci ſeminis ✻ P. IIII. ſchœni ✻ P. VI. croci ✻ P. triginta duum; mellis quod ſatis uidebitur. Dantur quantum lupinus ex mellis ligula, & aquæ cyathis IIII. Ad renium tumorem & dolorem facit eadem, & ad iecinoris, & ad lienis tumorem, ad eos qui mali coloris propter hæc ſunt uitia: item aquæ mutationes. Croci ✻ P. X. nardi Indici ✻ P. duum, caſiæ ✻ P. II. coſti ✻ P. I. cumami ✻ P. unius, myrrhæ ſtactes ✻ P. unius, mellis optimi ✻ P. uigintiquinque. Dantur quantum fabæ Ægyptiæ, ex mulſi cyatho, mixto aquæ duobus, uel mulſę aquæ cyathis tribus.

CXLV. Si cui autem lapis in renibus innatus fuerit, & urinam non faciet, medicamentum his rebus fieri debet: Petroselini P. —. anesi P. — dauci seminis P. z. git P. —. cinnami P. z. schœni Pondo z. croci ɔ. v. apii seminis P. ɔ. v i. Hęc omnia tusa, creta, melle Attico despumato P. II. z. colliguntur, & medicamentum vitro condunt.

CXLVI. Ad tumorem & dolorem vesicæ, & exulcerationem benefacit aqua, in qua ferrum candens demissum est. Hoc ego traxi ab aquis caldis, quæ sunt in Tuscia ferratæ, & mirificè remediant vesicæ vitia. Appellantur itaque vesicariæ, quondam Milonis Gracchi prætorii hominis optimi ad quinquagesimum lapidem reddentis.

CXLVII. Ad tumorem & dolorem vesicæ, & ad eos qui difficulter urinam reddunt: Alterci seminis, apii seminis, maluæ seminis, cucumeris edulis seminis purgati, singulorum * P. vi. amygdalorum dulcium purgatorum, nucleorum pineorum purgatorum, singulorum * P. III. opii * P. I. croci * P. unius & victoriati, passo contusa consperguntur. Datur hoc medicamentum * P. I. ex passi cyathis duobus, & aquæ totidem.

CXLIIX. Ad vesicam exulceratam, nucleorum amygdalorum victoriati pondus, cucumeris edulis seminis purgati cyathus unus, anesi cyathus, papaueris nigri * P. IIII. Croci * P. unius, palmas cariotas p. triginta. Has macerari oportet in passi sextarium unum, atque conterere, his adiicere cætera: ex eodem dare nucis iuglandis magnitudinem ex passi cyathis tribus.

CXLIX. Ad sanguinem cum dolore per urinam reddentes: Aluminis fissi pondo uncia, tragacanthi pon-

do sextans. Tragacanthum ex alumine trito cogitur in pastillos victoriati pondo: hinc viciæ magnitudine detractum datur ex passi cyathis tribus.

AD CALCVLOSOS EXPERTA.
CAP. XXXIX.

CL. AD initia vetustáve comprimenda, & emendanda benefacit ad calculosos herba σκολοπένδριον, quam nos calcifragam appellamus, bellefacit contusa *P.I. ex aquę cyathis tribus per dies triginta: eodem modo ἱερὰ βοτάνη, quam nos vettonicam dicimus: item eodem genere datur tantum. licet autem aqua earum decocta uti cotidie ieiunum *P. unius, cum aquæ cyathis tribus.

CLI. Multos cum admiratione effectus audiui narrantes, Cai Iuli, nasci in lapidicinis bestiolas adhærentes saxis quasi verrucas: has quinque ex aquæ cyathis tribus suffundere, & per urinam extrahere lapides certum est.

CLII. Ad calculosos, cucumeris seminis, dauci, anesi, apii, petroselini, myrrhæ, singulorum *P. trium & victoriati, casiæ, daphnidis, cinnami, nardi, singulorum *P. unius, aqua colliguntur, fiunt pastilli lupini magnitudinis. Ex aqua dantur cyathis tribus per dies quadraginta. Hoc medicamentum quum componitur, pilum ligneum sit, qui contunditur, anulum ferreum non habeat. Hanc enim superstitionem adiecit Ambrosius medicus Pureolanus, qui adfirmauit multos se hoc medicamento sanasse. Detrahere autem dixit post diem

sepri-

septimum fragmina quædam lapidum quasi arenam.

CLIII. Ad calculosos, lienosos, hydropicos, urinam detrahit, lapidem extenuat: Eryngii, pyrethri, saliuncę, calcifragæ, singulorum * P. xxv. ebuli, aristolochiæ singulorum * P. oxymyrsinæ, quæ scopa regia vocatur, succo hæc omnia contusa ligno colliguntur, fiunt pastilli * P. I. Dantur autem ex aceti & mellis cyathis tribus. Calculosis illecebræ quantum manus capit, aut auriculæ murinæ idem, aut betonicæ tantundem: earum quęlibet herba ex aquæ tribus heminis ad tertias decoquitur, inde sumuntur cyathi tres, & eodem adiiciuntur vini cyathi duo, & nitri victoriati pondo, atque his dilutum medicamentum datur pondo I. per dies quadragintaquinque. In arenam soluit lapidem, & hydropicis ex mulsi mixti cyathis tribus dandum est.

AD LVMBORVM DOLOREM DIVTINVM, ET PARALYSIN. CAP. XL.

CLIV. AD lumborum dolorem, cucurbitæ siluestris floccorum, aut seminis * P. duum, brathys * P. I. salis * P. I. Fiunt catapotia melle decocto adiecto. Valentibus tota datur compositio, imbecillioribus autem dimidia. Sed manè per clysterem aluus ducenda, ouorum albis temperatum.

CLV. Ad lumborum dolorem & paralyticos, cucurbitæ syluestris * P. IIII. pyrethri * P. IIII myrrhæ * pon. duum vel unius. Dantur ex passi cyathis tribus: licet hinc catapotia fieri, dum idem ponderis deuoretur. Sed & his aluus acri clysmo manè trahenda est.

CLVI. Ad lumborum dolorem & paralyticos antidotos Hiera Pacchii Antiochi melius omni medicamento facit. Sed ad paralysin mirificè hoc acopum facit, quod oportet in sole diu fricare, aut loco flamma præcalfacto. Olei sabini * P. xxv. cucumeris siluatici recentis radicis * P. xv. Hæc radix magnitudine nucis iuglandis concisa vaso fictili nouo ex oleo coquitur, donec succum omnem remittat, & quasi arida sit: post hoc adiicitur per linteum vel colum transmisso oleo, in quo adiicitur dum calet, ceræ Ponticæ in frusta redactæ pondo libra, olei laurini pondo libra, olei Cyprini pondo libra, olei lilii pondo libra, olei veteris Pondo dua, piperis albi contusi, & per cribrum renuissimum transmissi * P. ss. pyrethri contusi, & per idem cribrum transmissi * P. unius. Hæc in unum miscentur, reponuntur vaso fictili. Facit præterea ad lumborum, & ad omnem dolorem corporis, & præcipuè neruorum. Muliebres locos durissimos mollit, quum diu aliis medicamentis nihil profectum est.

CLVII. Ad lumborum dolorem malagma quod propriè facit: Picis liquidæ sextarios duos, olei veteris sextarium unum, resinæ terebinthinæ sextarium unum, ceræ P. libram & trientem, magmatis P. bessem, aphronitri P. trientem. Coquitur pix cum oleo, donec spissa fiat, & postea adiicitur ei resina, deinde cera, & secundum hanc ex interuallo magma. Vbi habet emplastri figuram medicamentum, tollitur ab igne quum tepere cœperit, & aphronitrum aspergitur sensim, ne super fundatur quod in cacabo est.

AD

AD PODAGRAM. CAP. XLI.

CLIIX. AD podagram caldam cum feruore, & tumore rubicundo, quam caldam vocant, benefacit primis diebus herba urceolaris, item caseus mollis recens per se, postea herbæ salis pusillum admiscere oportet. Item facit apium viride per se & cum polenta. Nec minus solanum, portulaca, plantago, spongia vel Rhodia, vel Africana mollis ex aqua frigida, lana succida ex rosa & vino. Subinde autem hæc omnia mutare oportet prius quàm excalefiant. Prodest & omentum caprinum. Item faba molita cum suis valuulis ex aceto cum melle diluto conspersa & imposita. ducit enim sanguinem, & dolorem leuat. Benefaciunt & mala citria quammaximè cocta, ex aceti sextariis tribus, donec madida fiant: quibus tritis adiicitur aluminis fissi P. uncia, myrrhæ P. sextans. Benefacit & aloë aceto diluta, & per pinnam pedibus inducta. Item opium lacte muliebri dilutum. Mirificè verò hoc facit cataplasma, id est superpositum medicamentum.

CLIX. Tollit enim triduo dolorem lomenti hemina, feniculi seminis cyathi duo, polentæ tenuis cyathi duo. Commiscentur hæc in unum contusa, molita, trita, deinde consperguntur aqua pluuia: & ita temperantur, ne durum sit medicamentum, aut aquatum nimis. Impositum protinus leuat, triduo tollit dolorem. Hoc constat, si quis ter in mense inter denos dies usus fuerit, in nocte non laboraturum.

CLX. Ad frigidam podagram, quæ sine tumore & rubore.

rubore consistit, cataplasma: Piperis nigri moliti hemina, feniculi seminis contusi hemina. Coquuntur ex aqua: utraque ubi temperata sunt, adiicitur axungia suilla, & dum calet, panno spisso inducto medicamentum imponitur. Benefacit ad idem genus & lini seminis, & fœnigræci seminis, farinæ ordeaceæ, singulorum bini sextarii, cribrati in unum commiscentur: inde coquere oportet quod satis erit ex aqua & oleo: subinde calidum cataplasma etiam imponere. Ad hos benefacit & hibisci radix ex aqua mulsa cocta & imposita: item sabucum cum axungia vetere tritum & impositum. Adiectus & brassicæ cinis cum axungia, vel semen caulium. Vbi autem impetus cessauerit & in hoc & in priore genere podagræ, calda aqua marina diu fouendi sunt: vel, si hęc non erit, aquæ puræ feruenti salem adiicito, post epithemate uti oportet, quod ad parotidas scriptum est. Tollit enim citò reliquias per sudores, & in futurum confirmat neruos, nec patitur facilè vitiari.

CLXI. Scio quendam hoc quasi acopo medicum usum in noctem, nec postea tentatum podagra, quum antè diu esset vexatus. Lanam succidam pondo libra, vini veteris sextario diu lauabat: deinde expressam reiiciebat: vino autem residuo adiiciebat aphronitri usti pondo sextantem, olei veteris pondo libram: reponebat in oleario fictili: utebatur, ut superius dixi, in nocte. Multis profuit ad corpus in duplici calceo pellem caninam habere.

CLXII. Ad utramlibet podagram torpedinem nigram viuam, quum accesserit dolor, subiicere pedibus oportet, stantibus in littore non sicco, sed quod alluit mare,

re,

re, donec sentiat torpere pedem totum & tibiam usq; ad genua. Hoc & in præsenti tollit dolorem, & in futurum remediat. Hoc Anthero Tiberii libertus supra hæreditatés remediatus est.

GENERA MEDICAMENTORVM, ET DEMONSTRATIONES SERPENTVM ICTVS, MORSVSQVE. CAP. XLII.

CLXIII. VT sis tutus, etiam si quando rus secesseris, ponam theriacarum compositiones, id est ad serpentum morsus, atq; ictus medicamenta. Sed prius quæ cognita habui remedia, ne cui serpentes noceant, dicam. Habere ergo incinctum oportet peucedanum, vel cerui quum captus est, in oculi angulo, qui est ad nares versus, quæ inueniuntur sordes virosi odoris. has Siciliæ venatores diligenter colligunt, & habent in cincto propter ante dictam causam. Idem præstat & hiera botane, & trifolium acutum, quod ὀξυτρίφυλλον Græci appellant: nascitur & hoc Siciliæ plurimum. nam in Italiæ regionibus nusquam eam vidi herbam, nisi in Lunæ portu, quũ Britanniam peteremus cum deo nostro Cæsare, plurimum super circundatos montes. Est autem foliis & specie & numero similis communi trifolio, nisi quod huius pleniora sunt, & quasi lanuginem quandam super se habent, & in extrema parte velut aculeum eminentem. Sed huius frutex duorum pedum interdum, aut etiam amplior conspicitur, & odorem grauem emittit, quorum nihil circa pratense trifolium inuenitur. Sed utrasq; superius dictas herbas, quas quum inueneris pri-

die notare oportet, & circumſcribere ſiniſtra aure fruges aliquas ponentem, atque poſtero die ante ſolis ortum ſiniſtra manu vellere, ita illigatas habere.

CLXIV. In Africa, aut ſicubi ſcorpiones ſunt noxii, ſtellionem aridum incinctum oportet habere.

Theriace prima.

CLXV. THeriace facit ad omnium ſerpentium morſus, & ictus, & adflatus. Mitificè eadem prodeſt & ad contuſiones, & ad conuulſiones interiorum partium, lateriſque ex qualibet cauſa, & pectoris dolores. Vitis albæ radicis pondo octo, trifolii acuti ſeminis, quod & ipſum in extremo aculeum habet, vel eiuſdem radicis trepondo, panacis P. IIII. terræ mali * P. V. rori marini radicis * P. IIII. laſeris * P. IIII. gingiberis * pond. IIII. rutæ ſiluaticæ * P. ſex. cumini Thebaici * P. III. myrrhæ * pond. III. cumini Æthiopici * P. V. caſtorei * P. III. eryngii radicis * P. III. ſerpylli * pond. III. erui albi ſeminis moliti * P. XII. Chio vino conſperguntur contuſa ac trita: fiunt paſtilli * pond. unius, aut victoriati. Dantur ex vino mero vetere, vel ex mixto, vel aqua: quæ ſi non fuerint, per ſe commanducandus erit paſtillus & deuorandus.

Theriace ſecunda.

CLXVI. ALter paſtillus ad eadem facit: Cinnami * P. IIII. ſerpylli * P. IIII. ſtaphiſagriæ, quam herbam pediculariam quidam vocant, quòd pediculos

culos necat, à quibus hoc nomen trahit, seminis * P. III. & victoriati, piperis albi * P. VI. peucedani lactis * P. VIII. & victoriati, glycysidæ nigræ seminis, quam pæoniam Græcorum quidam appellant, * P. unius & victoriati, terræ mali * P. trium, nasturtii seminis * P. IIII. cachryos * P. duum & victoriati, castorei * P. duum, saliuncæ * P. quinque.

Hic nonnullæ desunt compositiones: Theriace tertia ad aspidem, Theriace ad viperæ morsum propriè, Antidotos Zopyri, & media pars antidoti Mithridatii, quarum aliquæ hîc ex Galeno secundo antidotorum restituuntur à Io. Ruellio.

Altera Theriace etiam ad aspidem.

CLXVII. ANtidotos altera ad aspidis morsum siue præsumta, siue pòst data: gentianæ * P. IIII. trifolii * P. IIII. seminis eiusdem * P. duum, polii * P. IIII. mali terræ * P. duum, peucedani radicis, galbani, singulorum * P. duum, petroselini * P. IIII. rutæ siluaticæ * P. trium, pyrethri * P. unius, herbæ pedicularię, quam vocant σταφὶς ἀγρία, tantundem, maceris * P. III. vitis albæ radicis * P. duum, piperis candidi tantundem, ammoniacæ guttæ * P. unius & victoriati, acori * P. III. verbasci, aiugæ Idææ, chamælęę, marrubii tenuis, conyzæ minoris, cumini Æthiopici, lacrimę papaueris, castorei, fœniculi seminis, agarici, casię rufę, schœni, id est iunci odorati floris, radicis Ponticę, singulorum * P. II. dauci Cretici * P. I. & victoriati, opopana-

cis tantundem, sagapeni ✱ P. II. & victoriati, abrotoni ✱ P. I. & victoriati, styracis, dictamni, singulorum ✱ P. unius & victoriati, cinnamomi, nardi, singulorum ✱ P. III. myrrhæ ✱ P. IIII. thuris ✱ P. unius, croci ✱ P. VIII. anesi ✱ P. unius, Cyrenaicæ lacrimæ ✱ P. I. hinnuli coaguli ✱ P. III. mellis Attici, quod ad ea excipienda satis sit: inde sumitur nucis abellanæ tuberculo. Sic præsumta à morsu tuetur. Hæc compositio ad Antipatrum autorem refertur.

CLXIIX. Ad viperæ morsum propriè.

Non restituta.

CLXIX. Antidotos Zopyri ad letalia venena & omnem serpentis ictum efficax, ratio componendi hęc est: Opobalsami ✱ P. trium, nardi Indicę, myrrhę, troglitidis, iunci rotundi floris, cinnamomi, characię, costi recentis, piperis longi, hypocistidis, piperis nigri, scordii, meu Crerici, cardamomi, singulorum ✱ P. IIII. thuris masculi, opobalsami, dictamni, singulorum ✱ P. VI. petroselini, casię rufę, singulorum ✱ P. VII. croci Coricii ✱ P. VIII. mellis Attici quod ad ea colligenda satis sit. Datur abellanę nucis magnitudine, si febris absit, ex vino, febricitantibus ex aqua mulsa. Prodest etiam sanguinem exscreantibus, cœliacis, iocinerosis, lienosis, & renum dolore vexatis: emortuos fœtus & secundas hęrentes trahit.

CLXX. Antidotos Mithridatis recipit hęc: Meu ✱ pon. duum, lacrimę papaueris pondo victoriati, styracis ✱ P. VIII. po[illegible], casię nigrę, seselis, bdellii, piperis albi, singulo-

gulorum * P.v. & victoriati, hypociſtidis ſucci, myrrhę, thuris maſculi, caſtorei, piperis longi, cyphis, malobathri foliorum, ſingulorum * P. vi. ſcordii, coſti, ſingulorum * P. vi. & victoriati, nardi Syriaci * P.vi. dauci Cretici * P. vi. & victoriati, croci, cinnami, gingiberis, ſingulorum * P. vi. ſucci radicis dulcis, agarici, ſingulorum * pond. vii. & victoriati.

Hæc defuerant in compoſitione: ſequentia in ponderibus & menſuris & effectibus Mithridatis compoſitioni, quæ eſt apud Galenum citato loco, conſentiunt.

Acori * P. duum, phu * P. i. ſagapeni * P. ii. iris Illyricæ * P. ii. balſami ſeminis * P. duum, rutæ ſiluaticæ * P. ii. gentianæ * P. ii. aneſi * P. trium, thlaſpis * P. vi. & victoriati, roſę aridę * P. iiii. myſi * P. iiii. acaciæ * P. trium, commis * P. duum, cardamomi * P. ii. ſchœni floris * P. vi. & victoriati, opopanacis * pondo ſex, opobalſami * pond. ſex & victoriati, galbani * pon. ſex, & victoriati, reſinę terebinthinę * P. ſex & victoriati, rubricę Lemnię * P. vii. melle Attico & vino Chio conſpergito, donec habeat ſpiſſitudinem mellis. Reponitur vitreo vaſe. Dandum autem eſt his qui malum medicamentum ſumſerunt fabę Ægyptię magnitudine, ex vini meri, ſi poterit, cyathis ſex: ſin minus, mixti meracius cyathis quatuor cotidie. Et à ſerpente læſis danda erit. Ex mulſo autem, quorum iecur durum eſt, aut arquati ſunt, & quibus alioquin urinam mouere ſtudemus. Sed fabę noſtratis magnitudinis tuſſientibus, oculis laborantibus, latus dolentibus: cęterum magnitudine ciceris cœ-

lia-

liacis. Prodest enim & his viciç magnitudo ante accessionem febrium, tetanicis, opisthotonicis, spasmo correptis. Adiuuat enim eos lupini magnitudine, sed cum aquç cyathis tribus.

ANTIDOTVS APVLEI CELSI.
CAP. XLIIII.

CLXXI. Antidotus Apulei Celsi præceptoris, quam quotannis componebat, & genere quodam publicè mittebat Centuripas, unde ortus erat, quia in Sicilia plurimi fiunt rabiosi canes. Facit enim ad horum morsum protinus quidem data per dies triginta, ita ut aquæ id est liquoris timore nunquam tentetur: qui quum accidit, summo cruciatu ad mortem eos compellit, quos ob antè dictam causam ὑδροφόβους Greci appellant. In ipsa autem correptione uti oportet ea, data cum rosę cyathis tribus & exigua aqua * P. I. Hoc proficit, ut aquam postea sine timore sumant, & minus quidem liberati hac difficultate crucientur. Cæterum nemo adhuc correptus hoc malo, quantum ego scio, expeditus est. Quanquam peruenit ad me opinio, esse in insula Creta barbarum quendam naufragio appulsum, maiorem natu publicè mercedem accipientem. Quinetiam quum liquore timent, & latratus edunt, spasmoq; vexantur: remedium, brachio sinistro alligato efficere, ut & potionem accipiant, & liberentur vitio: quod adhuc ante antidotum Celsi inter omnes quasi insanabile constitit.

CLXXII. Hoc ego quũ quærerem ab hospite meo legato inde misso, nomine Zopyro, Gordiense medico, quid

quid esset pro magno munere accepi. Dixit autem hyæ-
næ corii particulam esse panno inligatam: quod ego adhuc non sum expertus, quamuis protinus magna cura hyænam inuenerim, & pellem paratam habeam: quia non incidit ex eo quisquam, & opto quidem ne incidat: sed quia id non est in nostra potestate, si casu inciderit, remedium habere oportet ad tantæ rei experimentum. Antidotus autem Celsi hæc recipit.

CLXXIII. Nardi Syriaci, croci, myrrhæ, costi, casiæ, cinnami, schœni, piperis albi, piperis longi, castorei, galbani, resinæ terebinthinæ, opii, singulorum * P. III. alterci albi * P. II. anesi * P. I. apii seminis, tragacanthi, singulorum, * P. sex, mellis Attici sextarium unum, vini Falerni unciam. In hoc maceratur tragacanthum & opium pridie: postero die contusis cæteris, miscentur in melle galbanum & resina, fictili patella super carbones imposita resoluuntur: deinde arida asperguntur, & si opus est adiicitur mel: & ut cerati teneri spissitudinem habeant, & rursus patella super ignem imponitur, mouenturq; quæ sunt in ea spatha fraxinea. Coquitur medicamentum, donec crocinum habeat colorem: ultima quæ sunt vino macerata adiiciuntur: vase vitreo antidotus reponitur. Datur fabæ Ægyptiæ magnitudine ex aqua. Facit autem etiam ad stomachi omne vitium, & præcipuè quod cum fluore consistit. Facit & ad oculorum epiphoras, & ad tormina, & ad coli inflationem, iecinoris, pectoris dolorem, tussienteis, aduersus mala medicamenta omnia, serpentium morsus vel ictus. Oportet autem locum morsum à rabioso cane, vel à serpente diu tenere in exulcerationem: neque pati cicatricem ducere,

cere, ut virus illa pertrahatur.

CLXXIV. Extrà itaque ea sunt imponenda, quæ etiam sana corpora exulcerant, ut allium, lepidium, chelidonium, batrachium, sinapis, scilla, cepa cum aceto. Optime facit & per se caprifici liber per se contritus & impositus ulceri. Item laser per se.

COMPOSITIO EMPLASTRI. CAP. XLIV.

CLXXV. Emplastrum antidotum, sed multo magis emplastri huius vis facit, quod Augusta propter huiusmodi casus habuit compositum, & multis profuit. Accepimus à Triphone præceptore nostro: Iris Illyricę * P. v. castorei Pontici * P. v. caprificus lactis aridi * P. v. canis nigri adipis * P. VIII. eiusdem sanguinis * P. x. resinę terebinthinę * P. VIII. leporis coaguli * P. IIII. salis Ammoniaci * P. duum, laseris Syrenaici * P. duum, aut Syriaci * P. IIII. cerę Ponticę * P. XXXVI. olei veteris cyathi duo, aceti scillitis cyathi tres. Arida ex aceto teruntur: quę liquefieri possunt, oleo ad ignem liquefacto miscentur, mortario tritis & temperatis in mellis spissitudinem. Vitreo reponitur.

ANTIDOTVS CASSII. CAP. XLV.

CLXXVI. Antidotus Cassii medici facit aduersus toxicum potum. Eadem si quis venenato telo percussus est. Pręterea ad omnis serpentis morsus aut ictus. Pręcipuè ad canis rabiosi morsus, bis

die

die sumta * P. unius, ex aqua mulsa. Facit ad pectoris & lateris dolorem, & tussim, & omnia interanea inflatione, alioque dolore, aut quouis correpta. Nardi spicæ Syriacæ * P. III. costi * P. III. cinnami, gentianæ, casiç, myrrhæ, singulorum * P. trium, croci * P. trium, uvæ passæ purgatæ * P. duum, schœni * P. duum, opobalsami * P. duum, mysis, dauci, singulorum * P. duum, cumini Æthiopici * P. duum, acori * P. IIII. & victoriati, asari * P. unius & victoriati, petroselini * P. unius & victoriati, piperis longi * P. I. & victoriati, piperis albi * P. unius & victoriati, phu Pontici seminis * P. trium, rapæ seminis * P. IIII. nardi folia * P. III. scillæ victoriati * P. pondus, fœniculi seminis * P. IIII. mellis Attici quod satis erit, ad venenum & ad serpentes, ex vino: ad cæteros dolores interaneorum, ex aqua.

ANTIDOTVS MARCIANI MEDICI.

CAP. XLVI.

CLXXVII. Antidotus Marciani medici, cui quia nihil deest, τελεία dicitur Græcè, id est perfecta. Facit ad omnia hæc vitia, ad quæ superiores antidoti omnes. Hoc Augusto Cæsari cōponebatur. Cinnami * P. VIII. amomi * P. VI. casiæ nigræ * P. XXV. croci * P. XVI. schœni * P. V. thuris * P. V. piperis albi * P. II. myrrhę * P. X. piperis longi * P. X. nardi Indicæ * P. X. S. nardi Celticæ * P. XVI. rosę aridę * P. VI. costi albi * P. dūū, opobalsami * P. IIII. laseris Cyrenaici victoriati pōdus, vel Syriaci * P. I. stœchados * P. VI. gentianę * P. V. trifolii acuti rad. * P. IIII. vel eiusdē sem. * P. III. scordii * P. X. polii * P. V. asari * P. II. acori * P. III. phu * P. III. misy * P. II. dictāni * P. XII.

ammoniaci guttæ * P. trium, agarici * P. duum semis, balsami seminis grana p. xx. petroselini * P. VI. & victoriati, rutæ siluaticæ * P. trium semis, fœniculi seminis * P. trium semis, dauci Cretici * P. IIII. anesi * P. duum, cumini Æthiopici * P. duum, rapæ seminis * P. V. & victoriati, napi siluatici seminis * P. trium, anatis fœminæ recentis * P. II. anatis masculi sanguinis aridi * pond. III. hœdi masculi sanguinis aridi * P. III. testudinis marinæ sanguinis aridi * P. VI. S. anseris masculi sanguinis aridi * P. III. mellis Attici quod satis erit. Facit ad omnia: hæc ego composita habeo.

CLXXIIX. Quoniam antidotos, quas optimas sciuimus, posui in facientibus ad omne malum vitium, aliud medicamentum etiam ex multis rebus, simplicia quoque medicamenta, & propria remedia monstraui. Interdum enim hæc melius aduersus quædam, quàm antidotos faciunt. Trademus autem singulorum malorum medicamentorum epotorum signa, quò facilius intelligatur, quid quisque sumserit, & qua ratione adiuuari debeat.

AD CICVTAM. CAP. XLVII.

CLXXIX. Cicutam ergo potam caligo, mentisque alienatio, & artuum gelatio insequitur, ultimoque præfocantur qui eam sumserunt, nihilque sentiunt. Adiuuari autem debent in initiis vino mero subinde quamplurimo caldo, & per se, & cum pipere, & cum styrace poto. Atqui maximè prodest lac asininum datum: si minus, vaccinum, aut quodlibet. Oportet autem & aluum acri clustere ducere eorum, & extra super

ventrem imponere farinam ordeaceam, vel triticeam coctam ex vino caldam.

AD OPIVM. CAP. XLIIX.

CLXXX. Opium potum, quod quidam meconium vocant, ab odoris grauitate intelligitur. papaueris enim viridis, cuius succus est, qualitatem repræsentat. Facit autem capitis grauitatem, gelationem, & liuorem artuum, sudoresque frigidos manare. Præterea spirationem impedit, mentem soporat, sensusque abalienat. Adiuuari porrò debent qui biberunt aqua cum oleo in vinum admixtis, sæpius datis, & frequenter reiectis per pinnam aut lorum vomitorium. Prodest & vini cyathus, & passi & olei cyathus eadem ratione datus. Item vinum & acetum pari mensura datum ex aqua mulsa cum rosa eius mensuræ, ita ut ista subinde cogantur reiicere. Præterea caput rosa & aceto sine intermissione curetur, eorumque pedes adsiduè fricentur manibus siccis, aut linteo aspro inuolutis. Prodest & sinapi ex aceto tritum, circundatum pedibus cruribusque, & à somni tempore prohibere ne obsopiantur.

AD ALTERCVM. CAP. XLIX.

CLXXXI. Altercum, quod Græci ὑοσκύαμον vocant, qui biberunt, caput graue venisque distentum habent, mente abalienabuntur cum quadam verborum altercatione; inde enim hoc nomen herba trahit altercum: postea sopiuntur, & omni sensu carent,

liuescentibus membris eorum. Adiuuantur autem lacte poto asinino quamplurimo, vel quolibet alio recenti per se, vel decocto. Sed ii prius aqua mulsa sæpius pota cogantur per pinnam reiicere. Opio læsi similiter curentur.

AD GYPSVM. CAP. L.

CLXXXII. Gypso poto stomachus, venterq; dolore vasto urgetur, frigidus sudor subsequitur, oculi sanguilenti conspiciuntur, urina alba redditur, concrescit in aliqua parte ventris quod potum est, & tactu quasi saxum percipitur. Adiuuari autem debent, qui his malis vexantur, lixiuio è sarmentorum cinere facto quamplurimo poto: item aqua thymum aut origanum decoctum habente.

AD SPVMAM ARGENTI. CAP. LI.

CLXXXIII. Spuma argentea pota, quam Græci λιθάργυρον dicunt, ventris infert grauitatem, inflammationem, postea dolorem cum urinæ difficili exitu: procedente tempore, coloris quidem quasi plumbei fiunt: præcipuè hæc deformitas circa faciem deprehenditur. Suppurant autem plurimæ partes eorum. Adiuuantur secundum reiectionem aqua mulsa, acrique curatione, pipere, myrrha, apii semine, pondere pari in unum mixtis, ex eoque medicamento * P. unius dare cum vini cyathis tribus quatuorue cotidie potis.

AD CERVSSAM. CAP. LII.

CLXXXIV. CErussa, quam Græci ψιμμύθιον vocant, qui biberunt, facilè deprehenduntur. linguam enim albam habent, commissurasque dentium albicantes: præterea nauseant, reiiciunt poto medicamento, caligant, magis magisq; vertigine quadã urgentur: postea spiritus via intercluditur, & præfocantur. Adiuuantur autem post vomitum ab oleo, vel ab aqua mulsa, cremore ptisanæ caldo largiore accepto, sed bene uncto. Item lacte cum melle poto. Facit & malua discocta, concisa, sale & oleo pipereque condita, & pro sorbitione data per se, vel cum urtica, herbaque mercuriali. Prosunt & nucleorum persicorum interiora ex vino trita atque pota quamplurima. Item lixiuia calda ex cinere sarmentorum facta.

AD CORIANDRVM. CAP. LIII.

CLXXXV. COriandrum datum apparet quidem ab odore spirationis totiusque corporis. Redolet enim & hoc herbam ut infectum. Intelligitur autem ex gustu. Facit porrò raucitatem, & mentem mouet. Adiuuari autem debent qui biberunt, ex vino mero atque plurimo, vel aqua marina, vel muria dura pota: item ouis anserinis sorbilibus plurimum salis habentibus, vel iure gallinaceo, agninoue quampinguissimo, & salsissimo per se poto.

AD LEPOREM MARINVM. CAP. LIV.

CLXXXVI. LEporis marini gustus non absimilis illotis piscibus, aut etiam putentibus. Qui sumserunt autem, stomacho vesicaque adficiuntur, ita ut urinam quidem difficulter, & cum dolore, purpureique coloris reddant. Stomacho item tento & dolenti sunt, auersoque ab omni esca, præcipuè pisce. Nauseant præterea & subinde reiiciunt spumosa, interdum biliosa aut sanguilenta, & maximè quum simulauit, aut nominauit aliquis piscem. In somnis littoris pulsi fluctus videntur subinde audire. Oculi eorum exulcerantur, genæ inflantur. Coloris mali, & veluti plumbei fiunt, minutatimque per tabem quasi phthisici consumuntur. Adiuuari autem debent hoc malo circumuenti lacte muliebri, vel equino, vel vaccino, aut asinino quamplurimo cotidie per se, aut cum melle sumto. Prodest & maluæ sorbitio benè uncta & salsa. Item prosunt malorum Punicorum grana adsiduè data. Benefacit & pix cedria, si quis inde bina ternaue cochlearia eius sumserit per se, vel ex passi cyathis duobus tribusue. Item benefaciunt iuniperi tritæ quamplurimo cum passo, aut per se datæ.

AD SALAMANDRAM. CAP. LV.

CLXXXVII. SAlamandra quibus data est, lingua exasperatur, corpus inualidum fit: præter hoc torpet rigoribus quibusdam & liuoribus quasi

quaſi maculis variatur. Adiuuari autem debent, quibus impacta eſt, melle quamplurimo per ſe, vel cum reſina ex pinu, cuius etiam tenera folia cum herba, quam Græci χαμαιπίτυν appellant, decocta ex aqua mulſa proſunt. Item lini ſeminis farina ex aqua mulſa ſumta quamplurimum bene adiuuat.

AD ACONITVM. CAP. LVI.

CLXXXIIX. Aconiti guſtus eſt auſter atq; ſubamarus. Potum autem protinus facit corpus graue & diſplicens. Mordet autem ſtomachum, & cor adficit: itaque ſudor eueſtigio inſequitur multus & frigidus, maximè circa oculos & frontem apparet. Inflantur inteſtina, & venti plurimum emittunt, qui biberunt, capitiſque dolorem habent cum vertigine quadam adſiduè quidem, ſed præcipuè cum ſe è lectulo leuare conantur. Proprium eſt autem huius mali medicamenti protinus liuidos articulos & artus facere. Sed adiuuantur facilè qui id ſumſerunt ruta quamplurima pota cum vino: item iure gallinæ pinguis vel bubulæ. Prodeſt & his vinum chamæpithyn decoctam in ſe habens, item acetum melle mixtum, in quo ferri ſtercus, quod σκωρίαν Græci vocant, uſtum, prius inferu eſcat ſæpius, & ita detur. Item proficit abrotoni pondo ſextans ex vino datum, & origani pondo ſextans eodem modo datum. Præcipuè autem adiuuabit, ſi quis coagulum leporis, hinuli, & porci in unum miſcuerit, & dederit ex vini hemina aut cyathis tribus. * P. I. vel victoriati pondus.

AD CANTHARIDAS. CAP. LVII.

CLXXXIX. Cantharides gustum & odorem similem pici è cedro factæ habent. Potæ stomachi dolorem, morsusque excitant, præcipuè vesicæ. Quamobrem qui biberunt eas, difficulter urinam & cum sanguine reddunt, exulcerata scilicet vesica: præterea animo subinde linquuntur deficiuntque. Adiuuantur autem quum sæpius reiecerunt, passo cum oleo poto vel omni lacte, sed debent plurimum eius sumere. Item prosunt eis nuclei pini per se sumti, vel ex aqua mulsa, aut ex passo triti & dati. Item cucumeris semen purgatum, & lini semen ex passo datum. Adiuuat bene & ius pingue agninum, vel ex bubula factum, & farina triticea pultis more cocta, plurimum anserini adipis habente. Prodest & Samię cretę ✻ P. IIII. cum passi cyathis quatuor mixtisque aqua datum. Item oleum irinum ex ruta tritum & potum.

AD BVPRESTIM. CAP. LIIX.

CXC. Bupestis gustus est nitri similis. Facit autem tumorem stomachiq; infinitum dolorem, & inflat totum corpus in speciem hydropici. Adiuuantur aqua ficus aridę decoctę, & ipsa ficu plurimum sumta: item passo plurimum & lacte muliebri, & iure suillo pingui accepto, & nitri ✻ P. IIII. cum aquę hemina dato, & cæteris quę supra ad cantharidas scripta sunt.

AD DORYCNION. CAP. LIX.

CXCI. Dorycnion gustum quidem habet lactis, potum verò singultus crebros facit, & vomitus frequenter concitat. Reiiciunt autem ab stomacho ramenta, quæ etiam simillima torminosis, subindeque animo deficiuntur. Adiuuari autem debent læsi eo, lacte asinino, equino, bubulo, conchyliis omnibus crudis atque decoctis.

AD IXIAM. CAP. LX.

CXCII. Ixia, quam quidam chamæleonta vocant, odorem habet, quum sumitur, ocymi: posta autem linguæ tumorem facit. Mentem abalienat, ventremque & omnes naturales exitus supprimit. Adiuuantur autem læsi ab ea absinthio poto cum vino. Item castorei * P.II. dato ex vino cyathis quatuor, & rutæ fruticibus quinq; vel sex. Facit bene & chamælea * P.trium, ex vini cyathis tribus aqua mixtis, nec minus radix laseris ex vino data. Tragoriganum eodem modo datum.

AD EPHEMERON. CAP. LXI.

CXCIII. Ephemeron potum protinus quidem totum os prurire facit velut scilla tactum, postea etiam adurit quasi pipere manducato: secundum hæc quoque stomachum mordendo exulcerat: atque qui id biberint, primùm ab ore sanguinem exspuunt, deinde

ex ſtomacho cruorem reiiciunt, poſtea per ſellas, & iam abundantius eundem deiiciunt. Adiuuabuntur autem læſi ab eo polygonii ſucco quamplurimo per ſe poto, vel arido trito pondo libræ, dato cum aqua. Præmacerantur autem mala cydonia, aut vitis capreoli, aut myrti baccæ, aut eiuſdem folia.

AD TOXICVM. CAP. LXII.

CXCIV. Toxicum cuius ſit guſtus haud facilè quiuis dixerit. Verum quum potum eſt, eueſtigio ciet dolorem omnium interaneorũ infinitum, & velut telo traiectorum, concitatque mentis furorem, cogitque exululare, & palpitare lingua ſimiliter decollatorum capitibus. nihil enim poteſt intelligi ex voce eorum. Adiuuantur autem qui id biberunt roſa pota, aut oleo irino, coactique frequentius reiicere. Item aluo acri clyſmo ſæpius ducta, poſtea paſſo, lacte, & antidoto Mithridatio.

AD PHARICVM. CAP. LXIII.

CXCV. Pharicum & ipſum dicitur ex compluribus componi, guſtumque habere nardi. Potum autem facit ſpaſmon, citò exanimat. Adiuuantur verò læſi ab eo ſaliunca, id eſt nardo ſilueſtri quamplurima ex vino ſæpius data. Item oluſatri radice aut ſemine ex vino dato. Benefacit & hoc medicamentum: galbani puri * P. duum, myrrhæ * P. unius cum paſſi cyathis quatuor datum * P. I. & hoc etiam ad omne medicamentum facit.

AD TAVRI SANGVINEM. CAP. LXIV.

CXCVI. TAuri sanguinis potum quamuis quis difficilè cælauerit, hunc tamen vestigia cruoris relicta inter dentium commissuras produnt. Nauseant autem & præfocantur qui biberunt, quum gelatur. Sed adiuuantur aceto calido sæpius poto & iniecto per se, vel cum nitro laserisue radice.

AD LAC POTVM. CAP. LXV.

CXCVII. LAc potum & gelatum odore spirationis (si non confitebitur qui laborat) cognoscetur: præfocantur autem & hoc homines. Adiuuari autem debent qui ab ea laborant, menta quamplurima sæpius sumta. Item coagulo agnino, leporino, porcino, victoriati pondere ex aqua bis terue dato. Prodest & laseris radix cum posca, & aluus acri clysmo ducta.

AD FVNGOS. CAP. LXVI.

CXCIIX. FVngis venenatis quum quis laborat, primum nauseat, nec quicquam magnopere reiicit: postea stomachum ventrisque & præcordiorum infinitos habet dolores, manant sudores frigidi per artus, qui & ipsi gelantur celetrimè, nisi citò succurratur. Adiuuantur autem radice ea quam nos edimus, acri quàmplurima per se, vel cum sale manducata, eiusque semine, si ipsa non fuerit, poto ex vino. Item ruta ex aceto trita

O 2 &

& pota proficit. Nec minus lixiuia cineris ex sarmentis pota. Adiuuat & nitrum aceto dilutum & datum: eodemque modo æris flos datus, & mel cum aceto dilutum quamplurimum deuotatum. Oportet autem & oleo antè multo poto cogere eos reiicere quantumcunque potuerint, & eodem caldo subinde artus perunctos expressius fricare.

AD IRVDINEM. CAP. LXVII.

CXCIX. IRudinem, quam quidam sanguisugam vocant, deuotatam, & adhærentem faucibus, eoque ipso molestiam, titillationemque quandam præstantem, excutere oportebit aceto quamplurimo epoto per se, vel cum sale, aut nitro, aut lasere. Idem faciunt & niuis glebulæ quamplurimum deuoratæ.

Medicamentorum malorum non nocet nominum, aut figurarum notitia, sed ponderis scientia. Hanc porrò medicus nec quærere, nec nosse debet, nisi diis, hominibusque inuisus meritò esse vult, & contra ius, fasque professionis egredi. Illas autem figuras, dico, & nomina necesse est ei scire, ut & ipse deuitet, ne per ignorantiam aliquam sumat, & aliis idem præcipere possit: hoc enim proprium est Medicinæ, & illud exsecratissimi pharmacopolæ contrario oppositi virtuti eius, ut & in cæteris artibus animaduertitur. nulla enim est, quæ non habeat aduersantem sibi sua specie similitudinis malignam professionem.

AD

AD SVSPICIONEM MALI MEDICAMENTI. CAP. LXIIX.

CC. QVoties autem suspicio mali medicamenti accepta fuerit, primum assumere oportet quæ nauseam faciunt, vel oleum per se, vel cum aqua, & reiicere: deinde ea quæ ventrem molliunt, tanquam lac, album ius pingue & salsum, chamæleam non cessantem iniicere clystere. Postea remedia propria ad singula quoque & antidotos sumere.

Implicitas Medicinæ partes inter se & ita connexas esse constat, ut nullo modo diduci sine totius professionis detrimento possint. Ex eo intelligitur, quod neque chirurgia sine diætetica, neque hæc sine chirurgia, id est, sine ea parte quę medicamentorum utilium usum habent, perfici possunt: sed aliæ ab aliis adiuuantur, & quasi consumantur. Itaque quamuis ex magna parte ad diætæticos pertinentes compositiones iam exhibuerimus, tamen quasi claudicat & vacillat hic liber, nisi eas quoque compositiones, quæ ad chirurgos pertinent, posuerimus, quarum initium ex emplastris faciemus.

EMPLASTRVM TRIPHONIS. CAP. LXIX.

CCI. EMplastrum chirurgi Triphonis subuiride, quod facit quum vulnus ita actum est, ut os lædatur, vel frangatur, pręcipuè caluarię, κεφαλικὴ ideo à Græcis dicitur. Idem si os scabrum, aut putre vetustate

vitii factum est, expurgat & educit, quantum eius alienum est. Facit præterea ad canis morsum, & ad ulcus recens molle. Squama æris Cyprii * P. XII. thuris * pond. VI. ammoniacæ guttæ * P. sex, resinæ pituinæ, id est, ex picea arbore * P. X. S. resinę terebinthinę * P. VI. adipis vituli pon. quadrans, cerę pond. triens, olei P. semuncia, aceti cyathus unus & dimidius: acetum intritum consumatur ad omnia quę teri debeant, dum leuia habuerint mellis spissitudinem: cera, & utraque resina cum adipe purgato & oleo liquescant, & incoquantur, donec habeant spissi cerati temperaturam, feruentia superfundentur rebus quæ sunt in mortario minutatim, & pistillo subinde dum calet, & permiscebuntur. Atque ita dum definit feruere, emplastrum manibus subigetur, & redactum in rotundas ampliores, quas magdalidas dicunt, reponetur.

EMPLASTRVM MEGETIS CHIRVRGI. CAP. LXX.

CCII. Emplastrum Megetis chirurgi subuiride ad eadem facit. componitur similiter: accipit hæc: Squamæ æris Cyprii * P. XXV. ammoniaci guttæ * P. vigintiquinque, terrę mali, quod ἀμπελῖτιν Greci dicunt * P. viginti, iris * P. viginti, aluminis fissi * P. viginti, myrrhę * pond. XXII. resinę terebinthinę * P. quatuor, pituinę resinę * P. IIII. adipis taurini * P. IIII. cerę * pond. quatuor, olei veteris sextarium unum, aceti acris sextarios IIII. Componitur hoc medicamentum cum Caniculę sidus oritur, teritur in sole donec acetum omne consumatur.

tur. In quibusdam hoc emplastrum efficacius, in quibusdam superius positum, inuenitur.

EMPLASTRVM VIRIDE TRIPHONIS CHIRVRGI. CAP. LXXI.

CCIII. Emplastrum viride Triphonis facit ad vulnera recentia, quo utebatur etiam in gladiatoribus, coloris boni εὐχρόου ideo etiam appellabat. Recipit hęc: ęris usti pondo sextantem, aluminis rotundi P. sextantem, salis ammoniaci Pon. sextantem, thuris pollinis P. sextantem, ęruginis rasę P. trientem. Hęc teruntur ex aceto aliquot diebus, postea cerę pondo dua, resinę frictę pondo dua, cum olei veteris pondo dextante, liquefacta ab igne mortario superfunduntur, & mixta manibus subiguntur.

EMPLASTRVM VIRIDE TRASEAE CHIRVRGI. CAP. LXXII.

CCIV. Emplastrum viride Trasęę chirurgi ad recentia ulcera minus acre: ęris usti * P. duodecim, salis ammoniaci * P. nouem. Hęc terere aceto per aliquot dies oportet, donec viridis color appareat, postea adiicere aluminis fissi * Pon. VII. Vbi iam omnia leuia facta fuerint, & mellis liquidi temperaturam habuerint; cerę pondo libra, resinę frictę pondo libra, cum olei cyathis quinque liquefacta super ea adiiciuntur, & rursus mortario subiguntur. Refrigeratumque manibus subigitur ac reponitur.

EMPLASTRVM TRIPHONIS CHIRVRGI VIRIDE. CAP. LXXIII.

CCV. Emplastrum viride Triphonis facit ad recentia vulnera, morsus hominum, sed præcipuè ad vetera ulcera, quæ nullo modo cicatricem ducunt, & callos eminentes circa se habent. Oportet autem tunc non linteolo, ut cætera, inlinere, sed dilatatum magis manibus in magnitudinem vulneris satis crassum imponere, superque linteola carpta plurima, deinde spongiam nouam, ex verbenis multo oleaq; factis. Constat ex his: æruginis * P. IIII. squamæ æris * P. sex, thuris pollinis * pond. VI. galbani * P. IIII. aluminis rotundi * P. IIII. resinæ pituinæ * P. XXV. ceræ * P. XXV. olei pon. sextante, terebinthinæ P. selibra, aceti quod satis est. Componitur eodem modo quo & superius scripta viridia emplastra sunt.

EMPLASTRVM VIRIDE GLICONIS CHIRVRGI. CAP. LXXIV.

CCVI. Emplastrum viride quod sui generis, meo iudicio, superat omnia, vocatur Isis. Accipit hæc: æris usti, æris Cyprii, æruginis rasæ, salis fossicii, guttæ ammoniaci, thuris masculi, mali terræ rotundi, quæ ἀριστολοχία στρογγύλη Græcè dicitur, mali terræ sarmentorum, quibus unguentarii utuntur, dicitur autem aristolochia clematitis, aluminis rotundi, singulorum pond. unciam, myrrhæ, galbani, aloës, singulorum P. sextantem,

tem, ceræ P. trientem, resinæ colophoniæ P. IIII. vel dua & bessem, olei sextarium unum. Hęc enim galbano, resina, cera, & oleo super ignem liquefacta, miscentur mortario, pręterea cęteris ex aceti sextario uno. Facit hoc emplastrum ad detectam membranam tegentem cerebrum de industria à medicis cùm terebratu exciditur, quod lędit eam os, vel alioquin detectam, rosa dilutum & impositum. Item facit ad capitis diutinum dolorem, quem κεφαλαλγίαν Greci appellant, dolenti loco raso superpositum, nec minus dies viginti. Item facit ad oculorum imminentes epiphoras, superpositum frontibus. Cęteras eodem modo sanguinis eruptiones è naribus adiuuat. Et ulceribus factis eiusdem partis rosa dilutum prodest. Nec minus angina correptis faucibus, extrà superpositum, & toto collo. Parotidas initia habentes discutit, suppuratas iungit, si quis emissarium collectionis apto loco, id est infra sinum ubi collectio est, fecerit, quod ὑπόχυσιν, Greci dicunt. Eadem ratione suppurationibus in mammis mulierum futuris, aut factis prodest, iungit omnem partem diuisam, & fibulis arctatam. Pręcipuè quum intestina prolapsa & reposita sunt, atq; sartum vulnus, quod à Grecis dicitur γαστροραφία. Lateris, stomachi, ventris, iecinoris, lienis dolorem sedat. Adiuuat cœliacos, torminosos ventri toto circundatum. Item vesicę tumenti prodest. Eodem modo lumborum dolorem leuat. Ad luxatum omne & eiectum, & repositum articulamentum benefacit. Et ad podagram pręter quoduis aliud medicamentum satis conuenit, & huic mirificè prodest. Fistulas rosa dilutum sanat. Ad carbunculos & cancer imponendum est. purgat enim, nec patitur latius serpere: vetera ulcera

cicatricem ducere cogit. Punctus neruorum musculorum, qui periculosissimi sunt, quos νύγματα Græci dicunt, sine incisione aut diuisione sanat Cyprio oleo dilutum. Ad neruorum vitia omnia acopo melius facit.

EIVSDEM NIGRVM. CAP. LXXV.

CCVII. EMplastrum nigrum eius, Barbara dicitur: facit ad omne recens vulnus & contusum: hoc plerique in gladiatoribus utuntur. Picis Brutiæ * P. centum, resinæ frictæ * P. centum, bituminis Iudaici * Pon. centum, ceræ * P. centum. Hæc concisa in minima frusta coquuntur cum olei sextario uno donec spissentur: quibus depositis ab igne, & desinentibus nimis feruere, adiicitur spumæ argenteæ * P. x. cerussæ * P. x. æruginis * P. v. Et hæc autem cum aceti hemina terere oportet, & minutatim aspergere, ne efferuescat medicamentum. Vbi his adiectis & intermixtis, intepuerit medicamentum, opoponax oleo dilutus exiguo * P. duum adiicietur: deinde refrigeratum manibus, & subactum medicamentum, & in partes diuisum, reponitur. Huic ergo emplastro, quum ita compositum est, dum adhuc modicè calet, adiicito thuris pollinis pondo trientem: & mirũ, quanto efficacius est, sine dolore atque tumore conseruat vulnera, & celerius sanat.

EMPLASTRVM NIGRVM TRASEAE CHIRVRGI. CAP. LXXVI.

CCIIX. Emplastrum Traseę chirurgi facit ad omnia recentia vulnera. Propriè autem ad neruorum musculorum punctus, contusiones, luxa: & in totum, tumorem non patitur fieri, articulos incisos iungit. Idem & gladiatorum, & omnium hominum ad periculosa vulnera mirificè facit: sinus veteres, & fistulas iungit: interius iniectum primùm, & postea extrà positum. Cerę P. IIII. picis Brutię P. IIII. resinę frictę P. IIII. bituminis Saguntini, quod est natura liquidum, P. IIII. cerussę, ęruginis, chalcitidis, misyos, aluminis fissi, aluminis rotundi, melanterias, quę creta sutoria dicitur, qua ligulę calceolorum denigrantur, gallę Syriacę, singulorum pondo libra. Hęc aceto teruntur donec leuia fiant: quibus mellis habentibus spissitudinem, cera, atque alia quę igne liquefiunt, bitumenque super ignem solutum, superfunduntur his quę sunt in mortario, postea medicamentum manibus subigitur, & reponitur vase fictili acetum habente.

EMPLASTRVM NIGRVM ARISTI. CAP. LXXVII.

CCIX. Emplastrum nigrum Aristi chirurgi facit ad omne recens vulnus mirificè, ad punctus neruorum & ad musculorum. Item ad contusum, luxum, præcipuè ad ossa fracta. Sine alligatura enim in-

terdum dimidio celerius sanat ea, & sine dolore seruat: iungit sinum. Habet autem hæc: Spumæ argenteæ ✻ P. ducentorum, aluminis fissi ✻ Pond. xxx. picis Hispanæ ✻ P. centum, bituminis Iudaici ✻ Pond. centum, propolis ✻ P. xxx. æruginis ✻ P. x. ceræ ✻ P. centum, ammoniaci guttæ ✻ P. xxv. terebinthinę ✻ P. L. olei veteris sextarios quatuor. Oleo inferuescit spuma argentea trita curiose: deinde adiicitur bitumen, & ipsum contusum & tritum. Vbi hæc cerati mollis habent temperamentum, pix adiicienda est: deinde ceta & propolis, postea ammoniacum, à quo ærugo, ultimum alumen aspergitur. Oportet autem ubi tumot suspectus est lanam succidam ex vino sine oleo superponere.

EMPLASTRVM TRIPHONIS. CAP. LXXIIX.

CCX. Emplasttum nigrum Triphonis, Basilicon appellatur, facit ad contusa, & canis morsum, & furunculos. Idem rosa dilutum explet concaua vulnera. Picis Brutiæ ✻ P. XL. resinę ✻ P. XL. galbani ✻ P. II. olei cyprei ✻ P. sescuncia, cum oleo communi ✻ P. IX. liquefiet, & coquitur donec coeat, post hoc resina adiicitur: deinde emplastri habens temperamentum, deponitur cacabus, & tepente medicamento galbanum dilatatum, ne uno loco subsidat, adiicitur.

EMPLASTRVM ARISTI CHIRVRGI. CAP. LXXIX.

CCXI. EMplaſtrum nigrum, quod τετραφάρμακον dicitur, facit ad eadem. Recipit hæc: Ceræ, picis, reſinæ frictæ paria pondera, adipis taurini dimidium: unà omnia coquuntur, donec emplaſtrum fiat.

EMPLASTRVM NIGRVM DIONYSI CHIRVRGI. CAP. LXXX.

CCXII. EMplaſtrum Dionyſi chirurgi facit ad mediocria vulnera, & in teneris corporibus puerorum. Idem iungit belle vulnera, & ſine tumore ſeruat. Spumæ argenteæ * pon. CXX. olei ſextarios duos. Hæc ſuper ignem mouentur, donec cerati habeant temperaturam: poſt hoc adiicitur aluminis * P. XLV. & decoquitur uſque dum rufum medicamentum fiat: poſt hæc adiicitur reſinæ colophoniæ * P. XLV. ceręˌ * P. XLV. ubi emplaſtri omnia habuerint ſpiſſitudinem, deponitur cacabus, & tepente medicamento, & quum deſierit feruere, adiicitur galbanum minutatim dilatatum, quò facilius ſoluatur, * P. quatuor.

RVRSVM EIVSDEM. CAP. LXXXI.

CCXIII. ALterum rubrum medicamentum, quo venatores utuntur, facit ad canis morſum & omnium quadrupedum: item & ad offenſionem

in

in ſtirpe, & cætera vulnera mediocria. Spumæ argenteę P. quinque ſemis, olei veteris P. dua. Hæc coquantur donec coëant: deinde adiicitur æris ſquamæ P. uncia, & coquitur donec colorem rufum ſumat: poſtea adiicitur ceræ P. triens, reſinæ frictæ P. duo, ammoniaci guttæ, depoſito pauliſper cacabo, pondo quadrans, galbani item diuiſi in minimas partes, & rurſus repoſito ad breue tempus, atque iterum repoſito & non feruenti, galbani pondo ſextans.

COLORIS INCERTI. CAP. LXXXII.

CCXIV. EMplaſtrum coloris incerti facit ad omnia mediocria vulnera, quadrupedum morſus, contuſa vel inciſa articulamenta, ut fit quum ad dentem peruenit pugnus. Idem ad furunculos mirè facit, & ſtrumas omnemque duritiem diſcutit, ſi id quis perſeueranter imponat. Item cicatricem ducit diutini ulceris, & in totum ad omnia leuia in quotidianos uſus mirificum eſt: tumorem non patitur fieri neque pus. Hæret, ut faſcia non ſit opus. In balineo non excidet. Hoc ipſum eſt quod tu deſideraſti. Olei veteris pondo quinque, ſpumæ argenteæ P. quinque. Hæc coquuntur donec coeant, poſtea adiicitur his reſinæ pytuinæ P. quinque. Vbi emplaſtri habet temperamentum, adiicitur propolis inalienatæ ſinceræ & bonæ, qualis eſt Attica, P. ſelibra, deinde in cacabo depoſito viſci de quercu lecti P. quadrans. hoc ſemper habeo compoſitum.

EM-

EMPLASTRVM EVELPISTI CHIRVRGI. CAP. LXXXIII.

CCXV. Emplastrum luteum Euelpisti chirurgi facit ad tenera corpora mediocriter læsa & abrasa, quæ ἀποσύρματα Græci dicunt. Spumæ argenteæ P. selibra, olei hemina, coquuntur dum coeant: deinde adiiciuntur ceræ pondo duo, resinæ pytuinæ P. duo.

EMPLASTRVM EPISPASTICVM. CAP. LXXXIV.

CCXVI. Emplastrum quod aperit & educit pus, vel si quid aliud subest, ἐπισπαστικὸν dicitur. Ceræ P. libra, resinæ terebinthinæ P. libra, nitri rubri pondo libra: hoc teritur ex cinere lixiua, donec leue factum habeat mellis spissitudinem, postea supradicta cum olei cyathis sex liquefiunt ad ignem, quibus adiicitur thuris pollinis selibra, & ita quę in cacabo sunt, mortario superfunduntur & commiscentur.

CCXVII. Emplastrum album ex sale, δι' ἁλῶν Græci dicunt: facit ad omnem duritiem & diutinum dolorem, & ducit sudores, idem ulcera vetera & callosa renouat, & facilius aliis medicamentis quę hoc pollicentur, cogit cicatricem ducere. Salis marini, cerussę, olei veteris pa-tia pondera. Coquitur cum oleo cerussa donec coeat, & postea sal admiscetur.

CCXIIX. Emplastrum aliud ex sale nigrum efficacius, idem ad omnia facit, sed recipit singulorum P. libram.

bram similiter, olei autem veteris triplex adiicitur.

CCXIX. Emplastrum album ad combusta & perniones: cerussæ P. libram, olei myrtei P. libram, spumę argenteę * P. XXIIII. cerę Ponticę P. libram. Cerussa & spuma argentea coquuntur cum oleo donec coeant: postea adiicitur cera.

EMPLASTRVM ALBVM PACCHII ANTIOCHI. CAP. LXXXV.

CCXX. Emplastrum album Pacchii Antiochi, quo uti oportet quum in mammis mulierum, alioue quouis loco duritia fuerit, quę ad omne medicamentum exasperatur, quam Greci καρκίνωμα aut κακοήθεις vocant. Facit autem ad combusta & vetera omnia, quę non facilè cicatricem ducunt. Item ad ulcera ex frigore, vel per se facta. Pręcipuè verò ad ani vitia difficilia & vetera, rosa dilutum. Cadmię botryitis * P. VIII. pompholygos Cyprię * P. VII. molybdenę lotę * P. V. thuris masculi * P. IIII. cerussę * Pon. LXX. spumę argenteę L. cerę Ponticę * P. VIII. resinę terebinthinę * P. VII. olei murtei * P. centum. Quę sunt dura teruntur ex vini veteris sextario uno, in quo die & nocte macerentur. Alterci albi, iridis, fertulę campanę, terrę mali, papaueris siluatici capitum corticis, singulorum * pond. VI. Quum leuia facta fuerint, & mellis spissitudinem habuerint, tunc murteum oleum minutatim in mortario adiiciatur: & cum fuerint temperaturæ lipare, medicamentum coniiciatur in nouo fictili cacabo, & coquatur pruna non nimis acri, moueaturq; sine requie ne aduratur: quum emplastri tempera-

peraturam habuerit, resinæ cera adiiciatur.

CCXXI. Emplastrum ad combustum mirificè facit: quum multis usus sim, nullum magis probo. protinus enim impositum mitigat: postea tollit dolorem, statimq; infinita celeritate persanat. Spumæ argenteæ P. selibram, adipis suilli purgati P. selibram, ceræ Ponticæ P. selibram, ouorum assorum vitellos sex, quos terere oportet, & miscere spumæ argenteæ & tritæ, ceram cum adipe liquefacere, deinde pati coire, postea in unum miscere.

LIPARA AD INTERTRIGINES ET EXASPERATIONEM. CAP. LXXXVI.

CCXXII. Lipara ad intertrigines & exasperationem, tumorem ani mirifica. Spumæ argenteæ P. triens, cerussæ P. triens, thuris pollinis P. triens, aluminis fissi P. quadrans, adipis suilli curati P. quadrans, vini austeri veteris heminæ tres, rosæ sesquilibra, olei acerbi selibra. Teruntur spuma, cerussa, alumen ex vino, deinde adiicitur thus minutum & cretum: & quum primum hæc leuia paruerint, cum oleamentis ex vino adipem liquefactum cum rosæ P. quadrante miscere in unum oportet.

LIPARA RVFA. CAP. LXXXVII.

CCXXIII. Lipara rufa facit ad fissuras ani diutinas, quas ῥαγάδας dicunt: eadem & eiusdem partis exulcerationes, & vitia diutina benefacit. Spumæ argenteæ * P. XXXVI. cerussæ * P. VI. chalcitidis ustæ * P. VI. my-

VI. mysios * P. VI. resinæ terebinthinæ * P. XII. ceræ * P. VI. olei murtei sextarios. S. II. aquæ P. sextans. Cum aqua teruntur quæ prima posita sunt & olei pondo dimidio, cum reliquo oleo cera & terebinthina liquefacto mortario superfunduntur.

AD CONDYLOMATA. CAP. LXXXIIX.

CCXXIV. AD condylomata facit bene elaterium siue cera: quod est succus cucumeris syluatici, compositus, ratioñeque in pastillos redactus, ex aceto dilutum & perunctum. Item propolis per se subacta & more emplastri imposita.

CCXXV. Facit bene & resinæ terebinthinæ * P. VI. ceræ idem, in vinum cocta igni, quantum possunt gagatis lapidis triti recipere. Multis & iris contusa & ex vino mixta, cocta & posita velut farina ordeacea profuit. Facit & Andronium medicamentum, quod initio posuimus, ad condylomata vino dilutum bene.

CCXXVI. Hoc medicamentum mirificè prodest. Aluminis melini * P. centum, chalcitidis * P. L. fæculę * P. L. Teritur aceto, quum opus est vino aut aceto diluitur.

AD HAEMORRHOIDAS. CAP. LXXXIX.

CCXXVII. HAemorrhoidas sic curare oportet medicamento. Perungantur centaurii succo P. duum. Hęc herba Latinè fel terrę dicitur, & ubique in agris nascitur. Est autem tenuis multorum

ramorum in rectum surgentium, florem habet exiguum purpureum. Absinthii succi * pondo duum, aluminis liquidi * pondo II. herbæ pedicularis * pondo duum, misyis * pondo unius, mellis quantum ad comprendenda ea satis erit. Hoc perunctо interius ano, aut lana tincta & interius trusa, quum desederint ad sellam, & apparuerint totæ, medicamento rursus bene tangendæ sunt undique, & præcipuè radices earum carbasis ducunt, specilli latitudine, subinde hauriente, medico cumulante medicamentum, & adstruente, imprimenteque donec combibant. totum enim in ea est, ut ab omni parte saturentur. Est autem hoc medicamentum: Chalcitidis ustę * P.IIII. ęris floris usti * Pond.IIII. misyis usti * Pontrium, ęris squamę * P. duum, disphrygis * P. duum, soreos usti * P. duum, auripigmenti * pond. duum. Hęc omnia teruntur, & sicca (ut dixi) hęmorrhoidibus imprimuntur undique: post hoc tenue, simplex, rarum linteolum imponere oportet, & super hoc panem autopyron ex aqua maceratum & tritum, rosaceo oleo adiecto. Hoc medicamentum sine magno labore circa septimum diem cadere cogit hęmorrhoidas. Oportet autem bis die panem imponere, nonnunquam in nocte, si circum tensionem senserint aquario, die auriscalpio auerso, quam partem κυαθίσκον Græci vocant, sensim tentare, mouere, ab alienatam oportet, quò celerius excidant hæmorrhoides. Hoc medicamentum omnem carnem, & omni parte corporis exulceratam, & excrescentem, & eminentem, sine magno morsu tollit.

CCXXIIX. Si quando non exulceratas eminentias tollere sine ferro voluerimus, ut verrucas, neruos, aliaue

eius generis, hoc medicamento utimur. Calcis viuæ P. sex, fæculæ * P. trium, vitri usti * P. trium. Hæc terere oportet ex cinere lixiua, ex caprifico vel sarmentis, donec leuia passi habeant temperamentum, deinde adiicere rubricæ aut atramenti quod possit colorare ea: deinde patella fictili coquere ad mellis spissitudinem, atque pyxide nigri plumbi reponere. Melius autem recens facit, cuius usus est talis, quod destinatum erit tollere, id ipsum specillo oblinetur crassius, ex interuallo penicillo abstergetur: & quũ satis nigrum quasi perunctum visum fuerit, desinere oportebit imponere res, & abstergere, & panem ex aqua imponere & rosa. Hoc & strumas sanat antequam suppurent. Oportet autem, quum hoc medicamentum causam fecerit in strumis, nullum aliud medicamentum adhibere. sanæ enim ita fiunt.

CCXXIX. Quum verò aliqua pars suppurauerit, & timidus fuerit ad sectionem cui id acciderit, viscum quamplurimum colligere oportebit: eumque cum cinere lixiui diutius terere, & aluta inductum imponere, ita formata, & in tantum spacium circumsecta, quantum & quale volumus ulcus, id est, emissarium vomicæ fieri, & ea parte scilicet imponemus, quantum necesse erit aperire. Hoc eodem medicamento sæpe dolores diutinos pectoris, lateris, lumborum sustuli, quum ad nullum malagma aut auxilium cedebant. exulcerata enim minima parte cuiusque dolentis loci, humoribus postea vitium veluti eiiciebatur.

AD EADEM VITIA. CAP. XC.

CCXXX. Melior triphera, hoc enim nomen superius positum, medicamentum appellatur: facit ad omnia quæ ferro debent tolli sine magno dolore. Idem hæmorrhoidas productas medicamento, quod suprà positum est, tollit. Vuam nimis iacentem sine periculo per auriscalpium lana inuolutum perunctam, ex parte qua tollenda est, amputat. Oportebit autem postea aqua mulsea gargarizare, & lentis atque rosæ aridæ aqua decoctæ. Eadem res & palpebram pilosam remediat, si quis radices aduersus naturam pilorum natas oblinierit, donec locus earum niger fiat. Recipit hæc: æris floris * P. trium, calcis viuæ * P. sex. thapsiæ radicis * P. sex. fæculæ * P. trium, nitri * P. duum, auripigmenti * P. duum, fellis taurini * P. sex. Teruntur ex cinere lixiua qua culinarii utuntur, donec habeat mellis liquidi temperamentum. Reponitur puxide nigri plumbi. Hæc puxis in ampliorem stagneam mittitur, habentem cinerem lixiuam usq; ad operculum minoris. Oportet autem & hoc medicamentum colorare rubrica vel atramento. Huic medicamento si anatis sanguinis quasi duæ ligulæ adiunctę fuerint, minus mordebit.

CCXXXI. Quatenus acrium & exulcerantium medicamentorum habita est mentio, ponemus qua stygmata tolluntur in dignis, & in multis. Hęc calamitas ex transuerso accidit, ut dispensatori Sabini Calui naufragio in ergastulo deprehenso, quem Triphon multis delusum, & ne casu quidem literas confusas ullo medicamento haben-

bentem, libetauit. Allii candidi ſpicę capitis ttitę, cum cantharidibus viginti Alexandrinis (ſunt autem vatię & oblongę) ſulſutis viui * P. I. & victoriati, chalcitis * P. as ſemis, cerę pondo ttiens, olei pondo ttiens, ceram cum tritis cæteris admiſcuit & impoſuit.

INTESTINI EXTREMI PROLAPSIO. CAP. XCI.

CCXXXII. INteſtinum extremum quibus prolabitur & excidit, quoties prodierit, toties vino calido, vel verbenis, vel cinete lixiua lauati oportet & reponere. Prodeſt & pice liquida perungere & cedria. Interdum vel Andronio perungere, & ſicca reponere. Facit & cinis ex ſarmentis cribtata aſperſa, alumen fiſſum tritum bene, & eodem modo aſperſum, atque inteſtino repoſito.

CCXXXIII. Ad teſticuli tumorem cupreſſus baccę ex vino coctę conueniunt, ex faba quaſi concha multo cum cumino cocta. Item uva paſſa cum cumino contuſa in modum malagmatis, melle quantum ſatis eſt admixto. Idem uva paſſa, nucleata, contuſa ac mixta eiuſdem menſuræ vel ponderis.

AD VERETRI TVMOREM ET DOLOREM. CAP. XCII.

CCXXXIV. AD veretri tumorem lens ex aqua cocta, & trita, roſaceo oleo mixta prodeſt. Si maior tumor erit, mali granati corium ex aqua

co-

coctum & tritum, lenticulę pari pondere admiscere oportet.

CCXXXV. Si ulcus sordidum erit, aut cancer tentauit, aut iam occupauit, Andronios ex vino benefacit.

CCXXXVI. Si cicatrix ducenda.

Desideratur.

CCXXXVII. Omne ulcus in omni parte corporis sordidum (id autem est quum candicat, & quasi crustam perductam albam habet) purgat mel per se, iris arida contusa, vel cum melle. Eadem ratione & terrę mali, & panacis radix purgat sordida ulcera. Mirificè & hoc medicamentum purgat, etiam si cancer tentat. est autem leue: auripigmenti quod Gręci ἀρσενικὸν dicunt, * P. sex, ęris squamę * P. trium, elaterii * P. I. chartę combustę cinis * pondo III. quum opus est, cochlearia tria rosę cyatho permiscentur, inde linteola carpta continguntur, atque ita ulceri superponuntur. Hoc medicamentum citò, & sine ullo morsu expurgat sordidissima ulcera.

CCXXXIIX. Omne purum ulcus & concauum replet Basilice rosa diluta, ut superius dixi, propè autem hoc medicamentum: Medullę vitulinę * P. IIII. adipis anserini * P. duum, butyri * P. duum, medullę ceruinę * P. duum, cerę * P. IIII. terebinthinę * P. II. mellis * P. sescuncia, rosę * P. sescuncia, resina cum rosa liquescit, cui miscentur calenti mel & cera: cum cera præcalfacta in feruenti aqua contunduntur, atque ita superioribus miscentur.

CCXXXIX. Omne ulcus luxurians & crescens

carne

carne compescit chalcitis per se trita, vel æris flos ustus. Bene autem & propriè hoc medicamentum facit, quo Meges utebatur: Calcis vivæ * P. duum, thuris * P. unius, æris squamæ * P. unius.

TRIPHONIS MEDICAMENTVM. CAP. XCIII.

CCXL. Triphon chirurgus carnem eminentem hoc medicamento compescebat: æris floris usti * P. VI. chalcitis ustæ * P. IIII. mysis usti * P. III. æris usti * P. III. Hoc acre est, & quasi cauterium crustam altam facit: quamobrem cancer non patitur impositum serpere, omnem eruptionem sanguinis veluti cauterium sistit. Et hoc autem, & quæ diximus imminuit. Cicatricem quoque ducit, si quis tincto, extractoque specillo, quod ei quasi pulvis adhæserit, exiguo oras ulceris tetigerit. Sed propriè cicatricem medicamenta hæc ducunt.

TRIPHONIS AD CICATRICEM. CAP. XCIV.

CCXLI. Emplastrum efficax ad cicatricem ducendam: Spumæ argenteæ * P. quinquaginta, mysii usti, chalcitis ustę, aluminis fissi, cerussæ, singulorum * pond. IIII. resinæ terebinthinę * P. XII. cerę * P. V. Cera & resina liquefiunt, deinde quum refrixerunt, raduntur, sicca & bene trita adiiciuntur & commiscentur.

EMPLASTRVM DIACADMIAS.
CAP. XCV.

CCXLII. Emplastrum διὰ καδμίας Græci dicunt, quod cicatricem ducit. Cadmiæ P. libra, chalcitidis ustæ pondo libra. Hæc teruntur ex vini Falerni heminis tribus, donec liquefacta mellis habeant spissitudinem: postea fit ceratum ex ceræ P. IIII. resinę frictę P. IIII. olei murtei P. IIII. Quum refrigeratum est raditur & miscetur his quę in mortario sunt. Sunt qui liquefacta hęc ipsa dum calent mortario superfundunt, & ita subigunt.

AD PAPVLAS ET PORRIGINEM.
CAP. XCVI.

CCXLIII. Ad papulas in capite efferuescentes, vel qualibet parte corporis totius porriginem, staphisagria trita, & nitrum decoctum tritum pari mensura, in mixto oleo & vino austero, ante desudationem corporis, ac postea. Item alumen liquidum ex aceto staphide agria adiecta. Ad epiphoram verò toto corpore efferuescentem medicamentum prodest.

AD IGNEM SACRVM. CAP. XCVII.

CCXLIV. Ad ignem sacrum benefacit medicamentum: rutę viridis P. triens, spumę argenti P. bes, aceti sextarius unus, olei viridis sextarius. Cum aceti parte in spuma & ruta teruntur donec leuia

fiant, postea quod superest aceti, vicibus cum oleo adiicitur.

CCXLV. Ad ignem sacrum coriandrum per se tritum benefacit, est enim res virosa: vel cum pane eodem modo & mētha prodest, & cinis de filice facta, aqua conspersa, oblinita. Item Cimolia creta succo solani diluta. Et per se solanum, vel cum pane prodest.

CCXLVI. Facit & ad hoc medicamentum bene sulfuris viui, opii, singulorum pondo semuncia, spumę argenteę pondo uncia, passo miscentur. Item hoc satis prodest, cerussę * P. VIII. aluminis fissi * P. trium, thuris * P. trium, croci * P. duum, sulfuris viui * P. duum. Teruntur hęc solani succo, quum opus est vino diluuntur.

AD ZONAM. CAP. XCIIX.

CCXLVII. AD Zonam, quam Gręci ἕρπητα dicunt, faciunt quidem ut supradicta omnia, pręcipuè cicuta viridis bene trita & imposita. Item hoc medicamentum: cerussę * P. XXXVIII. aluminis fissi * P. XII. croci * P. I. thuris * pondo duum, acacię * P. VIII. diphrygis * P. duum, opii * pondo duum. Ex aqua teritur, & quum opus est ex eadem dilutum perungetur.

CCXLIIX. Ad idem melius facit gallę, aluminis rotundi, chalcitidis, cretę sutorię, singulorum * P. duum, mysus, corticis malorum, acacię, singulorum * pon. IIII. calcis viuę * pond. XVI. Mali cortex in aceti sextario uno decoquitur donec madida fiat: deinde teritur acacia aceto eodem, macerata nocte & die admiscetur & una teritur. Postea cętera adiiciuntur, & fiunt pastilli: quum opus

opus est diluuntur aqua.

Ad utrunque autem genus vitii, mirificè medicamentum Andronicum facit.

AD IMPETIGINES. CAP. XCIX.

CCXLIX. Ad impetigines uva aminea, quę sic dicitur, bene facit. Est autem rubertima, & in vepribus nascitur, qua fricari oportet impetiginem, quoad curetur & non appareat: hoc autem diebus fit paucis.

AD SVGILLATIONES. CAP. C.

CCL. Bene facit huius radicis recentis succus, ad sugillationes & liuores perunctus. Scabiem tollit sulfur nigrum oleo mixtum communi, atque in cerati spissitudinem redactum. Hoc etiam lepram, & quam Elephantiam dicunt, sanat: & omnia quę efferuescunt per se, quum inueterauerint.

AD SCABIEM. CAP. CI.

CCLI. Ad scabiem halica ex aceto macerata, & trita benefacit, exiguo thure adiecto. Item picis liquidę libra, cerę P. semis, sulfuris viui pondo sextans, aluminis fissi ✱ P. unius.

CCLII. Benefacit oliuę Æthiopicę commi, quod Gręcè ἐλαίας αἰθιοπικῆς δάκρυον vocant, aceto dilutum. Item salicis libri ex aceto cocti, atque ita triti & impositi tollunt

ſcabiem. Facit & eiuſdem cinis ex aceto ad ſcabiem. Prodeſt & farina ordeacea cocta ex poſca, ſi tenerum corpus erit: vel ex aceto, ſi durum, per dies quatuor aut quinque: deinde ceratum ex roſa, adiecta ceruſſa, imponere oportet donec cicatrix ducatur.

CCLIII. Facit bene & hæc compoſitio: Thuris maſculi P. triens, ſulfuris P. uncia, cæparum P. ſextans, rumicis erraticæ radices aceto quoque tritæ P. —. Omnia teruntur: miſcetur aceto quod ſatis erit, id eſt dum mellis craſſi habeat ſpiſſitudinem. Quum opus eſt, ſcabiei nitro ex aceto locus fricatur diutius & preſſius, deinde hoc medicamentum ſuperlinitur.

CCLIV. Alia compoſitio ad idem: Scammoniæ * P. trium, myrrhæ * P. unius, æris floris * P. unius, aſtulæ regiæ, quam ἀσφόδελον Græci dicunt, radicis * P. duum, glutinis taurini * P. duum, nitri * P. unius, & victoriati. Teruntur omnia aceto præter gluten. hoc enim pridie maceratum cætetis iam tritis miſcetur. Quum opus autem eſt, ante nitro & aceto locus exaſperatur, deinde hoc oblinitur.

Vt conſummetur liber, malagmata, & acopa adiicimus.

GENERA MALAGMATORVM AD OMNEM CORPORIS VALETVDINEM. CAP. CII.

CCLV. Malagma ad ὀπισθότονον, id eſt quum ceruix reflexa eſt in poſteriorem partem, aut rigida cum intenſione oculorum & maxillarum. Facit & ad κυνικὸν σπασμὸν, quum in utramlibet partem deprauata eſt

eſt facies. Idem ad omnem tenſionem, & contractionem neruorum, & ligationem, ἀγκύλην quod Græci vocant. Item ad dolorem omnis partis, quamuis veterem. Bdellii * P. XVI. opopanacis * P. VIII. galbani * P. VIII. adipis vitulini * P. XVI. piperis grana numero CLX. ammoniaci guttæ * P. octo, cachryos * P. octo, iris * P. ſedecim, ceræ * P. quinquagintaquinque, terebinthinæ * P. quinquaginta. Arida quæ ſunt, contunduntur, cribrantur: ſuccum habentia, cum reſina ſubinde admixta contunduntur, cera in fruſta conciſa aqua feruenti demittitur, & ſubacta manibus miſcetur cæteris in pilam. Oportet autem pilum ligneum frequenter Cypreo oleo perungere. Hoc malagma Cypreo oleo liquefactum acopi uſum præſtat.

CCLVI. Malagma alterum, ſtomachum, aluum, inteſtina ſoluta habentibus, & cholericis prodeſt. Confirmat omnem partem & adſtringit, quæ hæc deſiderat. Aluminis fiſſi * P. ſex, rhus Syriaci * P. ſex, gallæ * pon. ſex, acaciæ * P. ſex, ceræ * P. XL. picis Spanæ * P. XL. olei melini aut roſæ * P. trientem. Acacia vino exiguo macerata teritur: cera & pix oleo alterutro mixta inferueſcunt, quibus temperatis adiiciuntur cribrata ſicca: iis acacia miſcetur, atque in unum omnia ſubiguntur.

CCLVII. Malagma pectoris & lateris dolorem, & quicquid ex perfrictione eſt, benè calfacit. Idem ad omnem dolorem prodeſt. Sanſuci contuſi ſextarius unus, iris contuſæ ſextarii XV. cyperi contuſi ſextarius unus, reſinæ terebinthinæ pondo bes, ceræ pondo quadrans, olei cyperi pondo ſelibra, vini Aminiæi ſextarius unus. In vino arida contuſa macerantur una nocte & die: oleo, ceta, & reſina liquefiunt: deinde ſuperfunduntur vino,

mi-

miſcentur manibus. Hoc medicamentum efficacius eſt ſecundo, poſt dies triginta efficacius prodeſt. initio enim humidum valde eſt, & vix in litum remanet.

CCLIIX. Malagma ad omnem dolorem, præcipuè iocineris. Spicæ nardi * P. V. Celticæ, id eſt ſaliuncæ * P. X. iris * P. VIII. meliloti, quod à nobis ſertula campana dicitur * P. XXV. cyperi * P. VIII. ammoniaci thymiamatis * P. VIII. cardamomi * P. VII. croci * P. duum, vini Falerni ſextarius unus. In hoc omnia ſuprà ſcripta contuſa uno die & nocte macerantur, preter ammoniacum: hoc enim aceto diluere oportet, & quaſi ceratum facere: poſtea ceræ P. dua bes, & reſinę frictę P. IIII. roſę P. libra: leuia ſunt & refrigerata, quę roſę & cęteris miſcentur. Hoc & ad precordiorum tenſionem benefacit, & veſicę dolorem.

CCLIX. Malagma ad lienoſos & ad iocineris dolorem. Ammoniaci guttę pondo I. cerę p. I. & ſextans. Ammoniacum ex aceto teritur, admixto crocomagmate quantum colorare poſſit ammoniacum, quod teritur uſque dum leuefactum mellis craſſi habeat ſpiſſitudinem: poſtea cera liquefacta, roſa adiicitur mortario, & bene paſtillo mixta, manibus utraque ſubiguntur. Facit hoc malagma ad luxum, & ad capitis dolorem fronti ſuperpoſitum.

CCLX. Malagma ad præcordiorum tenſionem, ventris, ſtomachi duritiem cum dolore. Idem ad iecur & lienem prodeſt. Ceræ * P. quinquaginta, ammoniaci guttæ * P. quinquaginta, iris * P. vigintiquinque, panacis * P. viginti, aneſi * P. vigintiquinque, nitri * P. vigintiquinque, adipis taurini * P. vigintiquinque, fœni græci

græci seminis * P. vigintiquinque, resinæ terebinthinæ * P. quinquaginta, aceti acris sextarius unus, mellis P. triens. Mel aceto diluendum est, atque arida omnia his maceranda die ac nocte: ceram, terebinthinam, adipem liquefactam in unum cæteris miscere oportet, & manibus subigere.

MALAGMA AD LIENOSOS. CAP. CIII.

CCLXI. MYrobalani * P. L. aphronitri * P. xxx. capparis radicis * P. xx. cardamomi * P. xxv. ammoniaci guttæ * P. xxx. ceræ P. selibra, irini olei P. selibra. Cera irino soluitur, quibus ammoniacum aceto dilutum miscetur, & postea arida quæ sunt commiscentur.

CCLXII. Malagma ad omnem dolorem veterem, & qualibet causa factum, præcipuè ad lumborum dolorem, qui antè leniter scarificant. Recipit hæc: bdellii P. trientem, styracis P. trientem, hyssopi P. trientem, ammoniaci P. trientem, piperis albi P. trientem, thuris P. trientem, baccæ lauri aridæ P. dua, terebinthinæ P. trientem, opopanacis P. trientem, adipis taurini P. trientem, medullæ ceruinæ P. trientem, propolis P. selibram, olei veteris P. libram, ceræ P. duo, thuris pollinis P. libram. Oleum, cera, resina, propolis liquefiunt: deinde thuris pollinis pondo superius dictum adiicitur, & cætera minutatim, vel in unum contusa: opopanacem oleo diluere oportet.

CCLXIII. Malagma quod discutit strumas, parotidas, panum, quod Græci φύγεθλον vocant. Idem omnem futu-

futuram suppurationem dissipat, factam aperit. Facit & ad dolorem articulamentorum, vel cuiuslibet partis: præcipuè ad lumborum dolorem, atque inflationem stomachi vel coli. Picis Hispanæ, aphronitri, resinæ pituinæ, ceræ, laurus baccarum, singulorum * P. XXXV. adipis taurini * P. XV. ammoniaci guttę * P. iris Illyricę * P. XV. galbani * P. XII. piperis albi * P. XV. Quę debent liquefieri, soluuntur igne & oleo, cętera contusa temperatis asperguntur: ultimo loco tepente medicamento lautus baccę miscentur.

CCLXIV. Malagma ad omnem dolorem corporis articulorum. Facit & ad podagram. Idem discutit vomicas, aut aperit, pręcipuè in pectore & interaneis. Prodest & lumborum doloribus. Cerę * P. VIII. ammoniaci * P. X. bdellii * P. X. iris * P. VI. galbani * P. III. terebinthinę * P. V. Contunduntur ordine quo scripta sunt, pilo ligneo, Cyprino oleo, quod in vino subsidit, perunctoe: cera in aquam feruentem in minimas partes concisa dimittitur, & subacta manibus in pilam coniicitur.

CCLXV. Malagma item ad contusionem lateris. Idem facit ad suspectas vomicas aut iam factas. Pręterea ad iecinoris, pręcordiorum duritiam vel dolorem benefacit. Proderit & in omni loco dolenti impositum. Cyperi, ammoniaci guttę, cardamomi, bdellii, thuris, resinę terebinthinę, singulorum pondo bes: thus & bdellium macerantur pridie vini hemina una: cętera contunduntur, cera pondo libra & triens, & olei cyprini sextarius unus cum terebinthina liquefiunt, cæterisque commiscentur. Quidam adiiciunt myrrhę partem, croci partem sextantem, cinnamomi partem sextantem.

CCLXVI. Malagma ad luxum, contusum, canis morsum, parotidas, strumas, podagram. Ceræ P. dua, resinæ frictæ P. dua, picis Hispanæ P. tria, ammoniaci P. libram, thuris pollinis P. semis, galbani P. semis, aceti sextarios duos. Ammoniacum tritum cum aceto soluitur igne: deinde resina, cera pondo nouem adiicitur, & coquitur usque dum spissetur: postea thus admiscetur. Vbi emplastri habuerit temperamentum, medicamentum tepenti galbano adiicitur.

CCLXVII. Malagma ad podagram, & omnem dolorem & tensionem neruorum, recipit hæc: Ammoniaci guttæ pondo I. ceræ pondo I. axungiæ veteris selibram, olei veteris pondo trientem, olei cedrini pondo unciam, rosæ pondo sextantem, cyprini pondo sextantem, croci pondo sextantem, Asii lapidis pondo unciam, myrrhæ pondo unciam, aphronitri pondo semunciam. Patella noua liquefit axungia, cera cum oleo vetere: quibus adiicitur ammoniacum tritum, & mouetur usque dum soluatur: postea oleum Cyprinum, rosa, & cedria in unum miscentur: & tunc subducitur flamma, ne feruescat medicamentum: secundum quæ adiicitur crocum tritum ex aceto, deinde myrrha trita per se aspergitur, ultimum nitrum, & Asius lapis fœnicio inducitur.

ACOPI GENERA ET COMPOSITIONES. CAP. CIV.

CCLXIIX. Acopum ad perfrictionem, lassitudinem, tensionem neruorum. Idem hieme non patitur perfrigescere artus: hoc Augusta utebatur. Sampsuci floris sextarium unum, fœnigræci sextarium unum, rosmarini foliorum sextarium unum, vini Falerni congium, olei veriafri sextarios quinque. Præter oleum omnia in unum triduo macerare oportebit, quarto die oleum adiicere, & coquere in pruna non acri medicamentum, donec vinum consumatur: postea recolare per linteum duplex oleum, cui adhuc calenti ceræ Ponticæ bessem miscere. Reponitur medicamentum fictili vel stagneo vase.

CCLXIX. Acopum quod per vindemiam componitur, antequam mustum deferuescit: Musti recentis congii quinque, in hoc & olei veriafri pondo quinquaginta macerantur: resque infra scriptæ sunt contusæ, & percribratæ grandioribus foraminibus cribri. Iris Illyricæ ✱ pondo quadraginta, cyperi ✱ pondo quadraginta, fœnigræci ✱ P. quadraginta, piperis nigri ✱ P. quadraginta, xylobalsami ✱ P. quadraginta, calami odorati quo unguentarii utuntur ✱ P. LXXX. spathæ qua unguentarii utuntur ✱ P. LXXX. schœni ✱ P. LXXX. saliuncæ ✱ P. LXXX. casiæ nigræ ✱ P. XXIIII. cardamomi ✱ P. XXVIII. styracis ✱ P. XXVIII. costi ✱ P. XXVIII. myrrhæ Ammineę ✱ P. XXII. casię Daphnitidis ✱ P. XXIIII. sertulę campanę ✱ P.

XIII. aspalathi ✱ P. XL. Hęc cum musto & oleo macerantur vase stagneo aut fictili per dies triginta. Oportet autem vas bene clausum & alligatum diebus his soluere, inuisere omnia: deinde rursus operire, & signare, ne vires euanescant: post dies triginta coniiciuntur macerata: deinde oleum purum excipietur, quod reponitur fictili vaso: cuius oleaminis vires ad omnem contractionem neruorum tantę sunt, ut sit vix credibile.

CCLXX. Acopum ad perfrictionem, lassitudinem, neruorum dolorem, grauioris odoris, (superiores enim boni sunt odoris) Ammoniaci guttæ ✱ P. XV. galbani ✱ P. IIII. resinæ terebinthinæ ✱ P. LVI. ceræ ✱ P. XXVIII. mellis ✱ P. triens, olei veteris sextarius unus, hyssopi P. uncia, medullæ ceruinæ P. uncia, opopanacis ✱ P. VI. Sunt qui hunc non adiiciunt. Ceram, oleum, terebinthinam liquefacere oportet, deinde cætera adiicere, nouissimum ammoniacum tritum curiose. Hoc qui perunctus erit, etiam à serpente tutus erit.

CCLXXI. Acopum, quo ferè Augusta & Antonia usæ sunt, facit ad perfrictiones & neruorum dolorem. Idem perunctum non patitur perfrigescere artus, & refrigeratos calfacit. Componitur hieme hoc modo: Sumere oportet adipis porcinæ sterilis trepondo, vel anseris adipis idem pondus: deinde aqua frigida bene lauare, atque in nouo vase adiicere vini veteris congium unum, aut sextarios tres, non nimis contusa ponderis huius. Xylocinnami pondo quadrantem, cardamomi pondo quadrantem, cyperi pondo quadrantem, schœni pondo quadrantem, rosæ aridæ foliorum pondo unciam, sertulæ cam-

panæ coronas decem. Hæc omnia inferuescunt super carbones, deinde perfrigerata eodem cacabo reponuntur: posteroque & tertio die quum inferuefiunt, reconduntur, quæ eodem modo die rursus recalfiunt, & colantur per linteum, vel ex iunco factum de industria colum: vinum atque adeps quæ superest in nouo vaso conijcitur: deinde quum gelauerit se adeps, oportebit fundum cacabi perforare, & vinum omne emittere, atque in priorem cacabum adipem eandem conijcere, & vini eiusdem recentis eandem mensuram adiicere, resque non nimis contusas nec cribratas. Nardi Syriaci spicæ pondo sextantem, saliuncæ pondo sextantem, amomi pondo quadrantem, casiæ pondo quadrantem, myrrhe pondo trientem, cumami pondo trientem, rosę aridę foliorum pondo sextantem. Deinde semel manè, & in nocte semel inferuefacere oportet: idem in postero die quum inferuefacta fuerint, percolanda erunt in cacabum priorem perfusum: sed ante diligenter & spisse obturatum: atque ubi se congelauerit adeps, extrahendum erit spissamentum, quod quum vinum omne fluxerit, quod superest adiice. Vase stagneo uno, vel pluribus, diligenter operto & adplumbato reponitur.

PER-

PERORATIO OPERIS.


Harum compositionum (si qua fides est) ipse composui plurimas, & ad ea quę scripta sunt facienti scio paucas: sed valde paucas ab amicis, quibus ęquè ac mihi credo, acceptas adieci: quas cum iureiurando adfirmauerunt sese ipsos expertos esse, ut benefacientes scire ad vitia quę scripta sunt. Illud autem te meminisse oportet, mi Calliste, quod initiò dixi, eadem medicamenta in iisdem vitiis interim melius deteriusue respondere, propter corporum varietatem, differentiamque ętatum, temporum, aut locorum. Eędem enim res non dissimiliter dispositis corporibus non possunt eosdem effectus exhibere. Sed adfirmo ex magna parte prosperos euentus (si quando opus fuerit) has compositiones habituras.



AVCTARIVM EX GALENO DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORVM SECVNDVM LOCA

Iano Cornario interprete.

LIB. IV. CAP. VII.

Liquidæ oculares compositiones ad ficosas eminentias, ac omnem extuberantiam carnis.

Ad Scribonii Cap. III. Comp. XXXII.

COmpositio Latgi exacuens visum. Succi fœniculi radicis partem unam, mellis tantundem. Reponito in pyxidem æteam, ac utitor.

Aliud. Succi radicis fœniculi partem unam, succi chelidoniç tantundem, mellis Attici tantundem.

LIB. VII. CAP. III.

Confectiones ad Tussim.

Ad Sctibon. Cap. XXII. Comp. LXXXVII.

SCribonii, ad tussim. Seminis apii drachmas duas, floris iunci odorati, nardi Celticæ, styracis, croci, singulorum drach unam, balaustii obol. III. succi papaueris drach.

drach. IIII. mellis quod satis est. Datur magnitudo fabæ non febrientibus ex aceto mulso; febricitantibus cum aqua.

LIB. EI. CAP. V.

Confectiones dolorem sedantes, tabescentibus sanguinem reiectantibus commodæ.

Ad Scrib. Cap. XXIII. Comp. XCII.

ALiud, Scribonii Largi. Succi marrubii sextarios VI. succi semperviui tantundem, mellis Attici sextar. IIII. alii sextar. I. Vini Italici sextar. I. picis liquidæ Brutiæ tantundem, nardi Indicæ, croci, myrrhæ, thuris, piperis albi, singulorum drach. VIII. prępara ac utere ut prędictum est.

LIB. IX. CAP. IV.

De Pharmacis dolorem sedantibus, anodynis, & colicis.

Ad Scrib. Cap. XXIX. Comp. CXXII.

COlica, ut Scribonius. Cineris cornu cerui teneri usti heminam, piperis albi, myrrhę, utriusq; drach. II. ex tritis cochlearium unum exhibeto. Et cochleam unam crudam tritam cum vini cyathis duobus, & aqua calida.

Alia Scribonii Largi ex salice. Liberat à tota affectione. Corticis salicis drach. IIII. Zingiberis aridi drach. III. phœ-

phœnicobalanos VI. numero, aquę ſextarium unum & dimidium. Coquito omnia rutę ramulis mouens, & ubi tertia pars liquoris reſtiterit, tum excolato, & cyathos duos quotidiè bibendos dato. Hoc vero per triduum facere oportet, & poſt triginta dierum interſtitium rurſus repetere, quo per annum potiones XXXVI. fiant. Bibitur enim hoc pharmacum per annum totum. In aliis exemplaribus hoc modo habetur. Corticis ſalicis viridis drach. V. Zingiberis ſicci drach. IIII. piperis albi drach. IIII. palmularum paſſarum maximarum, quas Gręci patetos appellant, numero duas aut tres, rutę viridis ramulos V. aquę pluuię ſextarios III. coquito ad tertias, & dato ut prędictum eſt.



IOANNIS RHODII
AD
SCRIBONIUM LARGUM
EMENDATIONES
ET NOTÆ.

IOANNIS RHODII
AD
SCRIBONIVM LARGVM
EMENDATIONES, ET NOTÆ.

SCRIBONIVS LARGVS] Communi eruditorum sententia Latinis Medicis adnumeratus hic autor coniectura Iani Cornarii in Græcorum classe primum locari cœpit. Vtinam vero tam firmis rationibus, quam ingeniosis; Medicorum filiis haut dubie iam notior fuisset, quam ut incertum quendam è veteribus putassent primi nominis viri. Ac ne longius abeam, vel ipsum scriptoris nomen Latinæ conditionis luculentum satis præbet argumentum. SCRIBONIVS LARGVS enim appellatione prorsus Romana operi ubique præscribitur; nec SIBVRIVM post Marcellum Burdegalensem, quod sciam, præter Cornarium alius agnoscit. Quis vero Siburius ille? Numquidnam Scribonii breuiarium confecit? Nomen certe illud suppositiritium pari facilitate potuit Marcello imponere, qua diuersæ librariorum longe grauiores mendæ in textu relictæ; quandoquidem discrepantibus eorumdem librorum inscriptionibus nihil adhuc est frequentius. Omissis nempe illorum titulis, qui minio & auro pingebantur, nomina vel prorsus aliena, vel bibliopolæ arbitrio præfigi promtum erat. Quis autem Siburium magis Græcum existimauerit, quam Designatianum; quorum neuter Græcam appellationem refert? Imo Largius Designatianus in Epistola, quam Aldus Marcelli operi præmisit, aperte fatetur se Hippocratis epistolam ore Romano interpretatum. Scribonii nomen certe Romanum esse indicat monumentum M. SCRIBONIO CALLISTO inscriptum. Nec verisimile alia nominis ratione sculptum fuisse in urna, quam Georgius Gualtherus de Antiquis Siciliæ tabulis inter amissa prope Panormum refert monumenta M. SICRIBONII titulo. Qui priscis utiq; ignotus nec ullo memoratus loco suspicionem injicit, leuiorem marmoris rimam oculis I speciem obiecisse; ut artis vitia fuerint, quæ fatiscentis naturæ. Forsan & eorum, qui typis librum edidere, incuria irrepsit SICRIBONIVS; cuius generis mendæ sparsim obuiæ: quamquam nec diffiteatur Gualtherus in hoc opere se quoque sculptorum & librariorum errores retinuisse, ne noui quidpiam obtruderet. A M. Cælio ad Ciceronem lib. IIX. Ep. VII. inter eos etiam, qui scribendo adfuerunt, nempe testes in æde Apollinis, C. Scribonius nominatur. Plinius quoque Natur. histor. lib. II. cap. XXXV. C. Scribonii consulis meminit, Liuius pariter lib. XXXV; Tacitus item Scribonii Annal. lib. II. & Scriboniorum fratrum Annal. lib. XIII. Imperante vero Tiberio L. Scri-

bonium Libonem collega T. Statilio Sisenna Tauro consulatum gessisse tradit Rom. Histor. lib. XLIX. Dion, qui & lib. LVII. Scribonium patricium adolescentem nominat. Nec ullum testatius huic rei argumentum putauerim antiquo Romanorum nummo æreo paucis adhuc viso, atque uno & altero argenteo, Scriboniorum titulo signatis. Posteriorum ectypa paulo accuratiora damus iis, quæ apud Fuluium Vrsinum de Familiis Romanis conspiciuntur. Putealis autem Scriboniani rationem Iul. Scaliger ad Sext. Pomp. Festum literis consignauit.













Sed nec à Latio alienum LARGI cognomen ostendit CAESIANI LARGI vetus monumentum in D. Protasii ædicula Comi repositum; ut sileam Nasonis illud Lib. IV. de Ponto Elegia postrema:

Ingeniique sui dictus cognomine LARGVS.

& C. Largum cum Claudio consulatum gessisse. Omnium vero manifestissime sententiam meam confirmat monumentum, quod SCRIBONIAE IVCVNDAE L. SCRIBONIVS ASCLEPIADES VXORI statuit. Quem si aliquis Largum putauerit nostrum, haut multum fortassis peccabit. Nec refert, quod cognomen nomini præponitur: quoniam & hæc sedem in vicem permutant. Designatianum vero esse Largum nostrum, atque inde natum Scribonii nomen, nihil nobis obstat: quanquam & nulla sit horum nominum affinitas. Sic enim, quem plerique Octauium Horatianum appellauere, peritiores maluere Theodorum Priscianum: ne dicam Designatiani, & Siburii nomina Marcello separata; imo Designatianum esse viro maximo Gaspari Barthio Aduers. lib. XXXV. cap. VI. qui aliis Vindicianus. Et cur non maior heic fides habenda est Galeno, qui Scribonio longe vicinior quam Marcellus Σκριβώνιον Λάργον hunc nostrum semper nominat;

nat; cuius lectionem iam tum variasse indicat lib. IX. capit. IV. de Composit. medicament. sec. loca. Hunc autem Tiberii Cæsaris ætate floruisse, liquet ex ipsismet verbis Composit. XCVII. pariter Claudii temporibus, cuius coniugem Messalinam aduocat Comp. LX. & cui se in expeditione Britannica adfuisse memorat Comp. CLXIII. Attioq; Atimeto Augusti ab oculis medico notum Comp. CXX; itemque Caio Callisto Claudii Imperatoris libertorum potentissimo, in Proœmio, & Epilogo libri, & Comp. CLI. Idem, quem Celsus Proœmio libri VII. patrem, Triphonem Comp. CLXXV. præceptorem appellat. Vt mirer quo modo viri admodum perspicaces Græca Scribonii commentaria, vitiata Latini sermonis puritate circa Valentiniani Imperatoris ætatem, quæ annum Christi CCCLXVII. attigit, ab aliquo peruerse traducta, vel a veteri quopiam in summarium redacta varieque interpolata putent, ipsumque autorem iis adscribant, qui adeo ætatis & honorum obscuri, ut coniectura eorum tempora vix assequi liceat. Etsi enim non prorsus negauerim, quin pari cum ceteris scriptoribus fato ab inficeta librariorum licentia non parum flagitii fuerit perpessus, illud tamen prisci nitoris elegantiam Celso aliisque probi æui autoribus commune ipsi neutiquam obfuscauit: à qua sicubi stilo Claudii temporibus alieno quantulumcunque declinet, cur non sicut olim & nunc diuersa ingeniorum discrimina, quibus oratio variatur? Quid quod seculum Latini sermonis castissimum vix ad Augusti tempora pertigerit: quem quotidiana sermonis consuetudine sæpius delectatum tradit post Suetonium Charisius. Eloquentiam post Ciceronem se quoque retro dedisse, conqueritur Seneca Controuersiarum libro I. Nec ullus paulo cultior, qui eius generis plura in Phædro Augusti liberto non animaduerterit. Et cur Scribonio inferioris conditionis homini plus heic indultum velimus, quam Celso elegantioris Medicinæ inter Latinos principi; quem licet orationis venustas magis commendarit, quam præceptionum soliditas, Nonii tamen Marcelli censura parum æqua minoris in re Latina est autoritatis.

Minus etiam causæ proinde fuit eruditis, cur Scribonium superiorem paulo traderent Marcello, quum inter utrumque anni CCCLIX intercesserint. Scribonius nempe circa Seruatoris nostri annum XXIX floruit, Marcellus Theodosii Senioris ætate sub annum CCCLXXXVIII Christianis titibus vixit, qui in epistola ad filios Siburium inter maiores proximi temporis enumerat. Sed enim in operis progressu nusquam Scribonii meminit, nec aliorum artis medicæ scriptorum. Nec satis mirari possum, cur Plinius etiam cetera diligentissimus Scribonium omiserit. Quod si Græcis erudiendum se commisisset Largus, ideone Græce scripsisset? Quis vero inficiabitur Latino ipsum sermone usum, qui sua se scripta Latina fatetur Iulio Callisto tradidisse; quibus præ ingenii modestia stili periculum verebatur. Marcellum autem Scribonii rhapsodum quando agnoscunt viri præcellentes, parum aduertunt ipsum plura huius omisisse, vel à se, vel à sanioris numinis cultu aliena. Qualia certe Valentiniani seculo nec alius scriptis inseruisset, maximæ superstitionis plena, & quæ de venenis à Marcello studiose neglecta, procul dubio seueris pii Imperatoris legibus ab hominum notitia penitus exclusa: ut nec fuerit, cur huius libri autorem Marcello aliquanto superiorem credamus. Et cui no* perspectum est, quantū Marcelli ad filios epistola ceteraq; ipsius propria sine aliun-

de.

de congesta distent à Scribonii oratione, quæ non obscuro ætatis indicio subinde ad Celsum & Columellam accedit. Ne memorem, quantum prisci post se reliquerint sequioris æui scriptores, ut ad istorum genium hi frustra contenderint, quos nullo exprimere licuit artificio. Adde, quod noster hic sæpe Græca misceat, non aliter quam Celsus, imo Græcam loquendi rationem æmuletur, quia tum artes Græcorum apud Romanos linguæ usum sensim inuexerant: cuius studio etiamsi Claudius Cæsar Scribonii dominus mire tenebatur, Romanæ tamen linguæ imperito Lucio ciuitatis ius ademisse lib. LX. narrat Dio Cassius. Nec alio forsan consilio Scribonius ubique Græca Latine vertit. Quod argutior quispiam alteri ne imputet, en manifestum Latini scriptoris argumentum, quando Compos. xxv. Græca eiusdem significationis nomina pro clariori notitia adsumuntur: nisi autorem Græcum putemus otiosis verbis contra nationis decorum nugati voluisse. Id quod à candore nostro longe alienum. Et si Græca consuetudine sua quædam monumenta vulgasset ille, anne Græcus propterea censeretur? Quasi vero cuilibet scriptori sermonis vernaculi necessitas incumbat, vel ea sit linguarum fœcunditas, ut neutra alterius opem desideret. Numquid Galenus de Aliment. facult. lib. I. cap. II. usus voce σίλιγνις dissimulat neque Græcam esse, neque se aliter posse exprimere? Græcum tamen sermonem Latino uberiorem nemo paulo humanior negat. Ceterum nec aliter P. Vegetius rei veterinariæ autor, quem Latinum, quod viderim, nemo dubitauit, dictione Græcos quandoque scriptores imitatur. Nimirum, quod *Trunculi* Celso lib. II. cap. XX. & XXII. *Acron* est ipsi lib. I. cap. LVI. quum aliud forte nomen illico non occurreret. Ἄκρων vero Hippiatris vox notissima. Similiter cap. XXVI. *medicamen anapleroticum* præcipitur; quod lib. IV. cap. XXVII. *Impletorium*. Melius quam *Apostolicum*: quod Ioannes Sambucus reposuit. Idemne Scribonio licuit, si quando id librorum genus consuleret, atque in primis peregre, ubi minori cura fiunt pleraque. Sed quod magis mirabere, Consulatus sui commentarium à se confectum Græce, ad Atticum lib. II. Ep. I. fatetur Romanæ eloquentiæ parens: qui ad præturam usque Græce declamauit, autore Suetonio de claris Rhetoribus Cap. I. Græcas Marci Bruti epistolas nemo non vidit. Nec Lucretium inter Latinos fere primum piguit Homeri Musam æmulari lib. IV.

Parvula pumilio; Chariton mia, tota merum sal. pro *Charitum una*.

Græcis etiam Ælianum, licet hominem Romanum, nihil inferiorem agnoscimus. Iulium Bassum, quemadmodum & Sextum Nigrum, Romanum Græco stilo delectatum tradit Plinius. Etsi vero idem lib. XXIX. cap. I. profiteatur se non ignarum, nullius ante hæc Latino sermone tradita; Largum tamen Latine hæc sua edidisse, non solum è perspicua ipsius confessione planum est, sed quod Varronis, Celsi, & Columellæ more Græcos à Romanis nominatim discernit. Idque eo magis confirmat, quod si Græcum initio Galenus vidisset eius librum, medicamenta utique modo tam diuerso, qua seriem, qua pondus, numquam exscripsisset. Id vero, quæ Marsilii Cagnati erudita suspicio est, potius interpretis, quem adhibebat, imperitia, quam laboris tædio factum, credibile est; quamuis Galenum Romani quoq; sermonis non fuisse omnino imperitum opiner; qui de comp. med. sec. loca lib. IX. cap. V. Cornelium medicum, haut dubie Celsum, allegat: cetera, quæ auctiora, de suo Galenus

addi-

addidit; quemadmodum & Scribonius Comp. CXXII Andromachi pharmacum sine longis, quas ei obiecit Cornarius, verborum ambagibus dilatauit. Boni quippe fidique scriptoris est, veterum sicubi opus inuenta, maximeque circa medicamentorum confectionem, plenis verbis dilucidare. Huius diligentiæ documentum dedit Scribonius Comp. CXXII. quam Galen. de compos. medicament. sec. loca lib. IX. cap. IV. compendio implicauit. Eniguur prolixitatis necessitatem. Scribonium vero ab Asclepiade parum feliciter Græco sermone donatum ut credamus, Cornatio piaculum est; nisi Galeni exemplar ad nos haut satis integrum peruenerit. Asclepiadi sane vito extraneo minus arbitror succensendum, si eadem procliuitate qua Latinus, quem putat Cornarius, Scribonii interpres in Latinis monumentis aberrauerit. Et quidni Asclepiades Latinos legerit, ut illi Græcos, quoties incideret mutuæ operæ usus? Nec sane video, cur Galenum Cornarius à communi melioribus etiam scriptoribus æui initia immunem velit, ob quam neutri, si quod occurrit, mendum grauius imputandum crediderim: quale illud, quo χαλκάνθη pro χαλκῦ ἄνθος in Galenum irrepsit. Quis enim ignorat, ob vocum similitudinem, vix tolerandis eiusmodi vitiis optimos autores, nostri etiam seculi, à librariorum imperitia seu negligentia mire fœdatos? Nonnulla vero in serie medicamentorum à Galeno heic diuersa reperiri, non est nouum. Namque & ipse quæ ab aliis habuit varia nonnunquam facie prodidit. Nec Scribonius in Epistola ad Callistum, & Compos. XXXVIII. eam iudicii licentiam abhorret, quam Collyrii Psittacini compositione satis manifestat. Vnum expendamus Casii Colicon, quam varie Celsi, Scribonii, & Galeni monumentis celebretur. Pondera quoque ad affectuum, locorum, temporum anni, hominum, & cuiusque adeo palati rationem, exscriptoris arbitrio sæpius immutari non usque inopinum est, ut id ipsum non obseruetur in Marcello etiam Burdegalensi, qui Scribonio pleraque debet, quod Largus quoque Paccbio Antiocho Comp. XCVII. sibique ipsi Comp. XXXVIII. indulget, Celsus etiam lib. v. cap. XVIII. imo ceteris medicis Ianus Cornarius eruditis ad Galen. de composit. medicamentorum secundum loca lib. VII. cap. v. & lib. VIII. cap. VI. commentariis permittit. Asclepiadem tamen is excipit, nisi ex communi sententia Scribonius Latino idiomate usus fuisset. Quod ob sermonis peregrinitatem quam vere negauerit, iam satis perspeximus, pleniusque è verborum & loquutionum Indice percipiemus, quem Lexici specie subdidi. Illud meridiana luce clarius est, hoc ipsum opus referre Compositiones, quas Galenus passim Largo tribuit. At quanta vis veritatis, ut neque quod maxime urgeat ille sine hæsitatione proferat, suæque opinionis fundamenta iis roboret, quæ adhuc in disputationem veniant. Si quis vero in rebus ipsis error commissus, idemne Asclepiadi contingere potuit, quod Plutarcho, qui Latinis codicibus usus in rebus Romanis sæpiuscule fallitur. Sed quod palmarium videtur Cornarii argumentum vix tanti est, ut quemquam transuersum agat. Litis enim caput est, utrum Latina hæc ipsius sint, an alterius. Scripta vero sua Latina quando nominat Largus in Epist. ad Iul. Callistum, non est cur etiam Græce quædam tradidisse colligamus. Esto quod nonnulla Græcis literis commiserit, etiamsi illud adhuc dubium, nec satis manifestum ex Galeno, quidquid Aduers. lib. XXXIX. cap. XVI. innuat noster Barthius; ideone à Latini sermonis usu penitus arcebitur? Neutrum certe ho-

ium

rum sic alteri aduersatur, ut mediocri etiam ingenio non fuerit concessum Ausoniam simul cum Græca gloriam tueri. Nec iam viros graues ab arcanis naturæ ad scholas Dialecticorum revocabo, quibus nota Stagiritæ sententia Top. lib. II. cap. II. al. VI. οὔτε γὰρ ἐξ ἀνάγκης τὸ ὁπότερ' ἔτυχεν, οὔθ' ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. *Quod enim utrolibet modo accidit, nec necessario est, nec plerumque.*

Romanus porro natalibus is fuerit, an recepta libertis consuetudine Romanæ familiæ nomine insignitus, heic non disputabo. Vetustas enim veritati hac in re nimis officit. Neque tam de natali eius solo, quam de idiomate quæstio agitatur: quam tamen Cornarius propter obscuritatem coniecturæ liquit. Sufficit scripta hæc Romanis auribus non adeo esse horridula atque incomta, ut meliori ratione quam Marcelli è Latina ciuitate proscribenda fuerint. Quam nemo ei sine iniuria negauerit, qui manifesto Græcorum discrimine non uno in loco se Latinum indicat. Siburiusne vero Græcus, quem inter ciues suos Marcellus admittit? Burdegalensis ipse proculdubio viros communi Romanæ ciuitatis iure donatos intellexit. Claudius vero Imperator, quæ Suetonii verba sunt, *peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina duntaxat gentilitia.* Optimo sane instituto. Nam Varro de Ling. Lat. lib. VIII. affirmat, *quod in seruis gentilitia natura non subest in usu: in nostris nominibus, qui sumus in Latio, & liberi, necessaria.* Eone igitur audaciæ processisse putabimus Scribonium, ut ficto apparatu sese Græculus aulæ insinuasset? Hippocratem Coum Medicinæ parentem credidit omnis antiquitas; nec tamen quiuis eius libri perhibentur certæ autoritatis, ut neque Galeni, aut Aristotelis quicunque exstant. Ingeniorum nihilominus culturæ ad ornatum saltem seu veteris famæ tutelam utiles habiti scholis probatos longo æuo titulos retinent. Nec si quidquam in libro insolitum vel à fide publica remotum deprehenditur, mox nouus ei autor perquirendus. Nonnulla quidem in hoc etiam libro Romanæ consuetudini peregrina fateor; nec suo loco dissimulaui licentiora, melioris notæ scriptoribus communia, nostro etiam peculiaria, sed quæ solenni elegantiæ studiosis formula excusat Compos. CV; integrum tamen posteriori cuipiam adscribi nefas puto. Nec vero ipsum tam ad sermonis cultum, quam ad valetudinis curam, concinnatum suadet autoris institutum, suoque exemplo firmat Galenus non pauca inde mutuatus præsidia. Viri tamen oratio plana, nec omnino indiligens, concinna breuitate ad Celsi rationem, ut monui, proxime accedit. Nobis itaque, donec grauioribus momentis tollatur ei Latina conditio, Latini Medici non indignus erit nomine Scribonius, siue Romæ, siue, ut existimare quis posset, Siculis ortum debeat, quos Varro de Ling. Lat. Lib. IV. veterum annalium fide à Roma ortos tradit. Eius vero natales non tam longitudo temporum, quam communis literarum calamitas ab infensa Romanæ magnitudini barbarie, sera obliuione inuoluit. Cui adscribendum, quod ii, qui ex destinato Medicorum historias contexuere, præter ea quę de Claudii contubernio aliorumque necessitudine prodidit ipse, nihil meminerint.

Studia eius animiq; mores persequi nostra etiam interest. Mathematicum eum fuisse, qui Suetonio Tiber. cap. XIV. laudatus, quidam suspicantur. Nec ab nulla ratione, quoniam hoc disciplinæ genus cum Medicina coniunxisse veteres, non secus ac hodie nos, Crinæ Massiliensis exemplo tradit Plinius natur. histor. lib. XXIX. cap. I. Id tamen vix credibile, quandoquidem, ut au-

ror

tor eſt Suetonius de Tiberio *infante præclara ſpopondit, etiam regnaturum quandoque*. Nihil tamen cauſæ, cur Comment. lib. VII. cap. II. Gal. de Comp. med. ſec. loca Ianus Cornarius ab eo, quem Scribonia Auguſti Octauiani coniux manumiſerat, ad hunc noſtrum annos ferme octoginta numeret. Alium, enim eiuſdem nominis Grammaticum Suetonius de Illuſtribus Grammaticis cap. XIX. indicat: *Scribonius Aphrodiſius Orbilii ſeruus atque diſcipulus mox à Scribonia Libonis filia, quæ prior Auguſti uxor fuerat, redemtus ac manumiſſus docuit, quo Verrius tempore. Verrius* autem, ut ſcribit idem cap. XVII. *deceſſit ætatis exactæ ſub Tiberio*. Scribonius ergo ille mutata cum libertate ſeruili conditione, Verrio iam ſene adoleſcentibus ſtudioſis operam nauare potuiſſet, antequam ulterius in ſublimioribus diſciplinis progrederetur, quum virtute ſuperaſſet fortunæ iniuriam. Nec adeo certum à Scribonia Octauiani coniuge ad noſtri Scribonii tempora octoginta prope annos eſſe, quum ipſa diu ab Auguſti morte annis confecta, vel Scriboniorum quiſpiam ætatis integræ ipſum forſan iuuenem dimiſerit: ut Laurentius Pignorius erudito de Seruis Commentario vere affirmauerit Scriboniæ gentis libertum. Tiberius autem tres & viginti ferme annos ab Auguſto vixit, poſt Caligulæ imperium triennę Claudium quatuor & decem prope annis imperii ſucceſſorem nactus. Huic proinde Scribonium ætate ſatis vegetum à Calliſto commendari non difficile fuerit, quum à Grammatica & Rhetorica ad Medicinam ſeceſſiſſet: quem tertio regiminis anno in Britanniam ſequutus videtur. Nimirum exilia tum artis medicæ apud Romanos erant initia, certis verius experimentis quam demonſtrationibus confirmata, ut minori quam Galeni temporibus apparatu etiam quis adulrior eam capeſſeret. Quod Ioannes Guntherius AndernacusNotis ad Æginetam ſub Cornelio Celſo Scribonium feciſſe conicit. Ipſe tamen Apuleium Celſum ac Triphonem Chirurgos præceptores nominat Compoſ. XCIV. CLXXI. CLXXV. Aſclepiadem ſequutus ex Comp. LXXV. niſi hunc Apuleium putauerit quis Cornelium, veluti ad Compoſ. XCIV. notatum eſt.

Ceterum nomen quoq; Scribonii fuiſſe diuerſis impoſitum liquet ex iis, quæ ſupra memorau. Libertorum autem cognomen ex mente domini arbitrarium fuit, veluti ſeruorum quoq; nomen, quod ab iis qui adduxerant plerumq; honoris cauſa indebatur. Nec ſeruis licuiſſe nomen ſuum mutare, planum eſt poteſtate legis C. de mut. nom. *Mutare nomen, vel prænomen, ſiue cognomen, ſine aliqua fraude licito iure, ſi liber es, ſecundum ea quæ ſæpe ſtatuta ſunt, minime prohiberis: nullo ex hoc præiudicio futuro*. Ideoq; Scribonii appellationem, veluti cognomen liberis ceteroquin peculiare, ex proprio Scriboniæ gentis nomine tractam credibile eſt: quandoquidē eius, cui manumiſſio debebatur, vel cuius opera ciuitatem Romanam quis obtinuiſſet, familiæ nomen, quod Græcis ac Barbaris, etiam liberis, nomine ſolo notis ante impetratam ciuitatem Romanam, minime receptum, liberti ſeu ciuitate donati ordine urplurimum inverſo tenebant, nominibus ſuis cognominum loco ſeruatis. Ita Gellius de Cęcilio comico inclito ſeruo lib. IV. cap. XX. *nomen poſtea verſum eſt quaſi in cognomentum*. Qua proculdubio notione SCRIBONIVS LARGVS apud Medicos inclaruit; quemadmodum & literarum dominique fama celebris M. Tullius Tiro. Quidquid fuerit, ſi viro inſigni Læuino Torrentio ad Tranquillum commentario Scribonius Mathematicus tanto viſus illuſtrior, quod Romanus; ſiquidem Mathe-

matici fere Græculi, aut Iudæi, atque Ægyptii; cuius tamen sententiæ non aliam coniicere licet caussam, quam ex nomine; quidni & noster idem sibi adsciuerit?

Ipsum vero, ne in re parum dubia fluctuemus, non minus Claudio, quam Octauiano Artorium, Eudemumque Liuiæ, medendi peritia gratum cogitemus, atque in primis empiricum, qualem sua ætas, quæque reliquit monumenta ultro declarant: naturæ tamen reconditæ, humani pariter opificii, reique herbariæ, imo pharmaciæ, peritum, quodque plurimum refert, medicum non minus ratione quam usu potentem, nec Dogmaticis auersum, qui Comp. LXXV. Asclepiadi se addictum profitetur, adeoque mixtæ forsitan sectæ liberioris ingenii more; immo curiosum æque ac indefessum, qualis uniuerso opere elucet. Quamuis enim primi ante Heraclitum & Hippocratem Empirici parum valetudini contulerint, posteriores tamen signa & methodum professos constat, omissis tantum caussis ac rationibus præceptorum, quum propriis maiorumque obseruationibus fiderent. Galenus, quo iis nemo infensior, εἰς ἑμοὶ μυρίοι, lib. de Sectis cap. IV: *Eadem in iisdem affectibus medelæ, & ab iis qui rationem profitentur, & ab Empiricis medicis trahuntur. De modo inueniendi eas inter eosdem dissensio est. Ab iisdem enim accidentibus, quæ circa corpus apparent, oritur iis, qui rationales sunt, Caussæ Indicatio, ex qua curationem inueniunt: Empiricis autem repetuntur ea, quæ simili modo obseruata sunt.* Et post: *Adhibentur quoque hæc eadem ab Empiricis medicamenta, qui non duce natura rei ad ea inuenienda procedunt; sed eadem, quæ usus ostenderit, memoria repetunt.* Imo ad artis opinionem non leue hoc eorum præconium est apud ipsum de Comp. med. sec. loca lib. I. cap. VIII: *Inuenire est apud Empiricos, qui sane non in contentiosis sermonibus vitam contriuerunt, sed in medicæ artis operibus diligenter versati sunt, quod in quibusdam apparentibus cognitionibus euidentia retulerunt.* Nec sane de Simplic. facultat. lib. II. veritus fuit Æschrionem, empiricum senem, peritissimum medicamentorum, præceptorem fateri. Sed quod rei caput est, Scribonii eminet ubique pietas, & animi candor, eximiaq; humanitas, quas suo passim loco virtutes indicauimus.

Libellum autem in itinere conscriptum in gratiam Callisti, & Cæsari oblatum, ostendit Proloquium: in expeditione fortassis Britannica è libellis, quos veteres sibi conficiebant, memorialibus, in quibus, ut prodidit Gellius lib. XX. cap. XI. ad subsidium memoriæ cuius generis cunque indistincte atque promiscue adnotabant. Non defuere tamen, qui hoc ipsum procemium Celso tribuerent: inter quos primus videtur fuisse Cornarius ad Gal. de comp. med. sec. loca lib. IV. cap. V. & lib. VI. cap. III. ubi Marcellum Burdegalensem huius opinionis autorem facit. Sed nulla, quantum videre licuit, alia ratione, quam quod in Marcello, qui calamo scriptus pridem in museo Clarissimi Gerardi Ioannis Vossii seruabatur, Cornarius hanc epistolã Celsi nomine viderit. Quam eius exemplo Aldus postea aliis post Marcelli ad filios nuncupationem subiecit, parum memor Cornarium in editione Marcelli candide fassum Scribonio eam tribui, nec quidquam heic ausum pronunciare. Imo, dictu mirum, candem è Ruellio diuersam Scribonio præmisit. Eodem haut dubie consilio Balduinus Ronsseus in Plantiniana quoque Raphelengii editione ipsam ad Cornelii calcem retulit isti tam similem quam ouo ouum. Hæc autem non meliori

iure quam alia Pullio Natali inscripta, & Cornarii manu in libro Vossii Scribonio assignata, eius viri ingenio digna: quamuis Paschalius Gallus Celsum utriusque autorem putet. Itaque Scribonio iure optimo primus eam reddidit Ioannes Ruellius, quem Henr. Stephanus ad unguem sequutus: nec Aldus autori suo detraxit. Libri enim argumento ad amussim respondet, autoris etiam dictioni, temporibusque, dum Cæsarem Comp. LX. & CLXIII. velut in Præfatione, Deum appellat, Caium etiam Iulium Callistum Comp. CLXI. & Peroratione operis, pariter ac ipso epistolæ initio compellat. Sed formam quoque uniuersi libri exactam præfert à Celso diuersam. Ordine partium quippe simplicia præmittit compositis, additis ut promiserat nominibus, ac ponderibus. Neque tamen omnibus hæc vitiis apta inuenies, quod iam in vestibulo præmonuerat, etsi aliis aut sibi explorata subinde affirmet, præcipue Comp. XVI. XXXVIII. XL. XCVIII. CLXXI. CCXXI. CCXXVIII. CCXXIX. Verum nec liber iste Cornario imposuisset, si recogitasset in vetustioribus libris manu exaratis à sequioris æui negligentia huiusmodi miscellaneis nihil familiarius. Trotulæ titulo qui medicorum manibus teritur eadem credulitate cap. LXIII. Aldinæ operæ Magistri Geraldi puluerem adiecere, quem stilus Iuliæ ætate multo posteriorem demonstrat. Eodem sane Aldi exemplo Hippocratis epistolæ Marcelli autoritate fidem reciperent, quæ tamen peritiorum non paucis vel ex scribendi consuetudine fuit dubia; ne in memoriam reuocem, sene Coo Mecœnatem tribus & ultra seculis inferiorem. De Plinii epistola in libros de re medica huic eodem loco præfixa quid referam? Illis Plinium præscripsere omnes: de quorum autore aptiorem meæ sententiæ locum desidero, id repetisse contentus, non solius hanc incuriæ culpam esse. Ingenue Soranus Ephesius Isagoges Medicæ Cap. I. *Astutia veterum in opusculis librorum diversa posuit principia.* Nullo autem negotio fucum deprehendent, qui priscis ingeniis immorari consuerunt.

Non minori consideratione dignus est Libri titulus, qui vulgo DE COMPOSITIONE MEDICAMENTORUM circumfertur. Etenim plura simplicia compositis passim præmittuntur; nec de compositione aliter agitur, quam apud alios, qui remedia morbis propria recensentes nonnunquam in prolixioribus simplicium ordinem ac miscendi rationem repetunt. Qua etiam sententia Galeni libris περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους, Iano Cornario interprete, *De Compositione medicamentorum localium, siue secundum locos*, vulgo præscribitur. Nobiliori denominatione rectius, ut in fronte libri procul dubio ex Epistola est, COMPOSITIONES MEDICAE, quas autor in itinere se partium ordine præcipuis affectibus destinasse scribit; quanquam nonnullis vox hæc parum Latina quidem, παθητικῶς tamen usurpata censetur: vel, quod magis placet, DE MEDICAMENTIS. Hoc enim indice liber Marcelli exhibetur, quem ut cetera prope omnia verisimile est à Scribonio accepisse. Nec aliter Variar. lect. lib. VI. cap. XVII. ab eruditissimo Hier. Mercuriali noster hic in testimonium adducitur. Quin hac etiam ratione satisfactum fuerit instituto autoris, qui in operis limine dum simplicia se compositis præpositurum ait, cuiuscunque generis medicamenta denotat. Librum vero in Compositiones partitus fuit ipse, adscripto ubiuis numero: quarum loco Adrianus Turnebus Aduersar. lib. XVII. cap. XVI. Gerardus etiam Vossius Art. Gram. de Analogia lib. I. cap. XXIX. post Ianum Cornarium ad Gal. de comp. med. sec. loc. lib.

IV. cap. III. Iul. Cæsar. Claudinum de ingr. ad infirm. Appendicis sect. I. & Gasparem Bauhinum Pinac. Botan. lib. VII. Sect. II. Capita allegat, quorum seriem H. Stephanus attexuit compositionibus: etsi Iano Cornario in Commentariis ad lib. VII. cap. II. de comp. med. sec. loca titulus, compositio, & caput eadem potestate usurpantur. Ioannes Antonius Saracenus notis in Dioscorid. lib. III. cap. x. Scribonio Libros & capita tribuit: Galenus etiam de comp. med. sec. loca lib. IV. cap. VII. iterato libros nominat. Sed hæc criticorum libertas est, qui aliorum scripta suo arbitratu disponunt. Galenum tamen plures Scribonii libros vidisse constat ex libri IV. de comp. med. sec. loc. cap. VII. & V. de comp. med. sec. gen. cap. XI. ubi collectanea nominat; quæ operis initio autor pollicitus. Quidquid sit, compositiones dicit ipse in Epistola; quæ nescio quo iure à multis hactenus Celsi, posterioris æui ab aliis, credita fuit. Quamuis enim Tiberii ætate cum Petro Castellano scriptam negent eruditi, quod in adulationem lapsos cohibuerit ipse, nec Domini aut Imperatoris appellationem à liberis hominibus præterquam à militibus admiserit, ac Patris patriæ nomen omnino repudiarit, ut præter Tacitum Annal. lib. IV. memorat Dio, Tacitus etiam de Claudio Annal. lib. XII. qui de Tiberio Ann. lib. II. *acerbe increpuit eos, qui diuinas occupationes dixerant*: nec minus edixerit Claudius, ne quis ipsum adoraret, ut autor Dio: Imperatores tamen rebus sancte administratis diuinos honores promeruisse nouimus. Quo nomine Val. Maximus Tiberium sui operis principio inuocat. In hunc etiam Propertius lib. III. El. IV.

Arma Deus Cæsar dites meditatur ad Indos.

Strabo pariter, qui Octauiani Augusti principatu floruit, Geographiæ lib. XVII. Νῦν ὁ θεὸς Καῖσαρ, Guilielmo Xylandro interprete: *Nostra ætate D. Cæsar.* Et lib. V. ὁ θεὸς Καῖσαρ. XIII. Καῖσαρ ὁ θεὸς. *Diuus Cæsar.* Est & in veteri monumento Taurini: C. GAVIO. L. F. DONIS. DONATO. A. DIVO. CLAVDIO. BELLO. BRITANNICO. TORQVIBVS. ARMILLIS. CORONA. AVREA

Regis quidem aut Principis nomen ante Neronis tempora satis amplum censebatur; nec Augustus Domini titulum ceu tyrannidis umbram tolerauit. Pietate maiori Tertullianus Apolog. cap. XXXIV. *Augustus ne dominum quidem dici se volebat. Et hoc enim Dei est nomen.* De ipso tamen Cæsaris poeta domesticus Maro Ecloga I.

DEVS nobis hæc otia fecit.
Namque erit ille mihi semper deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ouilibus imbuet agnus.

Atqui crescente fastu cum imperii potentia sensim vires in tantum accepit adulatio, ut humanis honoribus diuini succederent. Neque enim veritus fuit Domitianus Imperator Dei nomen primus admittere. Cui Martialis hoc titulo insigniter adulatur. Sed nec solus ille hoc tumuit fastu, si Aurelio Victori credendum, qui ait: *Valerius Diocletianus se primus omnium Caligulam post Domitianumque Dominum palam dici passus, & adorari se, appellarique uti Deum.* De quo in eandem ferme sententiam Historiæ Romanæ Lib. IX. Eutropius: *imperio Romano primus Regiæ consuetudinis formam magis quam Romanæ libertatis inuexit, adorarique se iussit, quum ante eum cuncti salutarentur.* Alexandro Per-

sis

ſis deuictis idem à Græcis poſtulante, Lacedæmonios ita decreuiſſe memorat Ælianus Var. hiſtor. lib. II. cap. XIX. ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός. *Quoniam Alexander vult Deus eſſe, eſto Deus.* Factum ſalſe riſit Anaxarchus Eudæmonicus, quum dei iam morbo correpti ſpem in cochlearis ſorbitione ſitam adfirmaret, ut autor idem lib. IX. cap. XXXVII. Deteſtandę vero mortalibus conſuetudinis originem altius repetit Iul. Firmicus de errore profanæ religionis: *Amat Græcorum leuitas eos, qui ſibi aliquid contulerint, vel qui conſilio aut virtute ſe iuuerint, diuinis appellare nominibus. & ſi ab ipſis beneficiorum gratia repenſatur, ut Deos eſſe dicant, ut Deos eſſe credant, qui ſibi aliquando profuerint.* Inde Lucianus pro mercede conductis: ἔστι βασιλεῖ μισθὸς μέγιστος, τὸ ἐπὶ ταῖς εὐεργεσίαις προσκυνεῖσθαι. *Principis maxima fuerit merces, ſi beneficiorum nomine numinis vice adoretur.* Ita Petrus Moſellanus vertit: quem Ioannes Bourdelotius monet in hac Apologia oculis ſuis uſum non fuiſſe, hanc tamen interpretationem retinet, quamuis προσκυνεῖν ſimpliciter ſit adorare, manuſque oſculo venerari. Etiam Oppianus Alieutic. lib. II. verſ. DCLXXXI. Baſſianum Caracallam θεσπέσιον *diuinum* nuncupat. Præſentis potentiæ adulationem veriſſime addit Lactantius Firmianus de falſa religione lib. I. cap. XV. Hac enim potiſſimum eo tandem mos iſte proceſſit, ut cognito etiam vero Chriſti Domini cultu non ſolum per initia, ſed aliquot poſt ſeculis invaluerit. Sic Valentinianum Imperatorem Chriſtianum Vindicianus Archiatrorum Comes diuinæ ſerenitatis titulo veneratur. Nec aliter diuerſi literarum profeſſores ſuperioris æui Principes habuere, invaleſcente praua conſuetudine: quam primos horruiſſe numinis Diuini cultores, aut ſaltem inuitos admiſiſſe, Tertulliani hæc libro nuper laudato plane atteſtantur: *Quando non cogor, ut dominum, ut Dei vice, dicam.* Nec eam Minucius Felix præteriit; quin aperte criminatur: *Etiam principibus & regibus, non ut magnis & electis viris (ſicut fas eſt) ſed ut Deis turpiter adulatio falſa blanditur, quum & præclaro viro honor verius, & optimo amor dulcius præbeatur.* Eiuſmodi tamen cultum iure ipſis adſcribit Galenus de Ther. ad Piſonem cap. II. *quoniam non ſolum cunctos excellunt, quod à Diis imperium ſint adepti, ſed etiam quia libenter in uniuerſos omnia bona Deos imitati conferunt: tantumque gaudium concipiunt, quanto fuerint incolumitatem ab ipſis conſecuti, maximam imperandi partem arbitrantes, communis ſalutis procurationem: quæ res me magis in admirationem ipſorum traxit.* Eumque ritum optime purgat Minucius Felix: *Diui Reges, qui conſecrantur non ad fidem numinis, ſed ad honorem emeritæ poteſtatis. Inuiſis hoc nomen adſcribitur: optant in homine perſeuerare: fieri ſe Deos, & etiamſi ſenes, nolunt.* Quid multa? De magiſtratu diuinum eſt præceptum Exod. XXII. verſ. XXVIII. *Diis non maledices.* Regia etiam vox vatis Pſ. LXXXII. verſ. VI. *Dii eſtis.* Hæreo tamen Scriboniumne ab aſſentationis nota ſeruili ſatis liberet familiarior ad Calliſtum ſermo; cuius prolixior beneuolentia iuſtam panegyrico materiam præbuerat. Sed nulla de hac præfatione ulterius dubitandi occaſio, præcipue quum decorus Calliſti nomine libri finis principio conſentiat. Quapropter Scribonium G. Barthius Aduerſar. lib. XXXVI. cap. IV. huius epiſtolæ indicio Latinæ ciuitati vere adſerit: ipſumque ante Galenum Romane de re medica ſcripſiſſe prodit Antonius Muſa Braſauolus in Hippocr. de rat. vict. in acut. lib. II. ſect. XI.

Opus autem, Galeni etiam temporibus varium, ne integrum quidem ad nos

pet-

peruenisse, non modo patet lib. III. cap. III. lib. IV. cap. VI. & VII. de Compos. med. sec. loca, ubi desiderata hodie Ophthalmica, aliaque remedia lib. VII. cap. V. & lib. IX. cap. IV; sed ex autore ipso, qui Comp. CCXXX. medicamentum sub memoriam reuocat, cuius nusquam toto libro vestigium, itemque Comp. CCXXXV. si credendum Indici: quem ad compositionum quidem seriem contextum, sed variis postea modis interpolatum, animaduertimus.

CALLISTO] Inscriptio vetus: C. IVLIVS CL. CALLISTVS. Cæsaris Claudii libertorum potentia notus, teste Plinio nat. hist. lib. XXXVI. cap. VII. quem ditissimum prædicat idem lib. XXXIV. cap. X. Gratia enim potentiaque valuisse, constat ex Dione Hist. Rom. lib. LIX. maximeque apud Claudium, cuius libertus ille vxorem Lolliam ipsi selegit, si credendum Tacito Annal. lib. XII. Claudium vero erga suos libertos eximie affectum fuisse, narrat in eius vita Dio, qui lib. LX. notat *mulieris eum & libertorum suorum mancipium*. Caji Cæsaris, qui post Tiberium imperauit, libertum memorat in Galba Plutarchus. Cæsaris Caligulæ necis conscium fuisse innuit Iosephus Ant. Iud. lib. XIX. cap. I. mirificeque insolentem notat Seneca Ep. XLVII.

Suo] Confidenter, & interioris amicitiæ indicio. Quo modo in Historiæ Naturalis Præfatione *C. Plinius Secundus Vespasiano suo S.* Eademque præscriptionis formula Plinius Iunior passim delectatus.

S.] Priscis adeo erat familiare literis præmittere salutem, ut sine ea inhonestæ dicerentur. Quanti vero hæc esset consuetudo, indicat Ælianus Var. Histor. lib. I. cap. XXV. qui narrat Alexandrum Philippi filium soli Phocioni Atheniensium duci quum scriberet, salutem apposuisse.

Inter maximos] Exacta enim rei herbariæ, corporis humani, & pulsuum notitia eminuisse, testis passim Galenus.

Herophilus] Patria Chalcedonius, Praxagoræ discipulus: subtilioris sectæ conditor Plinio nat. hist. lib. XXIX. cap. I. in Academia Alexandrina humani corporis dissectiones instituit. Scholæ etiam Herophileæ in Phrygia meminit Strabo lib. XII. De quo Celsus Procem. & cap. XXV. lib. V. Galenus Com. lib. VI. Aph. I. & lib. VII. Aph. LXV. empiricum censet, utut Plinius loco memorato Empiricorum scholas damnasse scribit.

Diuinum munus esse] Hoc modo apud Nicol. Myrepsum sect. I. cap. CCXVIII. Antidotus Theodoretos ex emendatione Leonardi Fuchsii θεῖον δῶρον: quamuis apud Æginetam lib. VII. cap. XI. etiam legatur Θεοδώρητος δι' ἀνακαρδίων. *Theodoretus ex anacardiis*, Albano Torino interprete. Quod vero Andreas Tiraquellus de Nobilitate cap. XXXI. num. LXXVII. ex Hippocratis ad Abderitas epistola refert medicinam esse Deorum munus: non ibi medicina, sed artes Deorum dona perhibentur; ne dicam, hanc aliasque vix Diuino sene dignas. Rectius Aldi apud Marcellum Empiricum, eique similis ferme Plantini editio, ex recensione Iani Cornarii ad Marcellum: Deorum immortalium manus esse. Malo tamen, Deorum manus esse; vel, Diuinas manus esse. Sic enim legendum ostendit Galenus, qui lib. VI. cap. III. de compos. med. sec. loca ex Herophilo repetit, *Pharmaca veluti Deorum manus esse*. Pie! *Altissimus enim creauit medicinam* Ecclesiast. cap. XXXVIII. v. IV. Vnde Philon vere cœlitum manus dicebatur, quod regias atque alexipharmacas potestates concinnaret. Id Scribonium significasse, confirmant quæ de tactu diuino mox sequuntur. Eamque vete-

veterum fuisse opinionem declarat Artemidorus Oneirocritic. lib. IV. cap. XXIV. ubi ait: *Χρυσᾶ ἢ ἐπίπλαστα, ἢ βρωτὰ ἢ ποτὰ αὐτοῖς ὀνόμασιν, οἷς καὶ ἡμεῖς καλοῦμεν, συντάσσουσιν οἱ Θεοί. Vnguenta vel emplastra, aut cibos seu potus, iisdem nominibus, quibus etiam nos appellamus, Dii componunt.*

Et id quidem] Aldus cum Iano Cornario hæc omisit, Plantinus item; ut oratio sit continua.

Prorsus enim] Efficacitate medicamentorum vis innotescit.

Tactus Diuinus.] Huius non pauca in sacris utriusque fœderis monumentis occurrunt exempla. Reliqua de Pyrrhi pollice pedis apud Plinium & Plutarchum fabulis affinia videntur. Cuiusmodi & ea, quæ Sueton. cap. VII. de Vespasiano, Ælius Spartianus de Adriano prodidit. Miraculo simile est, quod Sozomenus lib. VI. de Beniamin monacho refert. Galliæ Britaniæque Regum virtus orbi nota.

Vsu experientiaque] Aldus, & Plantinus, usus experientia. Recepta lectio melior. Ista enim bene discernuntur. Columell. de re rust. lib. I. cap. I. *Vsus & experientia dominantur in artibus.* Manilius Astron. lib. I.

Per varios usus artem experientia fecit
Exemplo monstrante viam.

Artes enim experientia docuit ex Tacit. Histor. lib. V. quæ interdum rationi præualet: ut vere autor Comp. CPII. *potentior usus ratione est.*

Deliberationes contentionesque] Consultationes hodie vocantur: quas Galeni ætate in Pacis templo habitas constat ex ipsius de Pulsuum differentiis lib. I. cap. I; quod lib. I. cap. I. de Comp. med. sec. gen. scribit sua memoria conflagrasse. Nostro seculo nihil his frequentius Patauii: de quo, ut cum Annæo Ep. XCI. loquar, consultorum atrio vere Aristophanis illud Nub. Act. I. sc. I. usurpauerim: *ψυχῶν σοφῶν τοῦτ᾽ ἐστὶ φροντιστήριον.* Earum necessitatem indicauit Hippocrates de Præceptionibus. Scholæ vero Medicæ olim Romæ ad Esquilias fuere; ubi & disputationes institutas notat Martinus de Roa Singularium lib. V. cap. II.

Præcellentium] Al. & Pl. præcedentium. Scriptio vetus potior.

Quæreretur] Pl. quæritur. Sed nulla heic mutationis causa.

Esset] Pl. sit. Idem hoc loco iudicium esto.

Vsu vero peritiores,] P. reuera peritiores. At Scribonio de usu sermo est. Nec raro empirici hodie medicis eruditis hac ratione antecellunt.

Et quod fateri pudet,] A. & P. vel quod fateri pudet Ruellii editio satis plana.

Summotos] Pl. Semotos. Quod magis arridet. Aldus communem sane lectionem retinuit, quæ in MS exstat. Cui fauere videtur Plin. nat. hist. lib. III. cap. XIX: *Alpes centum millia excedunt aliquando, ubi Germaniam ab Italia submouent.* ubi quidam *submouere* exponunt *separare*. Locus vero ille non vacat suspicione: quandoquidem *semotus* idem qui *remotus*: *submotus*, qui ab introitu vel conspectu arcetur.

Ac ne adfines] Ita MS. Et ne affines. Cornar. Basiliensis editio Andreæ Cratandri ad marginem: ad fores quidem eius profectos. Aldus & Stephanus itemque Plantinus hæc indigna Scribonio, nec Ruellio visa, merito neglexere.

Professionis] A. & P. professioni. Cicero utroque modo protulit.

Peri-

Periculoque] Doloris enim vehementia quandoque saluti adeo minatur, ut integrum ad se trahat medici auxilium. Doloris vero appellatione morbum intelligere licebit; quemadmodum Ἄλγος Hippocrati est, quod Celso lib. I. cap. IX. corporis affectus. Quo modo Plin. Valer. lib. III. cap. XXXIV. *dolor illinitur*, & lib. IV. cap. XLII. *delinire vitia*. Iul. Pollux etiam lib. III. cap. II. num. I. ἄπονον vocat, quem Sophocles ἀνώδυνον.

Ægrum] Ald. ægros. Nihil discriminis est.

Quamobrem] Potior itaque Medicinæ ratio in medicamentorum usu consistit. Pharmacia etiam vetustior Chirurgia.

Spernendi sunt qui] Al. & Pl. spernendi sunt quidem, qui medicinam spoliare tentant usu medicamentorum, forsan non à medendo &c. Quod non improbo. Autor enim subtili se Viri Amplissimi Olai Wormii Regii Professoris de monumentis patriæ meritissimi animaduersioni sic purgabit facilius. Cuius hæc verba Controuers. Medicarum Exercitat. I: *Quum absonum videatur artibus aut disciplinis nomenclationem ab instrumentis, quibus ad finem suum assequendum utuntur, mutuari, cum Scribonio Largo facere nequimus. Neque enim magis à medicamentorum potentia Medicinam deriuare licet, quam artem fabrilem à malleo aut aliis quibus ferrum in figuram expetitam redigit. Sed ut hæc à fabricandi actione, ita & illa à medendi commode ducitur.* At vero Scribonius hoc modo emendatus nihil adseuerat. Neque lectionem ab Aldo temere confictam facile dixerim, quem vetustiores libros candide sequutum constanti fama nouimus. Manifestus autem libri apud Cl. Vossium vetustissimi consensus accedit. Ideoque sapientissimum Varronis illud de ling. Lat. lib. VI. merito sibi adsumserit autor noster: *De originibus verborum qui multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam qui aliquid nequiuerit, reprehendendum; præsertim quum dicat etymologice, non omnium verborum dici causas: ut quia quare ad medendum medicina.* Sententia profecto verissima, dum extrema verba, sic legantur: *ut qui, à qua re à medendo medicina.* Quæ hactenus calami negligentia non sine mendo in omnibus libris scriptis ac editis conniuentes reliquisse miror rei literariæ triumuiros, Adrianum Turnebum, Antonium Augustinum, & Iosephum Scaligerum, dum Romanorum doctissimo Varroni eruditis lucubrationibus plurimum luminis attulerint: quo tamen ipsemet hunc locum non destituit. Fatetur enim lib. IV. uniuscuiusque verbi naturas esse duas; *à quare, & in quare, vocabulum sit impositum.* Loco itaque prius laudato etymologiæ difficultatem excusat, quæ *cur* &. *unde* sint verba scrutatur. Leuior proinde Turnebi è vestigiis veteris scripturæ emendatio: *ut quærere à quare sit.* Politissimis enim scriptoribus *Qui* modum ac rationem sonat. Melius quidem Antonius Augustinus in suis emendationibus in eandem mecum incidit coniecturam, quando legit: *à medendo medicina.* Nescio tamen, quam ob rem putet locum non esse integrum. Ad librum bibliothecæ Vaticanæ typis vulgatum, numero 2817, incertus quidam notauit: *ut quia à medendo medicina à re sit medicina.* Concinnius vir illustris Gaspar Scioppius edidit: *ut qua à re sit medicina.* Longe quoque melius, quam in MS Diui Francisci Patauii, in quo legitur: *ut quia quare res ad medendum medicina.* Quid si scripseris: *ut quid à medendo medicina.* Etenim in vetustis libris *a* & *d* sæpe confunduntur. *Quid* autem particula interdum

est

est caussalis: cui forsan interpretamenti loco adscriptum fuit *quare:* quod postea in contextum irrepsit. Sed nec adversis iudicibus prætenderit forsan Largus, non eam fuisse apud Romanos ævi sui rationem, quæ accuratam in medicina disputationem postularet, quamuis conditor professionis Hippocrates ipsi non ignotus Libro de Elegantia præcipiat μετάγειν τὴν σοφίην ἐς τὴν ἰητρικήν. Addet quin etiam è Peripato aliquis, instrumentorum longe diuersam esse conditionem, quæ sui motus interna habent principia, seu motu cientur interiori & suo; cuiusmodi sunt medicamenta omnia, vel per se, vel adminiculante natura; quam quæ sine externa ope cessant. Etenim, ut Galenus autor de simpl. medic. fac. lib. IX, quum prima & ex professo quædam sunt medicamentorum opera; quædam vero mediante natura, quæ animantium corpus dispensat: iis veluti propriis nominatio neutiquam fuerit aliena. Verum nec ab ratione statuit Scribonius Medicinam à potentia effectuque medicamentorum adpellatam; siquidem non deriuat artis nomen à medicamentis, sed ab eorum vi, quæ est mederi sanitatemque restituere, etiam annuente Cl. Vormio. Medicæ nempe hic artis est scopus, etiam assentiente Philosopho Moralium ad Nicomachum lib. I. cap. I. ex quo ea iure appellationem trahit, quique in isto disciplinæ genere formæ rationem habet. *Nonnulla vero instrumenta,* inquit Galenus in lib. VI. Epidem. Com. V. *auxiliantibus idonea tunc auxilia fiunt, quando in tempore, atque ut conuenit ea Medici adplicant.* Lectio tamen Scribonii nondum suspicione videtur vacare, quandoquidem *mederi* à *potentia effectuque medicamentorum* reapse parum distat. Initio forsan scriptum erat: Quamobrem spernendi sunt, qui medicinam spoliare tentant usu medicamentorum, à medendo, seu à potentia effectuque medicamentorum ita adpellatam. Quibus curiosior, ut fieri solet, in margine fortassis appinxerat *nō*, hoc est *notatio.* Quod librarius parum consideratus inter cætera quum recepisset, Io. Ruellio vix licuit sententiam aliter constituere, quam hodie in omnibus libris occurrit. Nec male. Scribonius enim vere medicinam denominat, non ab adiumentis, nec à medici actione, sed à fine, videlicet sanitate, quæ medicamentorum usum consequitur. Itaque, si quæ fuerit, promptam sibi Scribonius incuriæ veniam exspectabit, quandoquidem Romanæ Stoæ sententia cum excusatione veteres audiendi fuerint. Quid vero tantillæ rei operosum adeo patrocinium quæritimus, ubi eruditiorum Grammaticorum arbitrio constat, Nomina in *inus* exeuntia à casu primitiui in I cadente formari? Hac enim ratione *Medicina* nempe ars, à *medici* gignendi casu originationem petet. Medicum vero dum Varro lib. IV. de ling. Lat. deriuat *ab arte medicina, non à medendo,* parum discedit à Scribonio, qui pronunciat, medicinam non à medendo ita adpellatam. Varroni concors Iulius Pollux lib. IV. cap. XXV: Ἀπὸ Ἰατρικῆς, ἰατρὸς, ἰατρεία. *A Medicina, Medicus, medicina.* Sed iam satis sum philosophatus. Criticorum filiis hæc in medio relinquantur.

Spoliare] Pythagoreis in pretio fuisse medendi artem, & maxime Diæteticam; Pharmaciam minus probatam, refert Iamblichus in Vita Pythagoræ cap. XXIX.

Effectuque] Quod suo exemplo mox confirmat.

Probandi autem qui] Cornat. Probandi autem sunt qui &c.

Omni modo] MS. omnimodo. Itemq; Aldus post Cornarium. Pl. omnino.

Vt maxime] A.& P. vel maxime.

Necessaria] Nam diætæ non minus, quam Chirurgiæ se commodat, ut fatetur autor Comp. cc.

Ita] A. & P. induxere. Ruellii verior lectio. Necessitas enim antiquitatem ostendit.

Antiquissima] Vide Corn. Celsi Proœmium librorum de re medica. Caussam reddit Seneca Epist. xcv.

Illustrata.] A. & MS. inlustrata. Ita veteres quidem scripsisse monstrat Columella de re rust. lib. 1. cap. VI. *Balnearia occidenti æstiuo aduertantur, ut sint post meridiem & usque in vesperum inlustria.* Et Pacuuio sane adscribitur Inlustre ab luce apud Varronem, lib. VI. de ling. Lat. In hunc modum Lucretius lib. V.

Largus item liquidi fons luminis ætherius sol
Inrigat assidue cœlum candore recenti.

Et VI.

perire
Corporis inluvie.

Scribonius itidem Comp. XXXIII. inligatum, Compos. CV. inrequiebilis sitis CCVII. In litum medicamentum. Quod sequioris æui scriptores affectatius imitati. Qua ratione *Marcellus vir inluster* in dedicatione operis ad filios; librarii procul dubio licentia, qua utrolibet modo Tacitus Annal. lib. *nox sideribus inlustris*, & lib. XIV. *inlustris studiis*. quanquam & Romæ in veteri ara VOLVSIANVS. V. C. ET INLVSTRIS. Ferrariæ quoque in ædibus Francisci Gerardini vetus lapis iterato habet: ORNAMENT DECVRIONATVS. INLVSTRATVS. Eam quidem scribendi rationem Ioannes Marius Mattius in Orthographia veterum defendit. Vulgaris tamen scriptio ad euitandam soni asperitatem pronunciationi gratior; quam & priscis ab Orthographia sua diuersam puto placuisse: quos scripta quædam aliter enuntiasse monstrat Quintilianus Instit. Orat. lib. I. cap. VII.

Earum] MS. quoque habet. Plantinus præterit.

Vitia] Astrologi vitia discernunt à morbis, quod illa sint impedimenta quidem corporis sine constanti dolore, attamen cum impressione inseparabili: Morbi vero separabiles, aut inseparabiles. Ptolemæo siquidem vitium semel inflictum aut innatum durat semper, nec dolores adfert post primum, ut claudicatio, cæcitas. Morbus autem non durat, & dolorem adfert continuum; ut Febris, Catarrhus, &c. Ita Gellius lib. IV. cap. II. in libris veterum Iuris peritorum scriptum tradit, Morbum & Vitium distare: quod vitium perpetuum, Morbus cum accessu discessuq; sit. Et sane manifestum est L. inter CI. §. pen. D. de verb. sign. *Verum est, morbum esse temporalem corporis imbecillitatem: vitium vero perpetuum corporis impedimentum.* Hinc Nonius Marcellus: *Morbum à vitio prudentia veterum sic voluit separari: ut sit Morbus, quum accessit utique aut temporis, aut contagii; Vitium perpetua & insanabilis atque irreuocabilis causa.* Addit Popma lib. III. de different. verborum: *Morbus tamen genus est; Vitium species.* Tullius adhuc subtilius Tuscul. quæst. lib. IV. Morbum appellat

pellat totius corruptionem; Vitium, quum partes corporis inter se dissident. Liberior omnino ab hac Grammaticorum superstitione Scribonius utraq; voce sine discrimine usus. Quo etiam modo apud Celsum lib. VII. cap. XIV. Vitium pro morbo. unde lib. III. cap. VI. *Vitium leuius, vehementius*; quidquid Grammatici de vitii perpetuitate affirment: itemque cap. XXI. *vitiatum iecur*, & lib. II. cap. X. *vitiosus sanguis*. lib. IV. cap. V. *vitiosus bile stomachus*. lib. VII. cap. XIV. *gingiuæ vitium*. Nec diuersam Scribonii mentem, satis patet Compos. XCVII. XCIIX. C. maximeque XVI. ubi Epilepsiæ meminit.

Quia etiam tunc genus] A. & P. quia timidum genus mortalium. Planior altera quidem videtur lectio, quæ antiquorum indicat consuetudinem. Elegans autem Aldi & Plantini emendatio. Siquidem minus explorata patum audacter & quodam timore adgredimur.

Non facile] Itaque prisci ferro non abstinuere penitus.

Se ferro committebat.] Se ferro igniqne committebat. A. & P. Non sine causa. Autor enim utriusque postea meminit. Necessitatem indicauit Hippocrates lib. VII. Aphot. XCI. ad Nicolai Leoniceni mentem; LXXXV, ex recensione Iani Cornatii, Anutii Fnesii LXXXIIX; LXXX, de sententia Pauli Offredi; vel Sect. VIII. Aph. VIII. apud Iacobum Hollerium, qui spuriis accenset: Ὁκόσα φάρμακα οὐκ ἰῆται, σίδηρος ἰῆται. ὅσα σίδηρος οὐκ ἰῆται, πῦρ ἰῆται. ὅσα δὲ πῦρ οὐκ ἰῆται, ταῦτα χρὴ νομίζειν ἀνίατα. *Quæcunque non sanant medicamenta, ea ferrum sanat: quæ ferrum non sanat, ea ignis sanat: quæ ignis non sanat, ea incurabilia putare oportet*. Vsus tamen ferri longe crebrior. Enimuero Magnus Felix Ennodius eleganter Orat. XV: *Qui in putridis membris non utitur ferri medicina, serpentibus morbis præstat obsequia. Nam nisi secentur, tabefacta contaminant.*

Speque] A. & P. omisere. Miror. Nam *spes ultimum aduersarum rerum solatium* Senecæ lib. V. controu. I. in qua non minimum est curationis momentum.

Sane] Legendum sanis. i. e. firmis, ac robustis. Ita libri Aldi & Plantini. Cornel. Celsus lib. I. cap. I. *Sanus homo qui bene valet*. Ouidii meliores libri calamo scripti De Remed. Amor. lib. II.

Vulnus in antiquum redit male sana cicatrix.

Vbi editi vulgo *firma*. Sententia tamen sic nihilo est clarior. Sanis enim hoc auxilii genere nequicquam opus est, sed ægris, qui tam durum vix admittunt remedium.

Excludant medicinam & usum medicamentorum,] Etsi receptam autoris lectionem non facile mutauerim, hoc tamen loco rescribendum censeo: Excludant usum medicamentorum ex medicina. Planiori omnino sententia, quam apud Aldum & Plantinum: excludant medicinam de usu medicamentorum. Præterquam enim quod *ex* in *et* mutatum à scriptoribus non raro in veterū libris obseruauerim, Medicinæ nomine artem indicari patet ex iis quæ præcedūt; nisi curationem malis, quemadmodum in Celso lib. VII. cap. VII. Ii vero, quos notat Largus, Medicinam non damnabant eiusue exercitium, sed medicamentorum usu eam spoliabant. Medicamentum autem intelligere superuacuum foret, quum Scribonius paulo ante se usu medicamentorum fateatur profecisse, quæ ex arte proscribi iniquum ducit; nec ea potentia sine manirepetitione

oratio subsistat. Medicinæ tamen vocabulo si quis eam artis partem acceperit, quæ medicamentorum rationem docet, siue etiam pharmacum, veluti Propertius lib. II. Eleg. XIV. & Columella de re rust. lib. VI. cap. XIIX. XXX. XXXI. lib. VII. cap. III, nihil erit quod in vulgata editione desideretur. Sententia etiam satis perspicua legetur: cur ergo aliqui excludant medicina usum medicamentorum: quod librarius forsitan apicem sexti casus notam in m permutauerit, quæ omnino dictio copulatiuam exigebat particulam.

Detegant] MS & Plantinus, detergant. Verior vulgata lectio.

Imprudentiam] Sic etiam Aldus; Plantinus, Impudentiam. Prior vox verisimilior. Quos enim ut mox reprehendit negligentes, necesse est parum cautos fuisse. Nec aliter MS.

Necessaria parte] Cornar. necessaria parte artis.

Magis culpandi sunt. Qui crimine invidentiæ flagrant, quod malum] Ad euidentiorem sententiam sic scribe: magis culpandi, qui crimine inuidentiæ flagrant. Quod malum &c. Aldus: magis culpandi sunt, quia crimine inuidentiæ flagrant, quod malum, &c. Plantinus paulo clarius: magis culpandi sunt, qui c. i. f. &c. Nisi Aldum sic interpungas: magis culpandi sunt; quia c. i. flagrant. Q. m. &c.

Animantibus.] Ita omnes libri. C. Barthius Aduers. lib. XXXVI. cap. IV. ingeniose reposuit, artium amantibus. Vero quidem emendatio similior est: nulla tamen causa cur vulgata lectio nouetur. Hominibus quippe omnibus inuisam esse conuenit inuidiam, dirum viuentibus exitium.

Inuisum esse debet,] A. & P. debeat esse. Ruellii lectionem minime reiiciendam obseruent elegantiæ studiosi, nec magnam traductionis necessitatem.

Plenus misericordiæ & humanitatis animus est,] Demto inciso clariora erunt omnia. Aurea heic præteriisse nefas duco Galeni verba de Hippocratis & Platonis decretis lib. IX. cap. V: *Medicorum finis, quatenus sunt Medici, minime est, ut Menedotus empiricus scriptum reliquit, gloriosus, aut utilis. Sed ipsi Menedoto talis fuit, Diocli vero nequaquam, sicut nec Hipprocati, aut Empedocli, aliisque compluribus ex veteribus, qui humanitate & benignitate hominibus medebantur.*

Voluntatem] i. e. propositum siue institutum, quod mox subiicit.

Omnibus diis] hominibus diisque omnibus inuisi debent esse. Cornat.

Idcirco] Monitum Christiano dignum. In hanc sententiam M. An. Seneca Rhetor Excerpt. Controu. lib. IV. Contr. VII. *Populus Romanus veneno vinci hostem noluit, proditione noluit.* Posteritatis memoria dignum est, regi Pyrrho Cineæ medici de veneno ipsi mercede clam propinando consilium Romanos aperuisse. Quod Ælianus Var. Hist. lib. XII. cap. XXXIII. commemorans optime addit: Δι' ἀρετῆς ἴσασι Ῥωμαῖοι ἀγαθοὶ εἶναι, οὐ μὴν διὰ τέχνης καὶ ἐπιβουλῆς καταγωνίσασθαι τοὺς ἐχθρούς. Iustus Vulteius ita Latino sermoni tradidit: *Romani virtute fortes esse didicerunt: non technis, calliditate, vel insidiis hostem superare.* Iulius Frontinus Strategematum lib. IV. cap. IV. refert de Fabricio duce Romanorum, *qui facinore egere victoriam non arbitratus, regi medicum detexit: atque ea fide meruit, ut ad appetendam amicitiam Romanorum compelleret Pyrrhum.* Sequius Annibal apud Liuium lib. XXXIX. sed mente

ni-

commotior iamiam venenum accepturus: *Mores quidem populi Romani quantum mutauerint, vel hic dies argumento erit. Horum patres Pyrrho regi hosti armato exercitum in Italia habenti, ut à veneno caueret, prædixerunt. Hi legatum consularem, qui auctor esset Prusiæ per scelus occidendi hospitis, miserunt.* Atqui ad Histanem Hellesponti præfectum scribit Hippocrates, non æquum esse, barbaros morbis liberare, quum sint Græcorum hostes.

Sacramento medicinæ est obligatus:] Cornarius. obligatus. Sed persequetur eos, &c. Mos hic quibusdam Academiis in hunc diem solemnis est. Quod vero sanctum est, adiectio iuramenti facit sacrum: unde & iusiurandum appellatur sacramentum, veluti notauit optime Franciscus Conanus Comment. Iur. Ciuil. lib. III. cap. I.

Miles] A. & P. militans. i. e. ferro & aperto Marte, ad patriæ tutelam.

Omnimodo.] Cornar. omni modo, Plant. omnino. Scribe, omni modo, veluti Celsus meus, MS. lib. III. cap. VII. & Ioannes Caius in emendationibus, itemque heic Aldus. Secus enim foret, *omnimode*: quanquam in omnibus etiam excusis libris *omnimodo* lib. VII. cap. IV. eademque forma in MSS. solo accentu omisso. Quod ab Aldo paulo ante expressum acerrimi ingenii Barrhio meo etiam placere video Aduersar. lib. XXXVI. cap. IV. Priscos tamen *omnimodis* per collisionem usurpasse pro *omnibus modis* e Cicerone ostendit Ianus Mellerus Palmerius in Specileg. DCCVI. Quod pariter apud A. Gellium lib. II. cap. XIIX. & Apuleium Flor. deprehendi, etiam apud Lucretium lib. II. vers. CCCCLXXXIIX. qui & lib. III. v. CXVI. *multimodis* usus.

Non fortuna] Recte. Corpori enim humano medela debetur, fortunæ minime.

Homines æstimat,] æstimat homines. Cornarius. Quod mihi placet, ad *suauiar*. *Aures* enim *optimæ orationis arbitræ* apud Diomedem.

Æqualiter omnibus] Vox pietatis plena. Cui affinis Seneca lib. IV. de Beneficiis cap. XXIIX: *Medicina & sceleratis opem ministrat. Compositiones remediorum salutarium nemo suppressit, ne sanarentur indigni.* Hinc Theodorus Zuingerus Physiolog. Med. lib. I. cap. IX. vere Iusti Velsii paradoxum de non curandis malis reiecit.

Implorantibus auxilia sua] Medicos heic ingenuos significat. Ceteris enim ægrotos imperasse planum est, ex L. medicos VI. C. *de profes. & med.* quam de seruis ac libertinæ conditionis hominibus recte interpretatur Franciscus Conanus Com. Iur. Ciuil. lib. II. cap. IIX. dignus qui consulatur. Celsus tamen lib. VII. cap. XX. ait Medicum impetare abstinentiam, & lib. III. cap. VI. famem, sitim, vigiliam. Quam in rem eleganter Symmachus lib. X. Ep. I: *Solent qui medicinam callent, quum iam forti usu in magisterium prouehuntur, ac fiunt artis emeriti, proximis imperare, & feriata manu curationem iuuare præceptis.* Homerus igitur non ab ratione Artem medicam æquilibrem appellat, cui in vitam omnium ius est, quæque imperantibus ipsis imperat. Ægri enim se in potestatem medicorum tradunt, ut vere Hippocrates de Medico.

Succursuram] Ald. & Plant. porrecturam & succursuram. Expeditior plane communis lectio. Medicina quippe ipsius opem sollicitantibus adest.

Hippocrates conditor] Seneca Epist. XCV: *Maximus ille Medicorum &* huius-

huiusmodi scientiæ conditor, qui primus medendi præcepta clarissime condidit. Recte Plin. natur. histor. lib. XXVI. cap. II. *non quod omnia inuenerit, sed quod publicauerit quæ Asclepiadæ familiæ secreta erant.* Vel quia Rationalis sectæ & autor & princeps fuit, ut est apud Galenum Introduct. cap. v. aut quod magis placet, quia eiusdem iudicio de natur. facultat. lib. I. cap. XIII. primus naturæ opera nouit. Adde, multa inuenisse, quæ Galenus variis in locis dilaudat. Quo fortassis nomine Celsus etiam Procem. lib. VII. omnis medicinæ parentem, & lib. II. cap. XIV. vetustissimum autorem vocat, etiamsi lib. VII. Procem. priores agnoscat; Soranus quoque Ephesius Isag. med. Præfat. parentem & inuentorem omnium bonorum operum.

Ab iureiurando] Ald. & Plant. à iureiurando. Sed veterum exemplis prior lectio stabilitur. Laudatum hoc à plurimis etiam Ictiptoribus factis. D. Hieronymus ad Nepotianum Epist. II: *Hippocrates adiurat discipulos antequam doceat, & in verba sua iurare compellit, extorquet sacramento silentium; sermonem, incessum, habitum, moresque præscribit: quanto magis nos, quibus animarum cura commissa est, omnium Christianorum domos debemus amare quasi proprias!* Eiusmodi ritus necessitatem sapienter apud Stob. Serm. CXII. indicauit Sophocles in Hippodamia:

Ὅρκου δὲ προστεθέντος ἐπιμελεστέρα
Ψυχὴ κατέστη. δισσὰ γὰρ φυλάσσεται,
Φίλων τε μέμψιν, καὶ εἰς θεοὺς ἁμαρτάνειν.

Cunradus Gesnerus vertit:

Apposito iureiurando cautior & diligentior
Animus fit. A duobus enim sibi tum cauet,
Et ne lædat amicos, & ne peccet in Deos.

Eamque Medicis per secula continuatam ostendit plane, qui Traiani & Adriani temporibus vixit, Soranus Isagoges in artem medicam cap. II. ubi suadet, artis medicæ tironem *per sacramentum iuramenti* sumere doctrinam Grammaticam, Rhetoricam, Arithmeticam, Astrorum quoque rationem. Sequenti vero Capite à medico exigit, *memor sit iuramenti Hippocratis, ut ab omni culpa se abstineat.* Religiose omnia!

Sanctum est,] id est, lege quadam sanctè constitutum.

Ne prægnanti] A. & P. ut ne prægnanti. Grammatici vero notant *ut* magis ornatus quam necessitatis causa huic particulæ iungi.

Longe] A. & P. videlicet longe. Quid vero confirmatione opus in re adeo manifesta.

Nefas] Ita cum Stephano malui. Hoc quippe à *ne* & *fari* deriuatum.

Existimauerit] Cornar. existimauerint. Malim vulgatam lectionem.

Spem dubiam hominis lædere.] A. & P. spe dubia homines lædere. Venustior antiqua lectio; immo verior. Autor enim fœtum innuit, seu nondum in lucem editum: qui tamen homo censetur apud Iurisconsultos. Vnde Iuuenalis Sat. VI. vers. cccxcv. eleganter *hommes in ventre* dixit. Regia Lex *spem animantis* nominat; Minucius Felix *originem futuri hominis*. Quod proxime accedit ad Horum Apollinem, qui Hieroglyphico XXIV. significanter: Ἄπλαστον δὲ ἄνθρωπον γράφοντες βάτραχον ζωγραφοῦσιν. *Rana denotat hominem nec dum omnibus in*

utero

utero membris efformatum.

Lædere] Græcis hoc ἐκτρῶσαι notat Eustathius, quando fœtus nondum formatus: etiamsi hoc verbum Phrynichus Atticum neget.

Perfectè iam nato] A. & P. perfectò iam nocere. Vulgata lectio satis planior.

Iudicabit] iudicabunt? Cornarius. Religiosum hoc pronunciatum confirmat De exhortat. castitatis cap. XII. Tertullianus: *Puto nobis non magis licere nascentem necare, quam natum*. Hoc ipsum crimen Ouidius non leuiter perstringit Amor. lib. II. Eleg. XIV.

Secundum ipsius propositum] i. e. artis institutum siue munus; vel ex decreto ipsius Hippocratis, quod arti medicæ initiatis præscripsit.

Incumbat] A. & P. excubat. Altera vox significantior. Scribonius enim heic totus in asserendo Pharmaciæ studio.

Pollicetur hominibus] Sic etiam Aldus. Plant. hominibus pollicetur.

Aliosque deterrent] Al. alios quoque deterrere. Pl. alios deterrere.

Negando] Rectius negare fortassis. Verum si adiecto inciso legatur: *Desinant ergo*, id est, cessent, seque contineant; sententia erit integra, nec quidquam immutandum.

Per vim] i. e. virtutem, ut infra.

Etenim quasi per gradus] Similiter Aldus. Plantina editio *quasi* neglexit. Perperam. Quia substantiæ similitudo, non imaginis heic exprimitur. Huius moniti in diuturnis affectibus præcipuus obseruatur usus. Hæc enim auxilia, ubi induciis locus, separatim adhibentur. In simplici intemperie secus, cui solus plerumque victus efficax. Nec tamen inter sectionem & ustionem hic semper ordo seruatur, sed quem affectus ratio postulat. Mutuam horum connexionem indicauit autor Comp. cc. Quem egregie illustrat Seneca de Ira lib. I. cap. V.

Ad sectionem,] Cels. lib. VII. cap. III. *magno malo vix sine ferro mederi licet*.

Ad ustionem] Sic Hippocrates Sect. V. Aph. XCI.

Deuenit] Cornar. venit.

At Asclepiades] Prolepsis, qua opinio Asclepiadis vere declaratur.

Maximus autor medicinæ] Apuleius *Asclepiades ille, inter præcipuos medicorum, si unum Hippocratem excipias, ceteris princeps*.

Mendacio] Nimirum, non inficiantur Asclepiadem id affirmasse, verum contendunt ipsum non dixisse quod res est. Mendacio enim aliquis per imprudentiam à vero discedit. Itaq; Asclepiadi hoc forsan per incuriam excidit, quod animo id alio protulerit.

Etiam pro argumento utuntur.] In Plant. editione *etiam* non legitur. Vim tamen orationis auget: quasi dicat, ad hoc usque tempus: & in MS non desideratur.

Poteram tamen, si verum id esset, dicere: Viderit Asclepiades quid senserit: forsan &c.] Ald. & Pl. Poteram tamen, si verum id esset, dicere, quid Asclepiades senserit, forsitan n. o. Antiqua lectio significantius concessionem præfert: cuius hæc mens: Asclepiades opinionis suæ rationem reddat.

Animum intendit.] Celsus Procem. lib. V. ipsum aliter excusat, immo sic defendit de medicamentis differens: *Horum usum ex magna parte Asclepiades non sine causa sustulit: & quum omnia fere medicamenta stomachum lædant, ma-*

lique

lique succi sint, ad ipsius victus rationem potius omnem curam suam transtulit. Idem Scribonius mox insinuat.

Homo fuit] Cornar. Homo sane fuit, qui parum feliciter se in hoc negotio gessit. Itaque non deterreor persona, &c. Sententia recepta satis perspicua. Nempe, veniam meretur. Solemnis hæc veteribus deprecandi formula. Qua Petronius: *fateor me domina sæpe peccasse. Nam & homo sum, & adhuc iuvenis.* Sapientissimum est L. Annæi monitum Epist. xcv: *Iste versus & in pectore & in ore sit: Homo sum, humani nihil à me alienum puto.* Ita Chremes apud Terentium in Heautontimorumeno Act. I. Sc. I. Quem Ioannes Calphurnius ad mentem Stoici nostri vere de communi societatis nostræ studio interpretatur.

Persona] i. e. tanti viri autoritate.

Quum rem tam manifeste prodesse videam.] A. & P. quum te manifesta prodesse videor. Priora autem verba medicamentorum vindicias rectius prosequuntur.

Impudenter comminiscantur de eo,] Ald. impudenter quidam de eo mala comminiscantur. Plant. impudenter quidem de eo male. Sed prior editio satis perspicua; quum peruerse in mente fingant, quæ non sunt.

Genere quodam] A. & P. quodammodo. Antiquam lectionem firmat Comp. LXXXIV. & CLXXI. cuius rationem habet index.

Parricidium] Quidam non inepte malunt patricidium. Quod hoc loco facinus in parentem & autorem medicinæ. Doctores enim parentum voce habentur, ex Iur. Hippocratis: quanquam & de quolibet scelere, sed grauiore, usurpat Cicero II. de Leg. Ait enim *Sacrum, sacroue commendatum qui clepsit, rapsitque, parricida esto.* Quæ Aldi Manuccii lectio placet. Sic Hieronymus Cardanus de vita propria, cap. LIII. satis eleganter: *otii parricida mei.*

Sacrilegium] Quod sacramento essent obligati.

Febricitantibus.] Sic Hippocrates lib. de Medicament.

Ὀξῆ πάθη] Ruell. & H. Stephanus cum Cornario A. ὀξυπάθη & P. oxypathe. Corrupte.

Medicamenta] Valida priscis temporibus frequentiora quam nostris, quibus mitiora magno bono innotuere.

Cibo] Ita Strabone autore lib. XV. Medici olim apud Indos censuerunt Medicinam plurimum per cibos perfici, non autem per medicamenta. Ex medicamentis maxime unctiones probari, & cataplasmata: quod cetera maleficii non sint expertia, quemadmodum Cornelii Celsi verbis ostendi. Victum Pharmacis itidem præferr Alsaharauius Tr. XXXI. Sect. II. cap. I. Recte senex Cous Libro de Purg. Remediis. *Quin & cibos, quorum nutricatu fruimur, pharmaca esse putandum est. Homines enim, qui commode horum usum ineunt, salubriter degunt.*

Παρασκευασιῶν] Ita & H. Stephanus. Cornar. Parasceuôn. Al. Parasceuôn. Pl. Parasceuων. Eademq; ratione Andreas Tiraquellus de Nobilitate cap. XXXI. num. IX. παρασκευῶν. Quod ipsiusmet autoris interpretationi propius. Apparatum vero Medici titulus iste videtur innuere. Ita Phrynichus παρασκευὴς σοφιστικῆς i. e. *apparatus oratorii*, interprete Petro Io. Nunnesio, libros promiserat septem

ſeptem ſupra triginta, veluti ſcribit Photius in Bibliotheca, vel quod notauit Suidas XLVIII. aut quod aliis placet LXXXIV. Aſclepiadis ad Eraſiſtratum libros Paraſceuaſticos nominat quoque Cæl. Aurelian. Chron. lib. II. cap. XIII.

Ternaſue] Cornar. ternaſque.

Et expertas protinus] A. & P. & expertas, & protinus p. h. Sed poſterior copula redundat. Plin. lib. XXV. cap. II. *Turpiſſima cauſa raritatis, quod etiam qui ſciunt demonſtrare nolunt, tanquam ipſis periturum ſit, quod tradiderunt alus.*

Cui] quæ MS. Recepta lectio ſatis proba.

Niſi plura quis] Cornar. niſi plura ad unumquodque genus vitii.

Licentia] h. e. libertas, quæ infra liberum arbitrium dicitur, comminiſcendi, vel excludendi medicamenta ex arte.

Nomine tantummodo] Qui non reapſe medici titulum promerentur. Tales Hippocrati in Lege *ψηφῳ φήμῃ*.

Quorundam] ſc. laborantium.

Iudicat] Vid. Comp. LXXXIV.

Quum interim nemo] A. & P. cum nemo. Quo etiam modo ab autore ſcriptum fortaſſis, ut alliterationem declinaret.

Ne imaginem quidem ſuam] Ita quoque Aldus poſt MS. Plantinus *quidem* ſine cauſa præterit.

Artifice] A. & P. artifici. Vtrumque bene.

Electo. Habent itaque omnes pondera atque menſuras exactas,] Cornar. atque electo: habeatne omnia A. & P. electo, habeantne omnia pondera ac m. e. Legendum videtur: Habeant itaque. MS habeantque omnes. Etenim ſententia iſthæc verius præcepti, quam concluſionis, vicem habet.

Erroris] Cornar. Errorum.

In rebus non neceſſariis] A. & P. in rebus neceſſariis. Nihil muto. Res enim non neceſſariæ Galeno Art. med. cap. LXXXV quæ vitari poſſunt: cuius generis ſunt medicamenta. Quæ etiamſi à nonnullis inter ea recenſentur, quæ adſumuntur, atque adeo neceſſaria ſunt; Galenus tamen hoc loco ſemper cibi & potus, item victus, medicamenti nunquam, meminit. Neque enim hoc ſanis conuenit eodem teſte de Sanitate tuenda lib. I. cap. IX. nec ullum corpori alimentum præbet, quemadmodum rectè aduertit de Alimentor. facultat. lib. II. cap. XVI.

Accidat: videlicet] accidat. Videlicet

Pluris omnia quam] Cornar. Pluris aliæ quam ſeipſos æſtiment. ſ. pluris quam omnia. Qui nempe ambitione ac auaritia Medici partes affectant ſui commodi nimis quam ſtudioſi, negligentes alieni.

Itaque] A. & P. Ob quod.

Cuique] A. & P. unicuique. Irritus utrobique emendationis labor, qui nihilo plus adfert lucis.

De his] Ita MS. Plantinus de iis.

Vbi enim delectus non eſt] Aptiſſima noſtro ſeculo querela: quo nullum fuit hiſtrionum fetacius.

Eodem numero] A. & P. eodem modo. Prior lectio ſitne Romana conſuetudine dignior, vos appello manes Tulliani.

Habetur, quod ſine labore poteſt contingere:] A. & P. habetur, diſciplinæ

ac sectæ obseruatio perit, quodque sine labore potest contingere, & in quo dignitatis atque utilitatis præstare videtur æqualitas, id unusquisque magis sequitur. Nisi veteris libri autoritas intercessisset, communis lectio sic retinenda habetur, quod sine labore &c. In MS. autem legitur *utilitas* pro *æqualitas*. Inepte. Dicti caussam vere aperuit Celsus lib. III. cap. X: *Qui quæstui seruiunt, quoniam is maior ex populo est, libenter amplectuntur ea præcepta, quæ sedulitatem non exigunt*.

Sic ut quisque volet, faciet medicinam.] A. & P. Atque ut quisque volet, facit & medicinam. Cornar. ut quisque vult. Prima lectio epiphonemate indignationis pleno melius animos excitat.

Magnitudo professionis] A. & Pl. addunt *eius*. Sed maiori elegantia omittitur. Iam enim huius epistolæ initio disciplina medicinæ diserte nominatur. Artis vero amplitudo licentiam indulsit; quandoquidem certis limitibus circumscribi aut legibus coerceri non potest.

Vnius partis sanandi scientia] A. P. & MS. unius infirmitatis sanandæ scientia m. p. n. c. In vulgata editione legendum: unius partis sanandæ scientia. Rectius *unius partis*; quam *infirmitatis*, in ocularijs planum est; quos diuersi unius oculi affectus, Introduct. apud Galenum cap. XV. potissimum noti, occupant. Horum autem mentio Comp. XXXVII.

Hos vero ab initio rectam viam secuti,] Legendum fortassis: Hos vero ab initio recta via secuti. Exscriptori namque imperito aut festinanti procliue fuit circumflexionis notam in m vertere. Qui lapsus in libris antiquorum sæpius animaduertitur. Sed facilior frequentiorque alter ex affinitate characterum H & N in vetustioribus libris, Italorum plurimis adhuc recepta, legi suadet: Nos vero a. i. rectam v. s. Quod primum Ruellio, deinde post Cornarium H. Stephano & Plantino etiam video placuisse. Sic enim per oppositionem uniuersæ artis medicæ usus declaratur. Quam Scribonii mentem cetera indicant.

Quæ homini permittitur,] A. & P. quam homini permittitur. Non diffiteor sic quidem legi posse, si *quam* pro *quantum* accipiatur. Priori tamen modulo simillimum Medici attributum apud Hippocratem in Iureiurando, κατ' δύναμιν. Vita enim breuis, ars longa. Quo etiam modo vere legitur *qua*, sicut mox, *qua possum*.

Ducti] Al. & Pl. non habent. Omitti etiam potest: quanquam orationem efficit pleniorem.

Artis scientia.] Ald. artis scientiæ. Verior mens prioris formulæ. Peritia namque honoribus opibusque heic opponitur.

Magnum enim] Ideo primi medici in Deorum familiam relati.

Tueri, & recuperare] tueri, vel recuperare suam, Cornar. In his enim duobus Medici munus consistit. Quod Galenus Meth. Med. lib. IV. cap. III. attigit.

Vniuscuiusque] Medicina enim non personis homines æstimat.

Bonam valetudinem] Ita Celsus lib. IV. cap. V. apud quem lib. II. cap. XII. XIV. & lib. IV. cap. II. Valetudo morbus est. Secundæ porro aduersa repugnat Procemio lib. I. & lib. II. cap. IX. itemque autori hac epistola.

Per medicamenta] Venusta circumscriptione Pharmacia notatur.

Sed quid] MS. *Si quid*, nulla sententia.

Pe-

Petiisti.] petisti. Cornar.

Compositiones] Hinc libri titulus confirmatur.

Plene] A. & P. pleniſſime. Alterutrum elige.

Mihi autem etiam peculiariter.] A. & P. mihi etiam peculiariter præſtas. Neſcio cur hæc verba mutilarint, vel ſine maiori venuſtate aut perſpicacia mutauerint quæ ſequuntur.

Quas deſideraſti,] A. & P. quæ deſideras remedia.

Si quas alias expertas in præſenti habui,] A. & P. ſi qua alia de expertis in præſenti habui. Minus concinne.

Contuli,] A. & P. addunt, quem ad te miſi.

Reſpondere,] Adeo libertis quoque noteſcere pro magnifico accipiebatur. Quod M. Terentius apud Tacitum Annal. lib. VI. libere fatetur. Nec immerito ſe ſtudioſum heic profitetur Scribonius; quum Claudius libertos, quos rei familiari præfecerat, ſibique & legibus æquauerit.

His diebus.] A. & P. iſtis diebus. Veriſimilior vulgata lectio. Nam in Cæſaris comitatum pridem receptus erat.

Scripta mea Latina] Quid hiſce apertius Largi ſtilum Romano idiomati vindicat?

Medicinalia] A. & P. Celſum in Epiſtola ad Pullium Natalem imitati, de Medicinalibus.

Deo noſtro] Cornarius *noſtro Cæſari*, omiſſo Dei nomine. Ex his quidam putant libellum ab exceſſu Claudii Cæſaris, qui Dione teſte poſt cædem Deis à Netone adſcriptus, Iulio Calliſto dicatum, qui Cæſari viuo quem tradiderat poſtea diuinis eius manibus conſecraſſet. Verum Dei nomen viuentibus, ut Diui mortuis plerumque conferebatur: quanquam & poſterius promiſcue uſurpatum; quidquid in Gloſſario tradat Iſidorus. Etenim de Cæſare ſuperſtite Lyricorum princeps Carm. Lib. III. Ode V:

Præſens diuus habebitur
Auguſtus.

Quod eruditiſſimus Voſſius admittit, quoniam vivus flamines habuit, non in urbe quidem, ſed in prouincia. Poſteriores tamen hunc honorem ad ſuperos tranſlatis præcipue arrogarunt. Qua ratione L. Diui XXIV. D. de tutor. & curat. dat. ab his. *Diui Marcus, & Verus*, & L. I. §. I. D. qui pet. tut. *Diuus Seuerus*. Itemque L. filiusfamilias, XCIV. §. *Diui Seuerus & Antoninus*. D. de Legat. I. Vlpianus etiam Seuerum Imperatorem vocat Diuum, quum Antonino ſuperſtite inter diuos eſſet relatus. Diui fratres itidem apud Iuriſconſultos intelliguntur M. Antoninus & L. Verus Imperatores: quod Antonius Auguſtinus ad Modeſtinum erudite monuit. Romæ quoque in foro boario ſuperliminari veteris templi adhuc inſcriptum: DIVO ANTONINO ET DIVAE FAVSTINAE

Cœleſtes etiam honores Claudio decernuntur, ut autor Tacitus Annal. lib. XII. ideoq; apud eundem in Agricolæ vita recte Divus cognominatur, ſicut Plinio etiam lib. II. cap. XXXI. Ita Panormi vetus monumentum: DIVO CLAVDIO RESP. PANHORMIT

Sed & defuncti Imperatores æui poſterioris Diui appellantur in priuilegio Caroli IV, quo Franciſcum Carrariæ Ducem Anno MCCCLXIII Pragæ decorauit,

Verius igitur diuinis manibus consecrasti, est Cæsari obtulisti. Nam Scribonius ait Callistum iudicii periculum apud Cæsarem adiisse. Illam vero cultus rationem non usque absurdam in vindiciis Scribonianis nuper patefecimus. Ita Martialis de Domitiano ex Sarmatis victore lib. IIX. Epigr. II.

Fastorum genitor parensque Ianus
Terrarum Domino, Deoque rerum,
Promisit Pyliam quater senectam.

Et lib. IX. Epigr. LXIX. de eodem ad Fabullum:

Quod petis à nostro supplex Dominoque Deoque,
Tu dabis ipse tibi.

Aldus vero & Plantinus freti Cornarii iudicio autori parum æqui fuerunt in ejicienda voce, quam ipse Compos. LX. & CLXIII. retinuit.

Quorum potestatem tibi feceram, ut ipse prior legeres, simpliciterque indicares mihi quid sentires de his] Pl. & Cornar.

Diligentiam meam sub tanti nominis editione,] A. & P. dignos nomine editionis, Priora magis perspicua, immo augusta: quoniam liber Cæsari nuncupatus.

Laudando] A. & P. ea tradendo. Hoc autem officii genus pridem commemorauit. Malim itaque alteri lectioni adhærere, quandoquidem commendatio scriptis pondus addidit.

Libenter inicas] Miror qua de causa Aldus & Plantinus hæc expunxerint, quæ confessionis ingenuæ plena sunt.

Tibi gratias agere,] Cornar. gratias tibi agere.

Quod contigit] A. & P. & quod contigit. Initio sic legendum censui, nisi scriptum fuerit *quo*. Vtroque enim modo constabit sententia, quanquam prior magis arridet.

Fauore plenissimo tuo.] Cornar. fauore tuo.

Huius mei] MS. huius me.

Si paucæ visæ tibi] Cornar. si paucæ tibi visæ.

Peregre] Liber forsan scriptus in expeditione Britannica, cui etiam Callistus Cæsari acceptus sine dubio interfuit.

Necessarius admodum numerus libellorum] Ad memoriæ subsidium, veluti penu quoddam litterarium. Hoc etiam modo sese Catullus excusat Carmine LXIX: *Scriptorum non magna est copia apud me.* Ingentem vero librorum vim Romanis fuisse, vel hinc intelligere licet, quod Galenus de Simplicium facultat. lib. VI. affirmat, *non defecturos libros utiles, etiamsi in tota vita quis aliud nihil quam de medicamentis legere volet.*

Postea tamen] A. & P. Postea autem.

Vitia plures] MS. compositiones plures. A. in Marcelli editione, & P. ista neglexere; quamuis proximæ deprecationi ex æquo conueniant. Aldus tamen hic Ruellium sequitur.

Quædam quibusdam magis,] Cornarius: quædam magis quibusdam.

Non omnes omnibus conueniunt,] In hanc rem sui operis proloquio Celsus: *Proprietatis notitia sæpe necessaria est; quia non eadem omnibus, etiam in similibus casibus opitulantur.* Ex his autem Scribonii verbis patet, epistolam ipsius esse, non Celsi. Quadrat enim ad operis epilogum: ubi C. Iulii Callisti mentio, quemad-

quemadmodum & Comp.CLI.Marcellus etiam Burdegalensis epistola ad filios fatetur se eorum epistolas operi suo adiecisse, quorum studium est æmulatus. In iis autem nemo prior Scribonio,quem ferme integrum in sua Empirica transtulit.

Corporum. Quarum initium à capite faciemus.] Sic MS: A. & P.corporum & affectionum, quarum i. a. c. f. Ruellii lectio congruit operis epilogo. Cetera sic distingue. Quarum initium à capite faciemus: summum enim & primum locum hoc obtinet: dantes operam ut simplicia porro ponamus. Cornarius: Summum enim & quasi primum locum hoc obtinet.

Simplicia primo ponamus.] A. & P. Simplicia remedia prima quæque ponamus. Quorsum vero tot verborum globuli, ubi nulla est in breuitate obscuritas? Summum & primum locum caput obtinet. Quo etiam modo Publ. Vegetius Artis veterinar. lib. II. cap. I. Est enim diuinæ mentis arx. De quo eleganter Lactantius de Opificio Dei cap. VIII.

Interdum] Prudenter. Hanc enim Scribonii, quem medicum celeberrimum vocat, opinionem antiquorum plerisque probatam dum vellicat Cardanus peculiari Libello de Medicinarum Simplicium noxa,id solum obtinet,quod eorum incommoda monstrat: quæ tantum abest cuicunque medicinæ ullus negauerit, ut non potius eam studeat emendare.

Efficaciora] Caussam adfert Seneca de medicina priscorum differens Ep.XCV. *Non est mirum tunc illam minus negotii habuisse firmis adhuc solidisque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto.* Plin. nat. histor. lib. XXII. cap. XXIII. vetius: *Nos simplicia tractamus: quoniam in his naturam esse apparet, in mixtis coniecturam sæpe fallacem:nulli satis custodita in mixturis concordia naturæ ac repugnantia.* Et sequenti capite: *Non fecit cerata, malagmata, emplastra, collyria, antidota, parens illa ac diuina rerum artifex: officinarum hæc, immo verius auaritiæ commenta sunt.* Hac, ni fallor, mente Alhasarauio Theor. Tr. XV. *Medicamentorum compositio labor & vanitas.*

Erit autem nota denarii unius pro Græca drachma.] A. & P. Erit autem nota denarii pro Græca drachma. Non improbo: quamuis & reliqua libens admittam hoc modo: Erit autem nota denarii unius &c.

In libra ✱ denarii] Scribe: in libra denarii &c. Sic etiam Cornarius. Nec aliter vetus MS.

Quatuor apud nos,] Alii, quod etiam obseruauit Ruellius, legunt: quatuor apud nos sunt, sicut drachmæ apud Græcos incurrunt. Sic etiam libet MS. cuius coronidi subiectum: FINIT EPISTOLA PRIMA. Nam & alteram Pullio Natali inscriptam habet. Scriptura vulgatior placet, quam Franciscus Hotomannus clarissimus I. C. quoque amplectitur, de re numaria Populi Romani part. I. cap. I. & part. II. cap. III. Dum vero ait *apud nos*, Celsum in epistola ad Pullium Natalem sequutus autor se Romanæ conditionis ostendit.

Primum ergo] Aldi apud Marcellum à Cornario vulgatum, secus quam in Scribonio, Plantini pariter editio hac propositione est mutilata. Imo & alia desideraris aduertit Barthius Aduersar. lib. XXXVI. cap. IV. ubi queritur de correctore,qui Epistolæ finem ad indicem capitum necessario pertinentem detruncauit, ne Scribonio iure clarissimo, quem Diis hominibusque infestum fabricabatur,

babatur, cederet Cornelius Celsus. Verum antiquis libris destituti nihil heic pronunciamus. Id certum, Cornario heic suffragari antiquissimum Marcelli codicem, cui liberalis hodie possessor obrigit: in quo index compositionum, epistolæ ad Callistum, quo nunc exstat modo, à Comario emendatus præmittitur. Placet interim Henrici Stephani iudicium, qui cum Ruellio indicem heic inseruit. Cratandri utique editioni Basiliensi, quæ reliquis decumanæ magnitudinis enchiridii forma receptior, ab Indice principium est. Si quis tamen ipsa Scribonii verba diligentius expenderit, Ruellii consilium quin sit probaturus minime dubito. Quamuis enim Clarissimi Vossii Marcellus eum præferat, librarii potius id arbitrio, quam autoris adscribendum. Neque enim ipsi congruit, cui suus etiam præfigitur: ut miret Aldum hanc ipsam Epistolam Scriboniò secus ac Marcello integram præposuisse. Et cur primus editor Ruellius à vetustiore MS discessisset? Nec sane lemmatis capitulatim additis Largi instituto satisfactum videtur: quanquam & hoc fortassis nomine Aldus indicem ut superuacuum omisit. Ista enim ab alio esse suadet intertupta quandoque orationis series, nec indici satis congrua. Priscis insuper hanc fuisse docendi viam, rerum naturalium historia Plinius, & Arabum princeps medicus Abensina luculento satis exemplo demonstrant.

Numeris notauimus,] Hunc veterum fuisse morem suo exemplo monstrant Plinius maior varii operis initio, & libro nuper dicto A. Gellius. Galenus partem Methodi med. lib. vii. cap. i. fatetur se capita inuentorum breuibus commentariis scripsisse.

Nomina & pondera] Ioannes Coyttarus de Febr. purpur. lib. ii. cap. postremo notat Græcos non posuisse formas, doses, & nomina medicamentorum, quod scriberent eruditis. Galenus tamen de Antidotis lib. i. cap. v. laudat Menecratem, qui formulas compositionum integris tradiderat litteris; quem se imitaturum pollicetur: etiamsi veteres librarios notis perscripsisse & figuris exquisitis reliquit idem Lib. de dignosc. animi morb. cap. ix. Hæc vero vitiis particulatim destinaræ. Quæ etiam ratione Coytrarus vere monuit Hippocratem & Rhasin omisisse uniuersalia remedia. Idem quoq; de numeris ponderum ciuilium præcepisse Basilium suggerit Cedrenus Histor. Compend. interprete Guilielmo Xylandro: *Animaduertens porro occasionem maleficii prauis hominibus eo dari, quod numeri, quibus verbi gratia semissis, sextans, uncia, & similia designantur, per notas recepta antiquitus consuetudine scriberentur: loco notarum litteris uti iussit, quas etiam rustici legere possent: & de suo sumtus in chartas, litteras, atque scribas suppeditauit.* Quem Scribonio etiam fuisse animum Composit. i. cxliv. ccix. ccxii. ccxv. ccxvi. ccxxix. ccxxx. ccxxxvii. ccxxxix. ccxlvi. & cclv. minime obscurum est.

COM-

COMPOSITIONVM INDEX.

COMPOS. XI. Editionis Parisinæ adminiculo, quæ Ioannis Ruellii est, itemque ex Henrico Stephano, & Scribonii contextu, hoc lemma sic restituo. *Ad capitis dolorem quemuis veterem, quæ res in perpetuum sanat.*

XII. *Ad Comitialem morbum, & Crapulam.* Præter unum quippe remedium simplex nihil heic occurrit.

XIII. *Ad eundem alia.* Nisi malis Ruellii & Henrici Stephani exemplo cuilibet numero vulgatum heic titulum præscribere.

XX. Collyrium ex plantaginis succo, non exstat.

XXII. Ad easdem Diaglaucium.] Ab aliena manu cetera.

XXV. *Collyrium ad sordida ulcera, & crustas, quas ἰσχάρας Græci vocant. Item ad Carbunculos.*] Quæ sequuntur, ita separentur.

XXVI. Ad pustulas, & aspritudinem palpebrarum recentem; ad ustiones, & ulcera: item ad cicatrices, quod quidam Athenippon, quidam Diasmyrnes, alii ἰνώδεις vocant.] Henric. Stephan. *Athenippum.*

XXIIX. *Collyria acria ad cicatrices extenuandas, & palpebrarum aspritudinem.*

XXIX. Alio modo] Repone. Περίχριστα *ad idem.*

XXXI. *Aliud, quo Augustus usus est.*

XXXII. *Collyrium psoricum ad caliginem &c.*

XXXIII. *Ad aspritudinem, & caliginem.*

XLI. Exhulcerationem] *exulcerationem* Ruel. & H. Stephan.

XLVII. Adspirant,] Lege, *spirent.*

XLIX. *Ad idem.* Ruell. & Steph.

LV. Quæ enim manducare oportet.] Sic omnes libri. Scribo: *Quæ commanducare oportet.*

LVII. Qui mouentur] Lege. *Quando mouentur.*

LXIII. *Ad idem.* Ruell. & Steph.

LXV. *Ad idem.* Ruel. & Steph.

LXVI. *Ad suppurationem faucium suspectam; etiam factam.*

LXIX. LXX. *Item ad idem compositum ex pluribus.* Ruel. & Steph.

LXXV. Arteriace, quæ melior non est; facit ad omne vitium arteriæ.] Reliqua expungantur.

LXXIIX. LXXIX. *Item ad idem compositum ex pluribus.* Ruell. & Steph.

LXXXIII. *Ad sanguinis eruptionem ex arteria, vel de pectore, vel de pulmone simplicia quinque.*

LXXXIV. *Imponenda extra quæ sunt, & quæ vitanda.*

Pastilli duo ad idem.] Exterantur.

LXXXV. *Pastillus ad idem, & ad Dysentericos.*

LXXXVII. *Catapotium ad tussim veterem cum fluore.*
LXXXIIX. *Catapotium ad tussim aridam.*
XC. Pastus] *partis* Ruel. & Steph. ex Scribonio.
XCI. Pastillus ad idem] *Pastillus ad eadem.* Varia enim vitia in præcedentibus recensentur.
Valentis præceptoris mei.] Eius nulla in hac Compositione mentio, sed XCIV.
XCII. Et oculorum epiphoras.] Ad proximam Compositionem pertinent: ubi legendum. *Pastillus ex odoribus: facit ad omnem dolorem, proprie autem ad tussim, & oculorum epiphoras.*
XCIV. *Medicamentum, q. e. f. a. t. a. c. l. d. cum febre, Apuleii Celsi.*
CI. Et facies prauas.] Malo, *& prauam faciem.*
CIV. *Ad eos quibus frequenter inacescit cibus, & qui inflationibus stomachi urgentur, & melancholicos.* Henr. Steph.
CX. *Aliud ad idem.* Ruel. & Steph.
CXII. *Alter melior ad eosdem.* Ruel. & Steph.
CXIII. *Alter ad torminosos efficacior.* Ruel. & Steph.
CXVI. *Ad εἰλεὸν, quod vitium est inflammatio intestinorum perniciosa.*
CXX. Colice] *Colica* Ruel. & Steph.
CXXIII. *Ad tumorem, dolorem iocineris, & duritiem.*
CXXV. *Ad tumorem & dolorem cum duritie iocineris, & lienis, & ad renum dolorem, & qui propter hæc mali coloris sunt* &c.
CXXVII. Quidam regium] Dele. Imo, ut lemma fit breuissimum, lege tantum, *Ad aurigmem.* Cetera pertinent ad contextum.
CXXIX. *Aliud ad lienosos medicamentum.* Ruel. & Steph.
CXXXI. *Aliud extra impositum.* Ruel. & Steph.
CXXXVI. *Ad idem.* Ruel. & Steph.
CXXXVII. *Ad idem.* Ruel. & Steph.
CXXXIIX. Purgatio] *Altera Purgatio &c.* Ruel. & Steph.
CXXXIX. *Alia purgatio eiusdem generis,* Ruel. & Steph.
CXL. *Ad tænias necandas.*] Reliqua non sunt huius loci.
CXLII. Ad Τεινεσμὸν] Sequentia non sunt à glossemate aliena. Nec lemmati suo contextus respondet.
CXLIII. *Ad renum tumorem, & exulcerationem: etiam si sanguinolentam urinam faciant.* Scribonius in lemmate, atque contextu.
CXLVI. *Ad tumorem, dolorem, & exulcerationem vesicæ.*
CXLVII. *Ad tumorem, dolorem vesicæ, & difficilem exitum urinæ.* Cetera sapiunt glossema.
CXLIX. *Ad sanguinem cum dolore per urinam reddentes.*
CLI. *Alterum ad eosdem.* Ruel. & Steph.
CLII. *Aliud ad calculosos.* Ruel. & Steph.
CLV. Transferatur numerus ad proximum titulum, qui hoc modo constituendus. *Ad lumborum dolorem, & Paralysin.* Reliqua sic dirimantur.
CLVI. *Ad lumborum dolorem, & Paralysin Antioch: antidotus: Acopum ad Paralysin.*

CLIX.

CLIX. *Ad eandem podagram.* Ruel. & Steph.
CLXI. *Ad eandem quasi ακροπυρον.* Ruel. & Steph.
CLXXIII. *Antidotos Celsi.* Ruel. & Steph.
CLXXIV. Compositio alia.] Nullum huius vestigium.
CLXXVII. Omissis aliis lege; *Antidotus Marciani, quæ Augusto componebatur.*
CLXXXIX. *Singulorum malorum medicamentorum propria auxilia.*
CCI. *Item Emplastra.* Ruel. & Steph.
CCVI. *Emplastrum viride Glyconis chirurgi ad omnia mirificum vitia corporis: vocatur Isis.* Ruel. & Steph.
CCVII. *Βάρβαρος*] Barbarum. Vide huius Compositionis emendationes.
CCIIX. Præcisos] *incisos.*
CCIX. Artuum: Redundat. Scribe: *fracta sunt, sine alligatura* &c.
CCX. Basilice.] f. *Basilicon*, ut in contextu. Ruellii tamen editio Parisina, & H. Stephani habet Βασιλική. Qua dictionis formula Galenus etiam usus de Antidotis lib. II. cap. II. & Scribonius ipse Compos. CCXXXIX.
CCXI. Tetrapharmacos.] Ruel. edit. Paris. & H. Stephani Τετραφάρμακος. Rectius, ut autor, τετραφάρμακον.
CCXII. In tenuioribus] Ita Scribon. Comp. XXVI. *in tenerioribus* Ruel. & Steph, ad modum Celsi lib. II. cap. I. IIX. X. & lib. III. cap. XXI.
CCXIII. *Alterum rubrum emplastrum Megetis Chirurgi, quo venatores utuntur. Facit enim ad* &c.
CCXIV. Lanam succidam] Autor huius non meminit.
CCXV. Vlcera] *corpora*, velut in contextu ipso, & Compos. CCXIV.
CCXVI. Episphasticum] Henr. Stephanus cum Ruellio ἐπίσπαστικόν. Verius ἐπισπαστικὸν ad autoris mentem: quamuis & intelligi possit ἔμπλαστρος. Qua ratione apud Galen. de Comp. med. per Genera lib. II. cap. VI. ἐπισπαστική.
CCXVII. Dialon] διάλων. H. Steph.
Eadem] *idem.*
CCXX. In vulgari quidem Henr. Stephanus pro *Cacoethes* bene reposuit κακοήθη. Sed præter autoris sententiam, quæ hunc verborum exigit ordinem: *Emplastrum album Pacchii Antiochi, ad omnem duritiem, quæ cacoethes Græcis dicitur; ad combusta & ulcera, quæ non facile cicatricem ducunt, ad peraiones,* &c.
CCXXI. Idem nigrum & cito persanat.] Hæc nihil ad rem.
CCXXIII. Rhagodas] Basiliensis editio: Lutetiana Ruellii, ῥαγάδας. Scribo ῥαγάδας; qualiter & Henr. Stephanus.
CCXXIV. *Ad Condylomata, simplicia.*
CCXXV. Composita] Perperam: nisi Andronium medicamentum intellexerimus. Ad idem] vitium intellige.
CCXXVI. *Ad idem alia.* Ruel. & Steph. Sed unum exstat.
CCXXX. *Melor Triphera:* Ruel. & Steph.
CCXXXIIX. *Omne purum ulcus & concauum quæ replent.*
CCXL. *Ad idem alio modo compositum.*
CCXLI. *Emplastrum ad cicatricem ducendam.* Ruel. & Steph.
CCXLIV. *Ad ignem sacrum complura, simplicia.* Hæc quia deficiunt,

legendum, *Ad ignem sacrum*.

CCXLVI. *Ad idem aliud*. Ruel. & Steph.

CCXLIIX. Ad idem aliud medicamentum. Rectius, *Aliud medicamentum*. vel: *Ad idem vitium aliud medicamentum*.

CCXLIX. *Ad impetigines Simplex, Compositum*. Ruell. & Steph.

CCL. *Ad idem aliud*. Ruel. & Steph.

CCLII. *Ad eandem simplicia quatuor*. Cetera glossematium referunt.

CCLIV. *Ad idem alia Compositio*.

CCLVI. Incitat,] *incitatam supprimit*.

CCLXV. *Aperit*. Ruel. & Steph.

CCLXIX. Dolorem corporis, & neruorum.] Rescribe, *contractionem neruorum*.

CCLXXI. Optimi odoris,] Adscititium puto.

COMPOSITIO I.

RECte Compositio. Quamuis enim simplicia etiam sola nonnunquam heic occurrant: autori tamen curæ fuit compositiones expertas in hunc librum conferre. Monet autem Philosophus de Anima lib. II. cap. IV. vulgo T. XLIX. ἀπὸ τ͂ τέλους ἅπαντα προσαγορεύσιν δίκαιον: *à fine appellare omnia iustum*.

In febre,] Qualis dolor fit per consensum.

Primis diebus] Quibus repellentia conueniunt, dum adhuc dolor recens.

Benefacit] Sic etiam Comp. V. &c. Marcellus initio præteriit. Malò diuisim bene facit, ut Marcellus Aldinæ editionis paulo post. Autor enim Comp. CXXIX. & CCXXV. facit bene. Alio tamen significatu non nego Latinis iunctim usurpari.

Serpylli] Quidam cum Adriano Iunio vice y scribunt i. Vere; si Latinam originationem spectemus cum Varrone de re rustic. lib. I. cap. XXXV. & Plinio nat. hist. lib. XX. cap. XXII. à serpendo: licet hic y, sicut ille simulque Celsus lib. III. cap. X. MS. Florent. & Apuleius de viribus herbar. cap. CI. u seruet. Dioscoridi tamen lib. III. cap. XLVI. ἕρπυλλος appellatur serpillum hortense, siue satiuum, secus quam Aetio Tetr. I. ser. I. ἀπὸ τ͂ ἕρπειν. Quod vulgatæ scriptioni fauet. Varro etiam de lingua Lat. lib. IV. affirmat serpyllum à Græco vocabulo ἕρπυλλον commutata una littera nominatum: quamuis & lib. I. cap. XXXV. de re rust. serpullum scribat dictum ab eo quod serpit; & Cato de re rust. cap. LXXXIII. serpullum nominet. Quorum exemplo Glossa vetus: *serpullon*, ἕρπυλλος. Malò *serpullum* ceu magis Latinum.

Pon. quadrans,] Nota herbas pondere præscribi:

Rosæ aridæ] Sicca enim magis adstringit. Diosc. lib. I. cap. CXXX.

Aceri] Serpillum capitis dolorem sedat in aceto decoctum, addito rosaceo: Dioscor. lib. III. cap. XLVI. & Plin. loco memorato, Aet. Tetrab. II. serm. II. cap. XLIIX. simulq; capiti robur adflat, monente Galeno de Arte cur. ad Glauc. lib. I. cap. XV.

Acer-

Acerrimi] Ad penetrationem, ob densitatem caluariæ, maxime ubi materia vitiosa fuerit crassior. Secus in calidis affectibus id minus tutum, siquidem calor acrimoniæ comes. Frontalia vero heic exiguntur, non oxyrhodina, ut patet Comp. IV. quæ vi refracta penetrant ad cerebrum.

Cyathus, Κύαθος, γαγῶν μικρὸν μέτρον, ὃ ἀντλητήριον. λέγεται δὲ ὑγρῶ τινὲς ὀγγίας δύο. Hesychius.

In duobus] sc. cyathis. Deleatur præpositio, ita iubente sermonis elegantia; etiam exemplo Marcelli de Medicament. cap. I.

Rosæ] i. e. olei rosacei. Quod Plin. natur. hist. lib. XIII. cap. I. *Rhodinum* simpliciter; *Oleum rosatum* Plinio Valeriano lib. I. cap. XI. & lib. III. cap. XXI. Similiter P. Veget. lib. I. cap. XXXIIX. & lib. II. cap. XXII. *Rosaceum*, sine additione, Plinio Valeriano lib. III. cap. I. & XXI. itemque *oleum rosaceum* P. Vegetio mulomed. lib. II. cap. VII. qui etiam lib. dicti cap. VI. *Roseum*. De cuius præparatione Dioscor. lib. I. cap. LIII. Celsus quoque hoc modo *Rosa* passim usus: quod & Robertus Constantinus lib. III. cap. X. lib. V. cap. XXI. & XXIV. ad marginem obseruauit. Quamuis enim Ianus Cornarius in Galenum de Comp. medic. sec. loca lib. II. cap. II. ita compendio à librariis oleum ros. putet notatum fuisse, ut satis notum; autor nihilominus Comp. CXCIV. habet, rosa pota: non rosa, poto; quod valeret, *rosaceo poto*. Celsus etiam lib. IIX. cap. III: *Neque alienum est, instillare parum rosæ, vel lactis*. & cap. IV. *Infundenda erit rosa*. Item lib. V. cap. XXIV De Enchristo: *magis emollit, si pro rosa cyprus infunditur*. Huius exemplo quæ Plinio Valeriano lib. I. cap. XI. & lib. III. cap. XXII. *Rosa*, lib. I. cap. X. significantius *Rosa liquida*. Rosaceum præterea oleum expresse nominatur Comp. CCXXVII. & CCXXXIV. Neque id aliis usque nouum. Νάρδος enim oleum nardinum Æginetæ lib. II. cap. XLV. ut notauit ad hunc locum Andernacus; pariter lib. III. cap. XX. Oenanthe quoque pro Oenanthino usurpatum Illustris Salmasius in Lampridium aduertit. Malobathrum Horatio & Plinio unguentum malobathrinum, Henric. Stephanus ad Erotiani Lexicon addidit. P. Vegetio lib. I. cap. LVI. etiam absinthium est oleum absinthites.

Frequenterque] ex interuallo Comp. XX. Quod in primis obseruandum in usu oxyrhodini, maximeque per æstatem, ubi insignis est capitis æstus. Itaque tepida magis tuta, præcipue si destillatio adsit, cuius coctio frigidis impeditur, aut si febris aliquantulum processerit, per quam congesti in capite vapores fuerint discutiendi.

Infusum est,] capiti. velut Compos. II.

Nocet.] Nam impedita perspiratione plus æquo calefacit, ac attrahit vapores. Quod cauendum iubet Compos. CLIIX.

II.

Eodem modo] ad dimidias, ut Comp. I. cum aceto & rosaceo infusum capiti. Diosc. lib. II. cap. CCX.

Polygonium] Polygonum. Dioscoridi etiam πολύγονον est lib. IV. cap. IV. Inde Plin. nat. hist. lib. XXI. cap. XII. *Polygonon Græci vocant, quam nos sanguinariam*. Hac mente Marcellus: *Polygonos herba, quæ Latine sanguinaria dicitur.*

citur. Columellæ de re rustic. lib. VI. cap. XII. *Sanguinalis* lib. VII. cap. V. *sanguinaria*. Celso lib. II. cap. XXXIII. & lib. V. cap. I. *herba sanguinalis*. Quo etiam modo P. Vegetius Artis Veterinariæ lib. III. cap. III. *herba sanguinalis, quam polygonon Græci vocant*. Non, ut libri omnes editi, *palagonon*.

Menta] Mentha. Diosc. lib. III. cap. XLI. μίνθη. Plinius lib. XIX. cap. IIX. *Mentæ nomen suauitas odoris apud Græcos mutauit, quum alioqui mintha vocaretur: unde veteres nostri nomen declinauerunt*. Recte. Nam & Ἡδύοσμος appellatur. Strabonem vero lib. IIX. sequutus Iulius Pollux Onomast. lib. VI. cap. X. num. II. notat Mentham dici à Mintha Plutonis pellice in hanc plantam transformata; Scribonius satiuam intelligit.

Sphondylion] Σφονδύλιον Dioscoridi, Spondylion Plin. lib. XII. cap. XXVI. cum oleo commode infunditur capitibus phreneticorum & lethargicorum; item caput dolentibus Diosc. lib. III. cap. XC. Longisque doloribus Plin. lib. XXIV. cap. IIX. maxime quoties crassius quid euacuandum, parsque simul roboranda, monitu Galeni art. cur. ad Glauc. lib. I. cap. XV.

Agni semen] quod capitis dolores dissoluit. Diosc. lib. I. cap. CXXXVI.

Platani pilulæ] i. e. fructus; Dioscoridi lib. I. cap. CIIX. & lib. IIX. cap. I. σφαιρία. Galenus de comp. med. sec. loca lib. II. cap. I. Platanum laudat in dolore capitis, quod præter naturam calidius. Pilulæ vero potentius, quam folia siccant, ut notat idem lib. IIX. de simplic. facultat.

Incoctæ,] Sunt enim duriusculæ.

Residuo aceto] ad dimidias perducto. Comp. I.

III.

Pluribus diebus] procedente malo.

Supradictorum] Sic omnes libri. Melius, supra dictorum. Ita Plinius lib. XX. cap. XX. *ad supra dicta utantur*. & Scribonius comp. CVI. ut supra diximus.

Lauri baccarum] demto exteriori cortice. Nam Celsi monitum est lib. V. cap. XIX. *Quoties aut baccam, aut nucem, aut simile aliquid posuero, scire oportebit, antequam expendatur, ei summam pelliculam esse demendam*. Hæc vero conueniunt optime, quoniam discutientia heic repellentibus permiscenda.

Castorei.] Hoc pariter, quod calidum neruis dicatum autore Dioscoride lib. II. cap. XXVI. subtilium est partium; ideoque vehementius calefacit & siccat, veluti notauit Galenus de simpl. facult. lib. XI.

Nucum amararum] i. e. amygdalorum amarorum, Comp. V. Qualiter & Celsus lib. II. cap. XXXIII. lib. III. cap. X. XXI. XXIV. lib. IV. cap. XXIV. lib. V. cap. XI. XV. lib. VI. cap. VII. Columel. lib. VII. cap. XIII. Galenus de comp. med. sec. loca lib. I. cap. I. P. Veget. lib. I. cap. XXXIV. Glossa vetus: *Nux Græca*, ἀμύγδαλον. Huius meminit Cato de re rust. cap. IIX. Varro eiusdem argumenti lib. I. cap. VI. lib. II. cap. IX. Celsus lib. III. cap. XXVII. lib. IV. cap. IV. & X. Colum. lib. V. cap. X. Lib. de Arborib. cap. XXII. Plin. Valer. lib. II. cap. IIX. Eas capitis dolori illini, maximeque in Febri, notat Plin. lib. XXIII. cap. IIX. Adi Comp. V.

Pulegii] Quod calefacit, & attenuat, ex Ægin. lib. VII. cap. III. simul digerit,

gerit, autore Oribasio Coll. lib. xi.

Sampsuci] Sampsuchi. Diocles enim libro de Medicamentis letalibus apud Athenæum Deipnosoph. lib. xv. cap. IIX. autor est, Amaracum à quibusdam vocari Sampsuchum. Quod genti Siculæ atque Cyzicenæ tribuit Dioscor. lib. III. cap. XLVII. cui Σάμψυχον. Quem Plin. lib. xxi. cap. xi. illustrat. Majorana vulgo. Calefacit & siccat ordine tertio, renuat simul ac discutit Æginetæ lib. vii. cap. III.

Tres.] Res enim plures heic adduntur.

Non tamen frequenter,] Quia minor heic reprimendi necessitas.

I V.

Crocomagmatis] Celsus lib. v. cap. XIIX. *crocomagmatis (quod quasi recrementum eius est)* Annon glossema? Dioscoridi lib. I. cap. XXVI. ex crocino fit unguento, expressis aromatis ac in pastillos fictis. Eius confectionem ostendit Æt. Tetrab. I. Serm. II. cap. CXCVI. Constantinus Africanus etiam de remed. & ægritud. cognit. cap. post. describit post Galenum de Antidotis lib. II. cap. v. qui de comp. med. sec. loca lib. II. cap. I. in calidioribus etiam probat ad capitis dolorem.

Gallæ] Theophrastus de Historia plant. lib. III. cap. IIX. & IX. resinosam & nigram intelligit.

Oblinere.] Libri omnes, H. Steph. oblinire. Solo flexus discrimine.

V.

Murrhæ] Ruell. Paris. edit. Alii Myrrhæ.

Croci] Κρόκος Diosc. lib. I. cap. xxv. Interpreti Crocum. De quo alibi. Vide Theophr. de Plantis lib. vi. cap. vi.

Amygdalorum amarorum] Dioscor. lib. I. cap. CLXXVII.

Panacis] Panaces, quibusdam Ligusticum silvestre apud Plin. lib. XIX. cap. IIX. cephalicis medicamentis admiscetur apud Diosc. lib. III. cap. LV: ubi πάνακες. *Panaces* proinde rescribendum in Celso lib. III. cap. XXI. etiamsi omnes libri tam scripti quam excusi habeant *Panace*.

Laurus] Comp. III. Lauri. Quo modo Pallad. de re rust. lib. II. tit. xx. Sed quartæ etiam classi accensuit Cels. lib. III. cap. xx. & lib. IV. cap. IIX.

Teruntur hæc omnia aceto, & fiunt pastilli :] Vere Celsus lib. v. cap. XVII. *in pastillo tantum arida medicamenta aliquo humore iunguntur*. Pastillorum autem genera sunt diversa : Rotundi, vulgo Trochisci; oblongi, ouales. P. Vegetius Art. Veterin. lib. I. cap. XLII. *pastillos longos & duros facies*, i. e. balanos. Idem lib. III. cap. III. *Collyria longiora, non parum valida*. Eademque mente cap. xv. (XIIX.) *Collyrium longum & tenue facito*. lib. I. cap. LXII. *Collyria ad our magnitudinem facias*.

V I.

Per nares,] Vide tamen utrum luis Venereæ suspicio adsit, ne acri materia

in

in nares attracta ulcera vel corruptiones ossium excitentur. Vid. Anal. mea.

Auriculæ, vel dentibus]. Ob communionem fortassis neruorum quartæ & quintæ coniugationis: vel quia humor in aure collectus per meatum exiguum cartilaginosum, valvula apposita, e tympano ad palatum commode feratur. cujus utilitatem Iulius Casserius Placentinus de Auditus organi usibus lib. III. cap. V. diligenter est persequutus. Apophlegmatismi vero iis non conueniunt, quibus dentes dolent. Quæ naribus infunduntur, tutiora: qualia ex Archigene Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. II. cap. II. tradit.

σκοτοματικὸς] *σκοτωματικὸς*. etiam Comp. XCIX. Vir quidam eruditus putabat legendum: *σκοτωματικὸς* Græci dicunt, e caligine impeditos; Item comitiali morbo correptos ex magna parte leuat. Verum Caligo vtrique accidens affectus oculorum est peculiaris, autore Celso lib. II. cap. IIX. lib. IV. cap. II. lib. VI. cap. VI. Nihil igitur mutandum.

Abstinere,] Gaspar Barthius vir eruditissimus Aduersar. lib. XXXIX. cap. XVI. addit, aliquem. Celsus autem in Procemio sui operis, & lib. I. cap. X. lib. II. cap. XII. lib. III. cap. XII. XIII. XV. simpliciter protulit; quod lib. III. cap. II. dixit, *abstinere a cibo, a vino*. Vnde quæ *Inedia* lib. I. cap. II. & lib. II. cap. XVI. *Abstinentiæ* nomine venit lib. II. cap. XVI. lib. III. cap. XVII. & lib. VII. cap. XX.

VII.

Per cornu] Ita P. Vegetius Renatus de arte Veterinar. lib. III. cap. XLI.

Rhinenchites] Rhinenchytes, bene Ald. & St. *ῥινεγχύτης* enim Cælio Aurel. instrumentum, per quod aliquid in nares infunditur. Nec solum id corneum, velut hac & sequenti compositione, sed etiam ferreum fuit. Cæl. Aurelianus Tard. passionum lib. II. cap. IV. *Ferramentum, quod rinenchyten vocant*. Quem locum pariter emenda. Galeno *μήλη* fuit, coniectura Iani Cornarii ad lib. I. cap. IX. de comp. med. sec. loca. Tale forsan ferreum illud; cuiusmodi specillum auersum Celso lib. VII. cap. VII. *κυαθίσκος* Largo comp. CCXXVII. Hoc tamen liquori aptius tubuli forma, quam cornu præcipue refert. Qualis *fistula* Plin. Valer. lib. I. cap. XXVI. & *canalis* Theodoro Prisciano lib. I. cap. XI.

Hederæ succo] Dioscor. lib. II. cap. CCX. Ægin. lib. VII. cap. III. Qui si acrior, oleo rosaceo vel dulci misceatur Galeni consilio de simpl. facul. lib. VII.

Betæ succo,] Ea quippe vi nitrosa caput purgat Dioscor. autore lib. IV. cap. CXLIX. digerit, atque extergit; alba maxime, ut Galen. prodidit de simpl. facult. lib. IIX.

Flore æris,] Flos æris, *χαλκοῦ ἄνθος*. Quidquid enim pulueris aut farinæ in modum in summo tenuissimum apparet, similitudine quadam Græcis *ἄνθος* est. Galenus de simpl. facult. lib. IX. obseruat partium esse tenuiorum, quam æs ustum, aut eius squama.

Cyclamini succo.] Dioscor. lib. II. cap. CXCIV. usum ipsius eundem tradit.

IIX.

Binum,] Ita Comp. XXX. Scribendum videtur binûm, contracte; quamuis & veteres

veteres libri scripti huiusmodi apicibus carent: cuius loco frequenter duum est apud autorem.

σταφίδος ἀγρίας,] σταφὶς ἀγρία Dioscoridi lib. IV. cap. CLVI. Staphis siluestris Victori Trincauell. de cur. particul. lib. II. cap. XII. Vehementer acris est, adeo ut pituitam de capite trahat, & detergat valide, veluti post Galenum de compos. med. per Gen. lib. VI. cap. II. notauit Ægineta lib. VII. cap. III. etiam quadam utendi facultate prædita, monente Oribasio Collect. lib. XV. cap. I. Quam procul dubio ob causam Plin. lib. XXIII. cap. I. aduerti fauces lædere.

Pedicularium,] *Herba pedicularis* Colum. de re rust. lib. VI. cap. XXX. *Pituitaria* etiam quibusdam vocatur. Nam, Dioscor. teste loco pridem nominato, commanducata plurimam cit pituitam, caput per os purgans, ut est in libro de Catharticis, qui Galeni putatur. Vide omnino Trallian. lib. I. cap. XV. Assumtam quoq; pondere quinque granorum crassam pituitam vomitu purgare Dioscorides autor est: non tamen citra suffocationis discrimen, quod diligenter animaduertit Actuar. Meth. med. lib. V. cap. IIX.

Pediculos necat,] Pallad. rei rust. lib. I. Tit. XXVII. de Gallinis: *Pediculos earum perimit staphis agria.* Plinius lib. XXIII. cap. XXIV. urbanius fœda capitis animalia nominauit.

Per cornum] Ruel. & Corn. Reliqui, per cornu.

Crocum] Hoc enim subadstringens inflammationes etiam mitigat.

IX.

Pyrethri radiculam] Quæ Ioanni Antonio Saraceno in lemmate cap. LXXXVI. lib. III. Dioscoridis, cæterisque interpretibus in ipso contextu recte *Herba salinaris* ab effectu.

Hiantem pati fluere saliuam] Plin. Valerian. lib. I. cap. II: *aperto ore omne phlegma capitis proiicitis.* Idem præcipit Galenus de comp. med. sec. loc. lib. V. cap. IX. clarius: *Postquam collecta pituita fuerit, ægrum hiare ac pronuere oportebit, quo liquor facile profluat.* Vide Comp. LV.

Totidem] Quot sunt uvæ.

Sinapi] Dioscor. lib. III. cap. LXXXVI.

Non excastratum] Quod efficacius.

X.

Quum diu caput dolet,] Cæl. Aurelian. Chron. lib. I. cap. I: *Si passio durauerit, erit tondendus æger ad cutem.* Plautus Capt. Act. II. Sc. II: *utrum strictimne attonsurum dicam esse, an per pectinem nescio.* Strictim, est ad cutem tonderi. Quo modo & Stoici: Vnde Iuvenalis Sat. I. I. *supercilio breuior coma.* Galenus Comm. IV. Epidem. VI. Aph. IX. memoriæ prodidit, Antonino Commodi patre imperante, familiares eius omnes ad cutem usque tonsos. Hunc modum Suidas in voce Κῆπος ex Aristophane in Auibus monstrat appellatum fuisse Σχάφιον.

Ad relaxationem cutis] Vt emittantur vapores, qui dolorem excitant.

Ster-

Sternutamentum concitate] Plin. lib. xxix. cap. vi: *Sternutamenta prima capitis grauedinem emendant*. *Sternutamentum* legitur apud Celsum lib. ii. cap. iix. lib. iii. cap. xiix. xx. lib. iv. cap. ii. Plin. lib. xx. cap. xii. lib. xxiix. cap. xi. Salmasio tamen criticorum principi antiqui codicis Pliniani fide magis placet *Sternumentum*, & *Sternuere*, pro *Sternutare*. Qua ratione Plinii editio melior lib. xxiix. cap. iix: *Proboscidis tactu dolor leuatur, efficacius si & sternuat*.

Veratri albi.] Huc facit illud Plinii lib. xxv. cap. v: *Farina per se, & mixta radicula, qua lanas diximus lauari, sternutamentum facit. Drusum tribunorum popularium clarissimum constat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in Anticyra insula*. Quod heic *album*, Plinio *candidum*: idque innuunt veteres dum solitarie proferunt, ut adiectione *nigrum*, veluti notat Galenus Comm. v. Aph. i. Hipp.

Struthii, quod est radix lanaria;] Sic etiam Marcellus cap. i. Rectius: Struthii, quod est lanaria, radicis. Struthium enim teste Dioscoride lib. ii. cap. cxciii. herba vulgo nota, qua purgandis lanis utuntur, qui eas eluunt. Inde Columella lib. xi. cap. ii: *Oues Tarentinæ radice lanaria lauari debent*. Huius radix est acris: sternutamenta mouet. In quam sententiam Plin. lib. xxiv. cap. xi: *Tingentibus & radicula lanas præparat, quam Struthion à Græcis vocari diximus. Ad sternutamenta utilis inter pauca*. Et lib. xxv. cap. v. *Radicula, qua lanas diximus lauari, sternutamentum facit*. Vacuatis enim vaporibus, facile discutietur dolor, ut monet Galenus de remed. paratu facilibus. Lauandis lanis radicem magnam succum habere notauit Plin. lib. xix. cap. iii. Quo nomine Salmasius ad Solinum erudite suggerit στρυτίζεσθαι lanas, quando hac radice lauantur, στρύθιον autem, quod notauit quidam, κάθαρσιν Dioscoridi appellatam non video, sed πρὸς κάθαρσιν. Nec scio qua ratione cum seplasiariis & medicis quibusdam rei herbariæ peritissimis saponariam putemus, à qua non parum discrepat. Nisi fortassis quod saponis vicem suppleat, aut foliis ei aliquantillum assimiletur. Dioscoridis & Plinii sententiam confirmat Honorius Bellus Epist. ii. ad Clusium, qui refert in Græcia fullones tingendo serico luteo uti vero Dioscoridis Struthio, quod ipsis χυμῖλιν appellatur. Neapoli in hunc diem *Lanaria* & *Radicula* nominatur: etiam in Lucania & Calabria, ut locuples mihi testis Iosephus Donzellus Doctor Parthenopæus, Chloridis & Apollinis delicium. *Lanaria* scilicet ab usu, veluti Marcellus Virgilius bene in Dioscoridem notauit: à parte potiore, quæ in usum venit, *Radicula*. Inde lanarum infectoribus *Fullonum herba* seu *Fullonia* nuncupatur, quemadmodum post Ioannem Ruellium de Nat. Stirp. lib. ii. cap. ix. animaduertit Ferrantes Impetatus Hist. Nat. lib. xxiix. Theophrasto autem Histor. plant. lib. vi. cap. iii. est aculeata, sed tamen quia omnibus nota minime describitur. Quo modo non inepte rescribendum fortassis: Struthii, quod radix, & lanaria. Simon Ianuensis nihilominus in Claue Sanitatis eam sibi nomine visam fatetur ingenue. Matthiolus pariter in Diosc. lib. ii. cap. clii, qui Asiæ & Syriæ adscribit. Mihi certe Struthion verum in ullo antehac viridario non licuit conspicere; nec summæ diligentiæ herbariis, qui post Honorium Bellum Cretam, montesue Bellunenses, aut Somana præcipitia obiuerunt. Nisi Luteam Creticam putemus, quæ V. C. Adolphi Vorstii cura Lugduni Batauorum floruit. Gaspar Bauhinus tamen

men Pinac. Theatri Botan. Lib. IV. Sect. I. sibi à Fetrante Imperato Neapoli missam refert. Quod vero Simon Ianuensis monet, Macro esse Ostrutium: error hic vulgo neccuiquam relinquendus videtur. Verum enim Ostrutium est Imperatoria. Struthium vero calidum & siccum est ordine quarto, ex mente Aetii Tetr. I. Serm. I. Extergens & irritans Oribasio Lib. II. Synopſ. cap. XVI.

Piperis albi,] ad concoctionem & discussionem, itemque dolores leuandos. Hoc reliquis calidius. Gal. de simpl. fac.

Calamum scriptorium] Ex arundine, ad discrimen pennæ. De quo Dioscorides lib. I. cap. CXV. συριγγίας καλεῖται πολύσαρκος, πυκνογόνατος, εἰς βιβλιογραφίαν ἐπιτήδειος. Vulgatus interpres: *Quod fistulis addicta sit* (arundo) *vocatur Syringias, cui multum inest carnis, crebris cincta geniculis, ad librorum scriptionem accommodata.* Plinius lib. XVI. cap. XXXVI. longe diuersus: *Calamus totus concavus, quem syringiam vocant, utilissimus fistulis, quoniam nihil est ei cartilaginis atque carnis.* Cypriam vero arundinem Dioscorides concauam prodidit. De qua forte Plinius. Calami porro Ægyptii maxime, & Gnidii chartis seruiunt, ex Plinio. Ita calamus Niloticus Apuleio Metamorph. lib. I. laudatus, lib. XXXIX. Martiali XIV. Epigr. *chartis habilis.* Erudite D. Hieronymus ad Principiam virginem Epist. CXL. *Stylus scribit in cera; calamus vel in charta, vel in membranis, aut in quacumque materia, quæ apta est ad scribendum.*

Specillo'] Varro de lingua Lat. lib. V: *Specillum, quo oculos inungimus, quibus specimus.* Nihil eo Medicis notius, quod ab Æsculapio inuentum tradit Cicero lib. III. de nat. Deorum.

Tincto in aquam] Marcellus, tincto in aqua. Quod magis placet. Ita Celsus lib. VII. cap. IV: *tincta in melle linamenta.*

Et excusso,] Ne medicamentum copia nimis attrahat.

Tacta] Marcello vox deest. Barthius legit tactim. i. e. subtili tactu expressa. Verum chirurgiæ peritis planum est vocem diu receptam nihil offendere.

Veratrum,] Columella de re rust. lib. VI. cap. XXXIIX. ait sic vocatum à rusticis helleborum. De utroque Diosc. lib. IV. cap. CL. CLI. & A. Gellius perelegante lib. XVII. cap. XV.

Inuitat.] Nihil heic muto. Eleganti nempe similitudine idem est quod incitat. Varro de Lingua Lat. lib. IX: *quocumque libido inuitauit.* Sueton. Calígul. cap. LIII. *inuitare edicta.* Celsus etiam lib. IV. cap. I. probat sternutamenta excitare.

X I.

Imperpetuum] Sic etiam Comp. cit. & Apuleius de virib. herbar. cap. I. edit. Paris. An. MDXXIIX. quanquam in meis membranis, quæ olim fuere Francisci Calceolarii Veronensis, *perpetuo* legatur. Sequiori hoc æuo receptum ostendit quidem priuilegium à Friderico II. Imperatore ciuitati Patauinæ ad Citradellam concessum Anno MCCXXXIX. in membranis, & Caroli IV. aliud Francisco Duci Carrariæ Anno MCCCLXIII. Pragæ datum. Hac tamen ratione scripsisse veteres, suspicari licet ex inscriptione marmoris Narbonensis, quam Illustrissimus Æmoniæ Præsul Iacobus Philippus Thomasinus, necessitudinis nostræ

F decus,

decus, e reconditis Pauli Rhamusii Schedis primus in lucem produxit lib. de Donariis cap. IX. ubi est *Imperpetuum*. Absit vero Grammaticis præferam marmorarios parum sibi constantes, quorum operis doctissimos interdum adfuisse homines non ignoro; quum hoc ipso monumento legatur *in perpetuum*. Qualiter & Marcellus: ex quo hunc locum omnino corrigendum existimo. Considerandum interim, quod de caus. linguæ Lat. lib. I. cap. X. monet Iulius Scaliger multa marmora barbarissima, innouantibus posteris in veterum contemtum. Latinam nihilominus agnosco vulgatam Scribonii vocem, quam Franciscus Modius Nouantiqu. lection. Ep. XXI. reddidit Senecæ Epist. LXXXI; verum mente à Largo diuersa, qui allatam modo emendationem prorsus exigit; siquidem Ioannes Opsopoeus apud Senecam non perpetuum interpretatur. Vide quæ Petrus Seruius Medicus Romanus de varia scribendi ratione Miscellan. cap. IV. erudite disseruit.

Torpedo viua nigra] Diosc. lib. II. cap. XVII. idem tradit. Eius fere verba descripsit Arpocration, quæ in meo MS. hæc sunt: Νάρκα θαλασσία προστεθεῖσα ἐπὶ χρονίων νοσημάτων τὴν περὶ κεφαλὴν πραΰνει τὸ σφοδρὸν τοῦ ἀλγήματος. Anonymus vertit: *Narca marina antiquis passionibus apposita sedat vehementes dolores capitis*. Clarius Dioscoridis interpres: *Torpedo marina diuturnis capitis doloribus admota cruciatus vehementiam mulcet*. Fusius planiusque Paul. Ægineta lib. VII. cap. III: Νάρκη, *id est Torpedo marina, si caput dolentibus adhuc viua apponatur ad caput, dolorem eximit: fortassis ob hoc ipsum, quod torporem inducit*. Addit Ætius Tetrab. I. Serm. II. cap. CLXXXV: *Torpedo viua apposita diuturnum capitis dolorem depellit, & prolabentem sedem intropellit: mortua vero omnino non, aut modice, hoc facit*. Hoc tamen in viua tantum expertus est Galenus de simpl. facult. lib. XI. & post ipsum Ioan. Matth. de Gradi, ut notat ad IX. Rasis cap. I. Ob id Glossa vetus non male, *Torpedo*, Νάρκα: etsi rectius Νάρκη. Vim eius confirmant, quæ mira prodit Plin. lib. XXXII. cap. I: *etiam procul & e longinquo, vel si hasta virgaue attingatur, quamuis prævalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces alligari pedes*. Nec minus memorabile, quod Plutarchus de Animalium solertia prodit: *Si viua in terram excidat, aquam ei superfundentes torporem sentire per affectam qualitate piscis aquam ad manum allatam*. Petrus Bellonius de Aquatilibus lib. I. obseruat eius contrectatione manus reddi tremulas. Vnde vere Iul. Scaliger Exerc. CCXIIX. IIX. *motum torpedo non tollit, sed deprauat*. *Non quiescit piscatoris, sed tremit manus*. Hieronymus Mercurial. Pract. lib. I. cap. III. monet hoc remedium à Celso Scribonium accepisse. Is tamen nullum eius vestigium reliquit. Sed ἁμάρτημα μνημονικὸν summi viri excusabit infinitæ lectionis varietas, qua forsan Scribonii loco Celsum nominauit: quanquam & huius generis auxilia ut sunt extrema, sic etiam parum tuta. Quod neque in eius admotu autor præteriit.

Qui in dolore est,] Numquid, quo in dolor est. Hoc minus quidem insolens: illud tamen Plin. Val. lib. III. cap. XLVII. usurpatum. Qua ratione idem lib. I. cap. L. *in tumore sunt fauces*. & lib. IV. cap. XIIX. *fauces in tumore positæ*. Cornel. Nep. Mil. IIX. *esse in timore*. Cic. ad Attic. lib. VI. Ep. I. *habeo in metu*. Item, *mihi in amoribus est*.

Obstupescat ea pars:] vel, quod tutius, eo usque solum, ut doloris vehemen-

tia

tia moderatior fiat, Ætii præcepto lib. III. cap. LXXIIX. qui & lib. VII. cap. XVII. ceratum ex torpedine mirandi effectus describit.

Torpor] à refrigeratione. Quod colligitur ex Galeno de caus. puls. lib. III. cap. XV.

XII.

Ad comitialem morbum] Cadente aliquo comitia impedita, ex antiquorum monumentis notum est. Propterea Q. Serenus:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo est.
Quod fieri nobis suffragia iusta recuset.

Πολυνεύρον,] πολύνευρον, Oribas. Coll. med. lib. XI.

Nerualem] Otho Brunfelsius fatetur se non satis intelligere quid hoc nomine significet autor, Plinium tamen sic appellare Arnoglossum, siue Plantaginem. Rem vero species manifestat. Hinc quibusdam πολύνευρος idest, *multineruia*, aliis est ἑπτάπλευρος, *septineruia*. Eius ait Plin. lib. XXV. cap. IIX. *vis mira in siccando, densandoq; corpore:* item *nulla res æque sistit fluxiones* Folia etiam constringunt ex Diosc. lib. II. cap. CLIII, & comitialibus prosunt. Scribonius autem viridem siue recentem ut maioris efficaciæ vere postulat.

A prima luna ad tricesimam] id est, per dies triginta, veluti comp. XIII. XIV. & XVI. Nimirum expletis triginta diebus, ut est apud Pallad. Rutilium de re rust. lib. I. tit. XXIIX. Simili locutione Marcellus cap. XXIII. *à luna sexta decima.* Columella de re rust. lib. II. cap. XI: *trigesima luna, quæ est fere noua.* Et lib. II. cap. X. *luna duodecima, quartadecima, quintadecima.* cap. XI. *luna quinta & vigesima.* lib. IIX: cap. V. *à luna decima ad decimam quintam.* cap. VII. *luna prima,* item *vigesima.* Pallad. lib. I. tit. XXVII. *luna crescente à decima usq; in quintam decimam.* lib. III. tit. IV. de lenticula: *usque ad duodecimam lunam bene seminatur.* Tit. XXV. *decrescente luna à vigesima secunda usque in octauam.* Ita Plinius lib. XX. cap. XXIII. de Ferula: *Sunt qui comitialibus morbis dandum putant luna quartà, sexta, septima, ligulæ mensura.* Menses enim Luna olim ducebat, primaq; primus mensis dies habebatur; ut diligenter obseruauit Adrianus Turnebus Aduers. lib. XXIV. cap. XLV. Nec Flauium Vegetium de re militari lib. II. cap. XXXV Godescalcus Steuechius de alio mense quam lunari interpretatur. Hac puto sententia Columella de Arboribus cap. III: *Vigesimo & quarto mense resecentur: post trigesimum & sextum mensem transferantur.* A. Gellius autem lib. III. cap. X. ad mentem Aristidis curriculum lunare quatuor septenariis circumscripsit, nempe octo & viginti diebus; quos idem lib. I. cap. XX. septem & viginti recenset. A quo non longe abest Annus lunaris, quem ex usu mensem appellari scribit Lilius Gyraldus de Annis & Mensibus, quum Luna Solem, a quo noua digressa est, XXIX diebus & XII horis exactis iam defecta repetit. Inde Aristot. lib. IV. de Generat. Animal. cap. postremo: *mensis communis amborum circuitus est.* Qua ratione Gal. comment. Prognost. III. Aphor. IV. unusquisq; mensis minor est triginta diebus, maior vero nouem & viginti.

Mentemque restituit] Athenæus enim lib. XI. vere: οἶνος καὶ φρονοῦντας ἐς ἀφροσύνην ἀναβάλλει. *Insanire facit sanos quoque copia vini.*

XIII.

Hinnulei cerui] Comp. CLXVII. & CLXXXIIX. hinuli, Propert. lib. III. El. XII:

Atque hinuli pellis totos operibat amantes.

Ita libri fere omnes editi,ac MSS. Quidam tamen, *Hinulei pellis*. Mallem cum Agroetio de Orthographia, *Himuli*. Horatius Carmin. lib. I. Ode XXIII.

Vitas hinnuleo me similis Chloe,
Quærenti pauidam montibus auiis
Matrem,

Prudenter additum,cerui.Siquidem & aliorum est animalium,sed præcipue cerui,capreæ, damæ fœtus. Inde Glossa verus: *Hinnulus*, ὁ ἐξ ἵππου καὶ ὄνου. Quam confirmat Plin.lib.IX.cap.XLIV *æquo & asina genitos mares hinulos antiqui vocabant*. Scribonium dilucidat vetus Lexicon Græcolatinum, ubi Νεβρὸς, *Dama, Inuleus*. Recte, si posterioti vocabulo adspiratio accesserit.

Coagulum] Plin. lib.XXIIX.cap.IX: *Summis remediis præfertur hinulei coagulum matris utero exsecti*. De vituli marini coagulo simile quidpiam innuit Ælianus de Anim. lib. III. cap. XIX.

Intra nouem dies] Sic enim facilius erit eos inuadere, dum minus sentiunt. Causam habet Plin. lib. IIX. cap. XXXII. ex Aristotele Histor. Animal. lib. IX. cap. VI. de ceruis: *quum erexere aures, acerrimi auditus; quum remisere, surdi*.

Intelligitur autem] Obseruatio veterinaria. Numquid hinnuleis aures, veluti felium catulis palpebræ, post nonum diem subriguntur? Missis iis, quæ de nouenatii viribus prolixe reliquerunt Pythagorici, primis temporibus aures iacere crediderim à cerebri humiditate, quæ debilitat vim neruorum inde prodeuntium, quibus auricularum musculi mouentur. Quod minime obscurum ex Hippocrate, quando Lib. de Septimestri partu ait: Ἀμβλύνονται γὰρ αἱ δυνάμεις ἐν ταῖς μύξῃσι. Ianus Cornarius vertit: *Hebetantur enim vires in mucis*. Anutius Foesius paulo plenius: *mucorum copia*.

Simul eorum] Musarum deliciæ Nicolaus Heinsius τὸ *simul* redundare suspicatus, ingeniose legendum putabat *hinnuleorum*. Postrema nempe litera præcedentis vocis in sequentem calami vitio traducta subnatum *simul eorum*, ex quo postea *simul eorum*. Quicquid sit, autor planus est.

Subriguntur.] Ceteris animantibus hoc ab homine diuersum, cui minores musculi, quam ut eiusmodi motui sufficiant; quo minime indigebat infectis abigendis veluti bruta manibus abunde instructus. Adeo nihil parens rerum usui necessarium omisit. Quod vero Procopius in Historia Arcana de Iustiniano prodit, συχνὰ δὲ σειομένων τῶν ὤτων, *aures subinde agitari solitæ*, commentum videtur, ut asino similem ostenderet. Cuius generis plura ad irrisionem & odium excogitata. D. Augustinus tamen de Ciuitate Dei lib. XIV. cap. XIV. ait: *Sunt homines qui & aures moueant*. Quod etiam quibusdam tribuit Duretus in Annotat. Enarrat. Holler. lib. I. cap. XIIX. & obseruauit aliquando in Tetano Aretæus De Causis & Signis Acutorum morborum lib. I. cap. VI. Nec sane conatu defuisse naturam reperiet, quisquis nobilissimæ partis structuram intentis oculis rimatus fuerit. Quid enim prouidus opifex musculorum perigraphas

ceu

ceu delin eamenta humanis etiam indulsisset auribus, nisi ad attentiorem audi-tum eas aliquantulum exporrigerent ac diducerent? Eaque istis animalibus forsan fuere habitiora solito ac firmiora.

Quo neque Sol, neque Luna accedit,] in umbra Comp. XCII. & CX: ne parti ibus tenuioribus dissiparis vires amittar. Vtrumque autem modum apud veteres inoleuisse, planum est ex Palladio Rutilio de re rust. lib. VI. Tit. XV. quando ait, *in Sole suspendis & Luna*: qui & lib. X. Tit. XVII: *Sine luminis irruptione* locum obscurum innuit: quem Columella lib. VII. cap. IIX. clausum neque ventis obnoxium dixit.

Fabæ solidæ] Quæ duos scrupulos, vel drachmam ad summum pendit.

Per dies triginta] Plin. lib. XXVII. cap. XII. *tricenis diebus*. Iul. Pollux lib. I. cap. VII. num. VI. notat proprie Athenienses tricesimos de ultimis proferre. Sicne apud Germanos numularii tricesimo cuivis numero solenni formula *Cum Deo* adclamant? Tot vero dies mensem conficere tradit Galenus Lib. de Crisib. II. cap. II. quem Lib. de Septimestri partu, ex aliorum sententia, nouem ac viginti dies cum dimidio circumscribit.

Donentur] Magis placet, Dentur. Qua formula usus autor Comp. XX. CXX. CXXI. & ceteris.

Cultro] Adrianus Turnebus Aduers. lib. IX. cap. XXIII. docet ex Martiale cultrum venatorium pauperis esse, ut diuitis venabulum. Inde Suetonius Octau. cap. XIX. *Cultro venatorio cinctus luxa*. Nam & hoc maiorem sæpe militiæ partem olim fuisse armatam non obscurum ex Tacito Annal. lib. I II: *Quadraginta millia fuere, quinta sui parte legionariis armis; ceteri cum venabulis & cultris, quæque alia venatoribus tela sunt*. Magnitudinem usumque eius Martialis indicat lib. XIV. Epig. XXXI:

Si deiecta geres longo venabula rostro:
Hic breuis in grandem cominus ibit aprum.

Vbi vetertimus liber Vaticanus: *Hic breuis ingentem cominus ibit aprum.* Simili constructione Propertius Lib. II. Eleg. IX:

Non tamen aut vastos ausim tentare leones,
Aut celer agrestes cominus ire sues.

Vere igitur Barthius Aduers. lib. X. cap. XX. & lib. XXIII. cap. XXII: *Culter telum venabulo breuius, qualis hodie pugio.* Inde breuior ensis hodie Gallis *Cousteau.* Ad antiquorum autem cultrum proxime accedere puto Germanorum ensem venatorium, qui vulgo *Vveidmesser* appellatur. Cuiusmodi & magnatum coci apud eosdem gestant. Sicne Plautus Aulular. Act. III. Sc. II. EVC. *ad tres viros tam ego deferam tuum nomen.* CON. *quamobrem?* EV. *Quia cultrum habes.* CON. *Cocum decet.* Is nempe fuit exitor, quum facile occuleretur, ut memorat Sueton. Claud. cap. XIII: *Cultro venatorio equestris ordinis homo Claudio Cæsari insidiabatur.* Largiorem tamen fuisse credo, qualis hodie Germanorum. Nec dissimilem valde repræsentat elegantissima gladiatoris statua, quæ inter alias præstantiores adhuc Romæ in ædibus Farnesianis visitur. Is tamen à recentiori manu operi accedens non usque priscæ consuetudinis fidem vindicat. Veriorem inibi exhibet alia Commodi. Quo modo apud Achmetis, quem putant, medici Arabis interpretem Græcum Oneirocrit. cap. CLVI. Ioan-

nes

nes Leunclauius σπάθην *cultrum* exposuit. Idem nihilominus cap. CCXLIX. rectius forsan *gladium* vertit, & μάχαιραν *cultrum*: quam Hadrianus Iunius gladium altera tantum parte acutum verius censet, quam longum; nisi μαχαιρίς proprie *culter*. Optime Imperator μαχαίρας μικρὰς priuatis tantum permittit; quibus nullus in prælijs utitur: easq; vetus interpres significantius exponit *cultellos minores*, quam forte Cuiacius *machæras paruas*. Tales enim procul dubio cultelli sunt escarij. Hesychius parum distincte: Σπάθη, μάχαιρα, ξίφος. Quod Grammatico utique condonandum. Lexicon Græcolatinum vetus pariter: Σπάθη, τὸ ξίφος. *Spathula*. Rectius *Spatha*. Iustinianus Imperator longe maiore diligentia Nouel. LXXXV. cap. IV. arma recenset distincta σπάθας, ἢ ξίφη. Quod vetus interpres dixit *Spathas, & enses*. In Excerptis veteris Lexici Græcolatini apud Bonauenturam Vulcanium quoque discriminantur. Subdit Imperator: ἅπερ καλεῖν εἰώθασι παραμήρια *quæ vocari consueuerunt semispathia*. Vbi Henricus Agylæus ad marginem monet legendum *Parameria, ut in Græco, & Iuliani Epitome, quasi femori applicitos enses*. Cuiacius tamen summi iudicii vir *Semispathas* nominat Vegetii exemplo, qui de re milit. lib. II. cap. XV. affirmat spatham esse gladium maiorem, minorem semispatham. Λωρίκιον vero ceteræque armorum appellationes neutiquam Græcæ, sed isti æuo peculiares, quo Romanorum potentiæ Atticus nitor cessit, quem vicinarum gentium barbaries paulatim inquinauit. Huius profecto generis ibidem ζάβα; quam Suidas interpretatur λωρίκιον. Nec præter rem ab Imperatore discernuntur περικεφαλαία, & κάσσις; quod illa forsan uniuersum, hæc summum caput muniret. Quanquam nec dissimulare possum, Latialis monetæ cassidem. Ita Glossa: Cassis περικεφαλαία: & Lexicon Græcolatinum vetus: περικεφαλαία, *Galea*. Quam Clarissimi Lucæ Holstenii opera ad uberiorem antiquitatis notitiam è signo veteri expectamus. Quicquid sit: istud teli genus Italis est *Spada*: cuius formam non obscure indicat Celsus lib. VII. cap. X. de Polypo disserens: *Hunc ferramento acuto in modum spathæ facto resoluere ab osse oportet*. Itaque Casaubonus apud Theophrastum Cap. de Timiditate vere *spatham* declarauit. Hoc enim vocabulo apud Tacitum Annalium lib. XII. Iul. Capitolinum Maximo Iuniore, & apud Ælium Spartianum in Adriano ensis vocatur. Tertullianus quoque de Cultu feminarum: *Timeo ceruicem, ne margaritarum & smaragdorum laqueis occupata locum spathæ non det*. Gladios nempe maiores vocabant spathas, minores semispathas, ut nuper ex Vegetio monui. Cultro autem gladiatores in arena usos mox indicat Scribonius. Quibus etiam gladium tribuit Lipsius Saturnal. Serm. lib. II. cap. VII. & IIX. Et vere. Vtrumque enim & Seneca Epist. LXXXVII: *cum maxime dubitat, utrum se ad gladium locet, an ad cultrum*. Qualisnam vero huius gladii forma, in columna Traiani Romæ patet: cuius forte generis & sica. Glossa enim *Sica* Θρακικὸν ξίφος ἐπικαμπές. quam Lipsius apud Iuuenalem non inconcinne falcem intelligit. Quæ autem in posteriore Lipsii editione ad Saturnal. lib. II. cap. IV. IIX. XIII. XV. XVI. & XXI. spectatur, gladii figuram præter vetustatis autoritatem ex alieno accessisse ingenio, perspicuum est ex commentariis ab autore ipso in lucem productis. Veram utiq; cultri gladiatorii speciem ostendit Romæ marmor antiquum in ædibus Sabellorum heic expressum: cui Fortunius Licetus maximus

aut

ævi nostri Philosophus in Lucerna perantiqua nuper simillimum prodidit: ut minus putem à cælatoris ingenio istam fluxisse. Pugiones autem Romanorum Dioni lib. XXXIIX. ξιφίδια Gallicis minores perhibet ipse, mucronibus ex chalybe factis. Gladium tamen lib. LIX. discernit à pugione, quem ἐγχειρίδιον appellat, & lib. LIIX. ξιφίδιον: rectius Xylander fortassis *Gladiolum* vertisset. Pugionem optime refert numus argenteus Bruti nomine signatus, cuius meminit Dio Lib. XLVII, & quem Abrabamus Gotlæus Dactylothecæ num. CXXXIII. & CXCVI. inseruit.

Quo gladiator iugulatus sit.] Sic Plin. nat. hist. lib. XXIIX. cap. IV: *Scribunt comitialem morbum sanari cibo e carne feræ occisæ eodem ferro, quo homo interfectus sit.* Plinius alter etiam de re medica lib. II. cap. LIIX: *Dantur item carnes edendæ bestiæ occisæ eo ferramento, quo homo occisus est.* Suetonius pariter Claud. cap. XXXIV. hanc superstitionem tangit, etiamsi Cæsaris crudelitati malit adscribere: *quum par quoddam mutuis ictibus concidisset, cultellos ex utroque ferro in usum fieri sine mora iussit.* Epilepticis insultibus petitum aliquando, non est incredibile, quem stomachi dolore tam vehementi correptum scribit Sueton. cap. XXXI. ut de consciscenda morte cogitauerit. Arcta vero huius visceris per neruos sexti paris cum cerebro nota est consensio. At quorsum gladiator? Iugulati gladiatoris calido sanguine epoto quosdam tali morbo liberatos tradit Celsus lib. III. cap. XXIII. Simile quid incerto euentu à nonnullis tentatum prodit Aretæus de cur. morb. diut. lib. I. cap. IV. Plin. Val. lib. II. cap. LIIX. Sanguis enim gladiatorum à iugi exercitio saluberrimus; ideoque Galenus de Atra bile cap. IV. iis accenset, qui bonis succis præditi. Plinius tamen hist. nat. lib. XXIIX. cap. I. hoc remedium grauissime detestatur. Maiori etiam spe, ne dicam ostentatione, quam effectu, sanguinis humani, quem vocant, spiritus, ignis beneficio eundem in usum hodie à curiosulis prolicitur.

XIV.

Crocodili testiculum] Auxilium hoc solius Scribonii diligentiæ debemus: cuius nulla priscis aut recentioribus quod sciam memoria est. Ad Epilepsiam ex aliena quidem sententia Cælius Aurelianus Chronion. lib. I. cap. IV. laudat *testes vel veretrum marini siue fluminalis cancri, & porcellionis: hoc est animalia, quæ humectis & aquosis locis sæpe nascuntur, à Græcis appellata Onisci.* Verum locus iste omnino corruptus. *Cancri* enim loco reponendum credo *canis*; quem mox aquarium vocat, & postea vitulum marinum: nisi castoreum intelligat, cuius in hoc casu celebratissimus est apud omnes usus; etiam ad conuulsiones libro de Theriaca ad Pisonem cap. IX. Cuius autoritatem non sum veritus, Galeno asseruisse cum Alphonso Lopez & Zacuto Lusitano, quum Ægineta lib. VII. cap. III. tali nomine in testimonium adducat: quicquid summi viri Cardanus de Ven. lib. I. cap. XXVI. & Capiuaceus de Febr. cap. XXIIX. de ipso dubitent; quamuis & Fallop. de comp. med. cap. XXVII. magni viri agnoscat. Quid si scriptum fuerit *Scinci*, pro quo vocabulo sibi parum noto librarius forte substituit *cancri*? Eius enim generis minor Crocodilus ob figuræ similitudinem aliquo modo censeri potest: quem quidam terrestrem crocodilum esse di-

dixerunt Plinio teste lib. xxiix. cap. ix. quo nomine Arabes hodieque appellant; alii crocodilum minorem, cuius de Aquatilibus lib. ii. Petrus Bellonius meminit. Nilo enim ad alueum refluente numerosiores in limo capiuntur crocodili terrestres duum generum: quorum alterum cauda spinis armatum, altetum solis squamulis leuius. Atq; hoc fortassis veterum Scinchus, qui antequam adolescat ab incolis curatus Europeis venundatur, quum per ætatem binorum cubitorum longitudinem alioquin excedat. Nisi crocodilum sui generis existimauerimus cum Diosc. lib. ii. cap. lxxi. quem sequitur Oribas. Coll. med. lib. xiv. cuius exuvias V. C. Ioannis Veslingii quondã Professoris Patauini munere ex Ægypto allatas habeo. Scinchum tamen à Crocodilo quoque diuersum non infici or: cuius etiam sententiæ video Rondeletium de Amphibiis cap. iv. Nec vero istorum, quos memorat autor, animalium testes oculis expositi, maxime Oniscorum: quorum generatio eiusmodi partis usum non ab ratione dubium reddit. Sed nec reliqua satis integra. Sic enim porro legendum censeo: *& porcellionis, hoc est animalis, quod humectis & aquosis locis nascitur: à Græcis appellatur Oniscus*. Nisi malis: *porcelliones, hoc est animalia*, & quæ sequuntur in vulgatis libris. Testiculos porro ursinos, aprinos, arietinos ad epilepsiam proponit Plin. Valerian. lib. ii. cap. liix. agni etiam vulturisque cerebellum lib. iii. cap. x. suum præterea, leporis, & asini Plinius maior lib. xxiix. cap. xvi. arietis pariter, mustelæ, ac viuerræ, itemque gallinacei lib. xxx. cap. x. Alexander Trallianus etiam lib. i. cap. xv. & Cæl. Aurelianus Chron. lib. i. cap. iv. Hic tamen Scribonio magis accedit, quando Asclepiadis & Serapionis autoritate medicamen ex crocodili terreni stercore confectum adfert. De crocodili testibus quæ in Ægypto notauit Veslingius paucis referam. Siccatos crocodili testes moschum redolere. Iis mulieres ad fœcunditatem naturalia suffire. Numquid etiam ad uteri passiones, quæ epilepsiæ persimiles? Grati odoris causam reddit Plinius lib. xxiix. cap. iix: *Sabulosus crocodilus ingens, cui vita in aqua terraque communis. Duo enim genera eorum: Alter illi similis, multum infra magnitudinem, in terra tantum, odoratissimisque floribus viuit: ob id intestina eius diligenter exquiruntur iucundo nidore farcta: crocodileam vocant, & contra comitiales morbos bibitur ex aceto mulso binis obolis*. Quid si primitus hac sententia scriptum fuerit *intestinum*? Nam celeri dictantis prolatu librarius facile in aberrationem duci potuit. Petrus Bellonius tamen De admir. Oper. antr. præstantia lib. i. cap. vi. ait Crocodileam Græcis stellionum in Ægypto excrementum durum, leue, album; quod Turcis pro fuco familiare. Sed & Romanis olim Horatius indicat Epodon Ode xii. de anu:

nec illi
Iam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodili.

✱ p. i. aut victoriati.] Nempe ad ætatem cuiusque, veluti Comp. xxxiv. Lucas Pætus de Ponderibus Romanis lib. v. Scribonio Largo pondus hoc peculiare notat, quum plerisque sit nummus. Est autem Victoriatus Denarii semissis.

X V.

Tymi albi] Thymi. Dioscor. enim lib. III. cap. XXIV. Θύμος. Plinio lib. XXI. cap. XXI. candidus, radice lignosa, in collibus nascens, qui & præfertur. Theophrasto Hist. plant. lib. VI. cap. II. Atticus, aliis Græcus. Quem graueolentem, viridique ratiorem notauit Gaspar Bauhinus Pinac. lib. VI. sect. IV. De nigro seu verius purpureo solum egit Dioscorides. De altero Plinius pro Scribonii placito: *Datur & comitialibus, quos olfactus excitat thymi*. *Aiunt & dormire eos oportere in molli thymo.* Tertium thymi genus spicatum Narbonæ domesticum, veteribus Græcis haud ignotum, non sine rei herbariæ incremento, addit Salmasius ad Solinum. Thymus ordine tertio calefacit & siccat Oribasio Coll. lib. XV. cap. I. post Galenum de Simpl. facult. lib. VI. Æginet. lib. VII. cap. III. & Oribas. crassos & viscidos humores siccat, euidenter incidit, Æt. Tetr. I. serm. III. cap. XLVII. pituitam bilemque vacuat.

Quadraginta quinque.] Ita Comp. CLIII: per dies quadraginta, Comp. CLII. Dioscorides lib. III. cap. CLI: *Asplenum per quadraginta dies potum lienem absumit*. Quod tempus in decoctis etiam ad diuturnos affectus hodie obseruatur.

Milia] H. St. millia. Beda de Ortographia: *Mille per duo l; licet Milia per unum l scribatur*. Georgius Valla clarius indicat, Mille adiectiuum geminata consonante, substantiuum unica, scribi. Inde Miliare & Miliarium, Plutarcho in vita Caii Gracchi μίλιον, spatium mille passuum, quorum singuli senum sunt pedum: etiamsi passus pedes habeat quinque sententia Columellæ lib. V. cap. I. Inuentore Graccho signabatur lapide, vel cippo: unde lapidis etiam nomen apud bonos autores obtinuit. Quale Romæ in capitolii area spectare licet. Huius exemplum insigne de auro positum ab Augusto narrat Dio lib. LIV. De quo etiam Hist. lib. I. Tacitus, & in Galba Plutarchus. Qua vero curiositate ægrotantium corpora mouebantur, abunde constat ex Aureliano Chron. lib. I. cap. I. In gestando etiam certus passuum numerus obseruabatur. Quod neque doctissimus Pignorius de Seruis præterit. Nec minor veterum in reliquis animantibus cura fuit. Columella rei rust. lib. VI. cap. II. de bubus domandis: *docere per mille passus composite ac sine pauore ambulare*. P. Vegetius de arte veterin lib. III. cap. III. *per mille quingentos passus bouem currentem trahere*. In eandem sententiam Columella lib. VI. cap. VI: *citatum per mille & quingentos passus agere*.

Duum.] Legendum fortassis duo: nisi Antiptosin malis. Vtroque enim modo idem intelliges. Genitiuum vero casum pro Accusatiuo positum Nonius Marcellus ex Lucil. lib. XXIX. patefecit: *cui sæpe mille imposui plagarum in diem*. Cuiusmodi etiam Græcismum Latini admittunt. A. Gellius quidem lib. I. cap. XVI. monet *alia ratione mille hominum, alia mille homines dicendum*. Ex quo *Mille* antiquis cum Genitiuo usurpatum obseruat Franciscus Iuretus ad Symmach. lib. I. Ep. XVII. Nec Plautinum illud, *mille passuum commoratus es cantharum*, Valentinus Acidalius in Menæchm. cap. II. aliud quam phrasin Plauto solitam obseruat, & diuerse prolatum Truculento Act. II. Sc. III: *Quæ tibi mille passuum peperit moræ mora*. Neuter tamen huius formæ rationem adfert

Et sane usus pro regula sufficit. Placitum interim Grammaticorum minime contemnendum; Mille substantivum in utroque numero iungi Genitiuo. Sic Plautus Menaech. Act. I. Sc. II: ME. *feri. vel mane etiam* PE. *mille passum commoratus cátharum*, ME. *Placide pulta*. Quem locum dilucidiorem credo, si Gaspari Scioppii coniectura legatur: *feri, vel mane etiam*, PE. *mille passum commoratus interim*, M E. *Placide pulta*. Haec enim Comici mens videtur: Inter istam moram, qua manere me iussisti, mille passus proferre poteras. Et Milite, Act. IV. Sc. II: *Quin mille annorum perpetuo vivunt*. Peruulgata igitur Scribonii lectio non adeo est inusitata, ut Latinorum exemplis destituatur; quanquam non diffiteor à Graecis aliquid traxisse, quorum Aduerbia à Nominibus Comparatiuis & Superlatiuis gignendi casum poscentibus deriuata Primitiuorum indolem referunt. Qua ratione autor scripsit *minime duum*: ultra quos neutiquam procedendum subindicat. Numerus enim, ut sic dicam, exclusiue intelligendus, quoties Genitiuus loco Accusatiui nomini adiectiuo sociatus, quem Accusatiuus integrum significat. Hunc in modum Hippocrates Sect. IV. Aph. I. ἄχρις ἑπτὰ μηνῶν. Sic enim vulgo legitur, etiamsi Phrynichus mavult sine ς; qualiter & Hieronymus Mercurialis vetusti codicis autoritate, consentiente Vaticano, & Mediceo: quod Thomas Magister vitandi hiatus causa notat additum fuisse. Hoc autem Ionicum, illud Atticum ex Helladii Besantinoi Chrestomathia tradit Photius Patriarcha Constantinopolitanus. In meo tamen libro MS. vox haec desideratur. Eiusmodi vero ambulationem unde oportere instituere, palam est L. *mille passus* CLIV. D. de verbor. signific. *mille passus non à milliario urbis, sed continentibus aedificiis numerandi sunt*.

XVI.

Marcellus vir Christianus hanc obseruationem prudenter neglexit suis temporibus parum conuenientem.

Matronam] Feminae etiam medicinam exercebant, ut Comp. CXXII. patebit.

Eboreae scobis] Ebur adstringit Diosc. lib. II. cap. LXI.

Mellis Attici] Mel Atticum principem locum obtinet Diosc. lib. II. cap. CI. optimum quoque Plinio lib. XI. cap. XIII. maxime quod in secturis argentariis repertum dicitur ἀκάπνιστον, quia citra fumum conficitur Strabone teste Geograph. lib. IX.

Testudinis masculae,] Suspicor heic legendum, marinae; quod à veteribus compendio ma. scriptum, aut voce, quod non raro contingit, à blattis decurtata recentior librarius rerum naturalium non usque peritus traducere potuit in masculae, siquidem palumbi masculi mox mentio fiat. De marina quippe testudine in rem praesentem conueniunt scriptores antiqui. Plin. lib. XXXII. cap. IV: *Marinarum testudinum sanguis comitialibus instillatur, ore diducto, his qui modice corripiuntur*. Caelius etiam Aurelianus Chron. lib. I. cap. IV. inter epilepsiae remedia testudinis marinae sanguinem recenset ex Serapione. Ad spasmum proponit P. Vegetius Art. Veterinar. lib. III. cap. XXXII. (XXXV.) In malagmate pariter Asclepiadis ad tensionem, ut in vulgatis legitur, eius mentio apud

apud Galenum de Comp. medic. per genera lib. VII cap. VII. Imo in Antidoto Marciani ponit autor ipse Comp. CLXXVII. Dioscorides etiam lib. II. cap. XI. à terrestri discernit marinam; cuius tradit usum lib. IIX. cap. I. Verum quoniam utrorumque sanguinem, & puellæ feminei generis animalia diserte postulat Scribonius, non inuiti superstitioni eius testudinem masculam demus. Imo quidam hanc marinam & meliorem crediderunt.


Palumbi masculi,] Ita & Columella lib. IIX. cap. XI. quia epicoenum. Hinc Varro de ling. lat. lib. VII: *Aquila mas & femina*. Huius sanguis columbino substituitur Aet. Tetr. I. Serm II. cap. LXXXV. Ad ophthalmiam laudatur Dioscor. lib. II. cap. XCVII. & Galen. de Compos. med. sec. loc. lib. II. cap. I. lib. III. cap. I. Meth. med. lib. III. cap. II. & lib. XIII. cap. postr.

Dum viua utraque animalia dimittantur.] Antequam exspirent: quanquam & heic ad religionem aliquid. Cuiusmodi etiam, quod mox de sexus discrimine subiicitur.

Vtrorumque ferorum, id est nuper captorum] I. utriusque feri, id est nuper capti, neque domi educati. Nisi Poetarum more plurale pro singulari placuerit. Sanguis autem animalium, quæ nondum cicurata, feruidior est.

Oportet autem] Hanc rationem docuit etiam Galenus lib. X. de Simpl. fac. ubi de columbæ sanguine agitur.

Clavum Cyprii æris acutum] Regulam æneam interpretatur Salmasius in Solinum; acutum pariter Cyprium apud Innocentium. Quo etiam modo apud P. Vegetium Art. Veter. lib. III. cap. II. *acutum cuprinum*; quod cap. IV. *acum aream* dixit, & lib. III. cap. XI. *Cyprinum acutum* censeo accipiendum. Æreis vero clauis compactas olim naues constat ex Dioscoride lib. V. cap. LXXXVII. qui & squamam æris habet ex Cypriis clauis cap. LXXXIX. Quod factum perhibet Flauius Vegetius de re milit. lib. IV. cap. XXXIV. *quia etiam in fluctibus propriam substantiam seruant*. Quamobrem forsan æreo etiam rostro armatæ: quas lib. VII. de Beneficiis cap. XX. Seneca recte æratas dixit; quidquid alii de cerastis cogitent. Quid si clauus hic simul dicatus fuerit superstitioni, cuius plura heic vestigia? Talem notis insignitum è museo Viri Clarissimi Francisci Angeloni Romæ delineatum repræsento. Eiusmodi signa ceteris quidem urensilibus etiam communia fateor. Superstitiosum tamen claui usum planius demonstrat Petri Stephanonii alius: quem inscripta nomina Ægyptium, & priuatim Alexandrinum, suadent, si in memoriam reuocentur, quæ de voce θωθ ex Philone Byblio Eusebius memorat. Hanc autem orbis regionem Christianorum etiam temporibus errorum ac falsi cultus matrem fuisse constat. Quod satis comprobat vox IAKOBIA. Et quorusquisque non accipit, veneficos nostri seculi veteratores eruendis mortalium luminibus quandoque addito carmine clauos adhibere?


FA
P.S.
ΡωΜΑΚΟCΗΘ
ΙΑΚΟΒΙΑ
ΙωCΙΘΟΘ
ΠΑΚЄΡΒΙΘ

In iugulum] Galenus de Comp. med. sec. Genera lib. VII. cap. XII. notat teſtudinem iuxta clauiculam arundine utrinque transfixa iugulari.

Quæ ſub alis ſunt,] *Sic etiam* Galen. lib. x. de Simpl. facult.

Aere acuto] Numquid abuſue ac more Græcorum poetarum, ut cenſuit Adrian. Turnebus Aduerſ. lib. VI. cap. X. & lib. XXVI. cap. XXIII. pro ferro; quæ Cardani quoque mens eſt in Comm. Aph. LXIV. lib. VII. vel Synecdoche, cuiuſuis metalli loco, veluti I. Reg. cap. VII. verſu IV. æs poſitum? an quod antiquior æris, quam ferri uſus, ex Heſiodo, & Plinio? Vetuſtiſſimum eius uſum indicat Hippocrates lib. de Medico, ubi monet æris præterquam in inſtrumētis nullum eſſe uſum debere. Plato etiam IIX. de Legibus præcipit, *ut nemo ærarius ſimul & lignarius faber ſit*: ferrarii non meminit; quem Pallad. Rutilius rei ruſt. lib. I. Tit. VI. nominat: quamuis lib. II. Tit. XVI. clauum cyprinum vel ferreum habeat: argumento ſatis claro utenſilia ut plurimum fuiſſe ænea. Quo modo Columella lib. IIX. cap. XVII. præcipit riuis piſcinæ præfigi æneos foraminibus exiguis cancellos. Arma quoque ænea indicat Virgil. Æneid. VI:

æraque fulgent

Sole laceſſita.

Elteaonis etiam pugio æneus memoratur apud Athenæum Deipnoſ. lib. VI. Quam conſuetudinem initio Græcorum fuiſſe non obſcurum eſt Strabonis indicio, qui Ligurum militiam declarans ait: *nonnulli ex eo, quia æreis utuntur ſcutis, Græcos eſſe ratiocinantur*. Eamque cœpiſſe ab heroibus docet Pauſanias lib. III. ubi cuſpidem haſtæ Achillis æneam, ſimilemque Piſandri bipennem ex Homero memorat. Diodorus etiam Biblioth. Hiſtor. lib. V. cap. IX. Gallis æteas fuiſſe galeas. Ad Romanos autem tranſiiſſe, monſtrat elegantiſſima caſſis ex ære Corinthio criſtata operis antiquiſſimi, cum inſigni gladiorum numero, quos ferrugo mire fœdauerat, prope Atheſten antiquitatis latifundium eruta: quæ nuper apud Corradinos Aloiſii magni quondam Iuriſconſulti filios paternæ virtutis æmulos pridem extinctos Patauii ſeruabatur. Plutarchus tamen autor grauiſſimus in Alexandri Vita galeam ipſius memorat ferream, inſtar candidi argenti refulgentem; collate item ex ferro compactum. Æneus etiam ſagittæ mucro apud Alexandrum Eſtium patricium Patauinum priſcæ elegantiæ ſtudioſum & amicum videbatur, olim celeberrimi Laurentii Pignorii, qui Antenotidum fuiſſe credit cap. III. Originum Patau. Ingentem quoque ſpiculorum æneorum vim Georgius à Turre ſollers Patauii medicus ac rei herbariæ Profeſſor clariſſimus in vicinis montibus Euganeis effoſſam vidit. Inde Homero Iliad. lib. I. Ἀχαιοὶ χαλκοχίτωνες, & lib. II: ἐυκνήμιδες. Vtrumque eleganter, ſed poſterius longe ſplendidius, expreſſit Virgilius Æn. VII:

thoracas ahenos

Aut leues ocreas lento ducunt argento.

Iulio Polluci lib. VII. cap. XXV. n. II. eſt χαλκόκρανον. Huius conſuetudinis haud ignarus autor Panegyrici Berengario ſcripti, apud Canonicos Lateranenſes in membranis Patauii:

capiti tremit ærea caſſis.

Itaque Pindaro Iſthm. Ode IV. vete Ἄρης χάλκεος, *Mars æreus*, ex Hom. Il. VII. Ruſtica prætetea inſtrumenta huius generis fuere. Nam Pallad. lib. III.

Tit.

Tit. xxv. suadet *æreo scalpro mali vermes radi*, & lib. iv. Tit. x. *clauo æneo purgari; stilo item æneo, ac uncinis æreis tollere*. Sed & domestica, patet ex Hom. Il. xi. κνῆ τυρὸν Κνίστῃ χαλκείῃ. *rasit caseum cultro æneo*. Quin & vim æri medicam inesse putabant veteres. Quam Macrobius Saturnal. lib. vii. cap. xvi. explicat: *Quod dixisti Euangele de acuto æneo, ni fallor, coniectura mea à vero non deuiat. Est enim in ære vis acrior, quam medici stipticam vocant. &c. Aristoteles vero autor est, vulnera, quæ ex æreo mucrone fiunt, minus esse noxia, quam, quæ ex ferreo, faciliusque curari; quia inest, inquit, æri vis quædam remediabilis, & siccifica, quam demittit in vulnere*. Aristotelis etiam autoritate Plutarchus in Symposiacis lib. iii. Qu. x. tradit vulnera æreo mucrone inflicta celerius coire, quam quæ ferro. Ære quoque ad superstitionem usos, amori sedando; constat e Saturnal. lib. v. cap. xix. ubi narratur, æneis falcibus secari herbas, & cultri ex ære in Sabinis obseruantur.

Datur ex eo luna decrescente per continuos dies triginta] Vitium heic agnoscet vel plebeius, cui non ignotæ prorsus temporum vices. Ei sic facile medeberis. Hoc medicamentum ligneo vase seruatum reponitur luna decrescente. Cum opus fuerit, dantur ex eo per continuos dies triginta, primum cochleatia tria, &c. Optime, luna decrescente. Hoc enim tempore medicamenti vis ab humoris colluvie minus hebescit; quum unaquæque res diminutionem sentit; ut aduertit autor libri de Dynamid. qui Galeni falso creditus. Quod in effodienda, secanda, exstirpanda, seu legenda materie, Cato rei rust. cap. xxxi. & xxxvii. Itemque Palladius lib. i. Tit. xxxiv. lib. iii. Tit. xxiv. & lib. iix. Tit. i. diligenter obseruat.

Summum] Aliis placet, ad summum. Sed Tullius est pro Scribonio.

Augetur minuiturque numerus] Idem in magnis remediis hodie seruatur.

Heminam per duos menses consumere &c.] Heminam si intellexeris mensuralem, quæ Apuleio libram pendit, hoc est vncias duodecim mensurales, Italica Galeno de sanitate tuenda lib. iv. cap. iix. ternis in dies cochlearibus ad menses duos satis erit, ubi cochlear mediam drachmam expleuerit ad mentem Plinii Valeriani in Præfat. Lib. de re medica.

Vinum,] maxime generosum & odoratum, quod capiti infestum monet Galenus de attenuante victus ratione cap. xii; etiam quodcunque largius propinatum. Etenim capite grauiter adfecto copiosa vini potio maximo est malo, Galeni decreto in iii. Epidem. Comm. ii. Ægr. iv.

Suillam] Plin. Val. lib. iii. cap. xiii. porcinam Paralyticis negat, lib. v. cap. vii. etiam Epilepticis. Crassi enim & viscosi est succi. Proinde Alexander Trallianus lib. i. cap. xv: *A carnibus omnino puerum abstinere bonum est, præcipue suillis & bubulis*. Prudenter. Ætas nempe ista humiditate redundans est epilepsiæ obnoxia. Adi Athen. Deipnos. lib. ix. Paul. Æginetam lib. i. cap. lxxxiv. Oribas. Collect. lib. ii. cap. xxiix. & lib. v. cap. xv. Synops. lib. iv. cap. xiii. Euporist. lib. i. cap. xix. Galenus tamen in consilio pro puero epileptico, etiamsi quadrupedum omnium carnes vetat, urgente necessitate aprugnam permittit; domesticæ vero suis extremitates tantum, & stomachum: quandoquidem suilla viscosum, ut ut bonum, producat succum. Indis optimam quoque suillam & ægris conuenientem refert Iacobus Bontius de med. Ind.

In-

In brachio] Numquid crumenam intelligit, quæ dependebat à brachio? Sic enim Nonius Marcellus: *Bulga est folliculus omnis, quam & crumenam veteres appellarunt: & est sacculus ad brachium pendens.* Crumena igitur nonnullis haud ita inepte dicta ἀπὸ τοῦ κρεμᾶν, à pendendo; Cypriis vernaculo sermone *Bunga*, veluti sequioris æui Græcis πύγγια, Danis meis *Pung*, & Lombardis hodie *Ponga*. Quidni & manicam significare potuit? Hac enim expeditius quam cinctu in usum quotidianum necessaria recondebantur, braccis nondum Romæ receptis: quas Claudium non sine probro gessisse indicat Suetonius. Nam tunicis, immo colobiis, hieme adhibebantur manicæ. Quin & hæ ipsæ veteribus quandoque videntur fuisse, quæ nobis chirothecæ: quales Venetiis apud Orientales gentes spectare licuit integrum ferme brachium manicæ in modum velantes, reliquæ tamen vesti neutiquam adsutas. χειρὶς Homeri Od. x. Plut. in Oth. ignoto interpreti thecas verius *Chirothecas*; Gulielmo Xylandro *manica*: quo etiam modo Thomas Linacer exposuit Gal. de sanit. tuenda lib. III. cap. XIII: quod Lexicographi reddidere *manus inuolucrum*; Eustathii, ut videtur autoritate, cui χειρίδες τὰ τῶν χειρῶν καλύμματα ἐκ δερμάτων. Rem videtur expressisse Lexicon Græcolatinum vetus apud Cyrillum, ubi χειρὶς *Manicium*, quod Insubribus *Manicia*, Hetruscis *Manicotto*, plerumque ex pellibus longitudine tantum ab Orientalium tegumento discrepat. Nec alia profecto Mussulæ veruecinæ in Additione prima Capitulorum Caroli M. & Ludouici Pii cap. XII. Can. LXXIX: quæ Belgis *Moffe*, Gallisque *Mouffles*: quas Columella lib. I. cap. IIX. & lib. XI. cap. I. *pelles manicatas* nominat, Palladius rei rust. lib. I. Tit. XLIII. *manicas de pellibus* præter *tunicas pelliceas* distincte postulat: *quæ vel in siluis, vel in vepribus, rustico operi, & venatorio possint esse communes*. De his procul dubio Plin. iunior lib. III. Ep. V: *ad latus notarius cum libro & pugillaribus, cuius manus hieme manicis muniebantur*. Fortassis & verua inserebantur armillis, ut simul tangerent cutem vitio aduersa.

Verua eborea.] Quid si virias eboreas, seu viriolas; id est armillas amuleti loco. Ita Glossæ ψέλιον, βραχιάλιον, *Viriola*: quemadmodum & Hesychio ψέλια, κρίκοι. Qua significatione Strabo lib IV. inter Britannicas merces enumerat ἐλεφάντινα ψάλια. Scylax Caryandensis Periplo de Æthiopibus etiam affirmat, *mulieres pro ornatu uti armillis eburneis*. Sed quoniam à nouitate me alienissimum profiteor, lectioni receptæ locus erit; si *verucla*, seu *vernicula* ut habet Baysius de Vascul. ex Plin. lib. XXXIII. cap. VI. etiam in membranis Corniani, in editione Veneta anni MCCCCLXIIX. & MCCCCLXXII, ac nupera Elseuirii, vel ut Iac. Dalechampius emendat *verricula*, hoc est obelos, intelligamus. Quo modo Marcellus de Medicamentis cap. X: *Veru ferreum candens in aceto adsidue extingue, & fumum eius naribus ducito*. Porro *Veruina* Plauto Bacchid. Act. IV. Sc. IIX. etiam obeliscus est seu parvum veru, & quasi veticulum, monente Adriano Turnebo Aduersar. lib. XXIV. cap. XI. Nec vero absonum est, hæc peculiaria Scribonio περίαπτα concedamus. Ebur enim vi siccandi, ut notat Ægin. lib. VII. & adstringendi pollet, autore Dioscoride lib. II. cap. LXI. qua roborat viscera, monente Fernelio Meth. Med. lib. V. cap. XXIII. quorum vitio non raro malum hoc oritur.

Ex vena sua] Gladiatoris etiam iugulati notat Celsus lib. III. cap. XXIII, ad quem

quem Deo fauente plura dabimus. Vidimus in supplicio Parauii hoc malo affectum se pleno decollati cruore proluentem concitato gradu in pagum auolasse. Homo enim agrestis erat ac intrepidus, tam immani par auxilio. Successum vero expiscari non licuit. Aretæus autem de cur. morb. lib. I. cap. IV. adfirmat *eiusmodi remedia illis scripta, qui ad hunc miseriæ terminum peruenerunt, ut malum malo piaculo depellere sustineant*. Cælius Aurelianus etiam Chron. lib. I. cap. IV. *exsecranda, crudelia, inhumana* censet. Plin. lib. XXIIX. cap. I. *piacula*. Nec mitiore sententia de Latiari Ioue Minucius Felix: *Ipsum credo docuisse comitialem morbum hominis sanguine, id est morbo grauiore, sanare*. Quapropter & Antonii Guainerii, quod Antidotarii cap. XX. è carne capi, phasiani, perdicis, corroborans traditur, alteri ex humano sanguine merito præferendum arbitror.

Defuncti] Morte scilicet violenta: non humati, ut optime de Morbis capitis præcepit Ioa. Heurnius cap. XXII. ubi & Scribonii mentio. Laudatur enim nostris medicis caluaria fontis cœlo aliquamdiu exposita. Nec aliam sane priscis placuisse, constat ex Plin. nat. hist. lib. XXIIX. cap. I: *Artemon caluaria interfecti neque cremati propinauit aquam è fonte noctu comitialibus morbis*. Asini quoque caluariam diligenter crematam, contusam, & cretam drachmæ unius vel duarum pondere idem præstare tradit Alexander Trallianus lib I. cap. XV.

Terna cochlearia] minora, siue scripulum. Nam si maius cochlear, quod ex communi sententia habet drachmam, minus ter capit, veluti Cælius Calcagninus lib. V. epistolarum aduertit; minus utique cum scripulo adæquatur. Quod huius remedii pondus vix hodie excedimus: quamuis non sim nescius veteres medicamenta liberalius dedisse. Nec vero credibile, terna cochlearia in dies triginta fuisse diuisa: quandoquidem hac ratione singulis diebus sena tantum grana sufficerent; quorum exigua vis foret.

XVII.

Aretæus de curat. morb. lib. I. cap. IV. videtur hunc locum innuere.

Ex iecinore gladiatoris iugulari] H.St. iocinore. Huic nempe mortalium generi sanguis est integerrimus: cui iecur substantia quam simillimum tradit Galenus de fœt. format. cap. II. Inhumanum tamen auxilium, ut vere in hæc verba loco memorato prorumpat Aretæus: *O ingentem necessitatem, quempiam sustinere malum malo piaculo depellere. Autorem legi, qui humanum iecur epulandum adponi præcipiebat. Sed hæc illis scripta sunto, qui ad hunc usque miseriæ terminum peruenerunt*. Ingens vero teium necessitas. Quanto minus ferenda plus quam ferina sæuities, quæ Deum vindicem nacta. Refert enim Cedrenus, eum qui Cyrillum diaconum dissecuit, & iecur ipsius degustauit, linguam suam ipsius putredine confectam euomuisse.

Nouies] Nouenarium numerum ad animum retulere prisci sapienter. Varroni etiam in Fragmentis *nouenarius numerus in mouendis rebus potissimus & maximus*. Hinc Apuleius forsitan de viribus herbar. cap. XCIII. *ter nouies dicas*. Idem cap. LII. piperis & coriandri grana nouem præscribit; cap. XXXIX. myrti siluaticæ cymas item nouem. Autor libri de Dynamidiis nouies nouem piperis grana. Homerus etiam Iliad. I.

Ἐννῆμαρ

Ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ᾤχετο κῆλα θεοῖο.

Nouem dies quidem per exercitum ibant sagittæ Dei. Dies patitet in acutis impares decretorii: quod Menander etiam de septimo protulit apud Iul. Pollucem lib. IV. cap. XXIV. Quibus & medicamentum vehemens laborantibus perniciosum indicat Hippocrates lib. IV. De morbis. Festus tamen addit: *Imparem numerum antiqui prosperiorem hominibus crediderunt*.

Extra medicinæ professionem cadunt:] Nam eorum nulla reddi potest ratio. Galenus interim de Opt. Secta ad Thrasybulum cap. IX. Occultis etiam opus esse monstrauit.

XIIX.

Prolepsi curationis prædictio subnectitur. Epilepsiam nempe, cognitam aliquando sanari. Nec enim *in minus manifestis morbis artem inopem ac dubiam hærere conuenit*, quia *mentis oculis obtinentur*, ut vere Hippocrates de Arte. Vitium autem si leuius, minori negotio tollitur: secus, nullis remediis cedit, quavis euidentissimum. Quod nec siluit maximus ille artis conditor Sect. V. Aph. VII. quem lib. III. cap. XXIII. optime Celsus expressit. Hinc Menecrates epilepsiam religiose curandam suscepit eo pacto, ut restituti Ioue salutarent. Tu quisquis, mi homo, tetrum hoc malum euasisti, Deo vero lita. Is enim sanat languores nostros. Quod autem Barthius putat vitium cognitu difficile, quoniam laborans loquela destitutus: id in accessione quidem verum est. Medicus vero morbi rationem indagat extra inuasionem, ubi sensus & ratio ad se rediere.

Viros facilius] Medelæ successum ab ætate notarunt plures; a sexu solus, quod viderim, hic noster. Et vere. Nam viri humorum colluvie minus scaturiunt, nec iis cerebrum adeo humidum ac mulieribus. Caput autem in primis patitur, ut monet Cæl. Aurelianus Chron. lib. I. cap. IV. Natura etiam majori caloris vi eos dotauit: cuius munere non solum morbi causæ resistunt, sed magna etiam remedia sine noxa ferunt. Nihil igitur nouandum suadet utriusque sexus comparatio: quamuis Barthius legendum suspicetur, *aliquibus facilius*. Id tamen genus sæpius viros quam feminas occupare docet Corn. Celsus lib. III. cap. XXIII.

Post complexum] Ætas heic indicatur Veneri apta, nimirum pubertas. Inquam rem Hippocrates lib. II. Aphor. XLV: *Finem epilepsiæ iuuenibus adferunt ætatis, loci, & victus mutatio*. Similiter Celsus lib. III. cap. XXIII. de Comitiali morbo: *Sæpe eum si remedia non sustulerunt, in pueris Veneris, in puellis menstruorum initium tollit*. Quod neque Plinius lib. XXIX. cap. IV. omisit: *Multa genera morborum primo coitu soluuntur, primoque feminarum mense: aut si non id contingat, longinqua fiunt, maximeque comitiales*. Rationem addit Cælius Aurelianus loco iam dicto: *Solet hac passio pubertatis tempore, siue nova purgationis in feminis, aut primi partus quadam naturali nouitate facile detergeri, corporis mutatione suffecta*. Antonii Benuenii quoque monitu de Abditis morbor. caus. cap. XCVII. ut quandoque in pueris Venus, ita in puellis menstruorum initium huiusmodi morbum tollere solet. Morbus igitur comitialis quandoque

non leuatur Venere, sed ætatis ac temperamenti mutatione, ut recte indicauit Hieronymus Mercurialis Pract. lib. I. cap. xxvi. Cauendum tamen, ne puerorum natura intempestiuo concubitu violetur, quemadmodum prudenter monet Aretæus.

Devirginationem.] Sunt qui virginibus hanc peculiarem tradunt, sicut pueris complexum. At Nonius Marcellus: *Quicunque ex ephebis excesserant, devirginari dicebantur. Virgines enim non solum feminæ dicuntur, verum etiam pueri inuestes.*

XIX.

Ad conturbationes] Adriano Turnebo Aduerf. lib. II. cap. VI. Conturbatio proprie minor Ophthalmia, Græce Τάραξις. Hæc autem fit, quum oculus ex compressione, aut attritu, aut mora in fumo, vel id genus alio offendente conturbatus conspicitur. Sic Actuarius Methodi med. lib. II. cap. VII. Vtrique suffragatur Introductionis autor, quæ Galeno adscripta, cap. XV. dum eam contingere significat, quum oculus leuiter ac mediocriter commotus tandem rubicundior euadit. Hinc Ætius Tetrab. II. Serm. III. cap. III. optime: *facile curabis, si iusseris ægrum à lædente causa discedere, velut sole, aut fumo, aut alio simili.* Nili tamen ex rosis collyrium perseuerante affectione laudat. Omnium etiam optimum prædicat Celsus lib. VI. cap. VI. Nilei collyrium. cuius appellationem Galenus de Compos. med. sec. loca lib. IIX. cap. V. utroque flexu protulit.

Epiphoras oculorum] Sic etiam Compos. XC. XCIII. Amplior enim huius vocabuli usus. De quo in Lexico nostro.

Collyria] Hæc priuatim oculis destinata. Horat. lib. I. Sat. V.

Heic oculis ego nigra meis collyria lippus
Illinere.

Quæ aliis etiam partibus fistula corruptis, Apsyrto κολλύρια συριγγιακά, quorum Galen. de Comp. med. sec. gen. lib II. cap. XIX. meminit, Salmasius ad Solinum subtiliter *Colluria* vocat. De quibus ad Comp. CXLII. plura.

Lycio Indico] Actuarius Meth. med. lib. VI. cap. V. non quod in nostris prouinciis nascitur. Proinde iure optimo primarium est Æginetæ lib. VII cap. XIV. Plinio lib. XXIV. cap. XIV. longe præstantissimum. De quo post Dioscor. lib. I. cap. CXXXIII. accurate Prosper Alpinus de Plant. Ægypt. cap. XII. & præclaræ memoriæ Veslingius curiose ad hunc ipsum. Garciæ ab Horto Aromat. Histor. lib. I. cap. X. est Cate Indicum. Nonnulli acaciæ succum putarunt. Sed utriusque distincta fit mentio Comp. XXIII.

Vero] Dubiam enim eius rationem etiam Dioscorides indicat, quam aliena fide tradit. Ioannes Andernacus quoque in Æginetæ locum nuper allatum negat sincerum, quod in officinis venditur. Et sane Dodoneus Histor. stirp. Pempt. VI. lib. I. cap. XIX. aduertit pro eo caprifolii succum perperam usurpari.

Hoc enim inter initia, si quis hoc collyrio inungatur protinus,] Marcellus cap. IIX. *Hoc enim inter initia si quis ut collyrio inungatur protinus.* Melius forsan: Hoc enim inter initia si quis collyrio inungatur, protinus eodem die & dolore p. e. f. t. l.

Id

Id est eodem die,] Glossema videtur in textum ex ora translatum. Neque enim in Marcello hæc repetiuntur; quæ superflua. Celsus tamen in omnibus MSS. lib. VI. cap. VI. simili casu: *Protinus primo die.*

XX.

Cum combiberint oculi ad singulas inunctiones,] Interstingue: cum combiberint oculi, a. s. i.

Eaque quam poterint sustinere calidissima,] Marcellus cap. IIX: *ex aqua q. p. s. c.* Quibus extrema huius compositionis verba respondent.

Vaporare] Marcell. *vaporari.* Scribonium tuetur similis loquutio Compositione XLIII. Idem enim est quod tepefacere, seu calore temperate. Quo modo Horatius lib. I. Epist. XVI. de Sole: *curru fugiente vaporet.* Celsus lib. VI. cap. IIX. planius: *fouere vapore aquæ calidæ, id est spongia expressa atque admota.* cap. IX. *admouere per spongiam vaporem aquæ calidæ.* Cælius item Aurelianus Chron. lib. II. cap. IV. de dolore dentium: *oportet mentum vaporari exterius, & spongiis expressis ex aliqua coctione laxatiuæ virtutis ad mitigandam materiam.* Idem cap. XIV. in Phthisi *vaporationibus spongiarum* uti iubet. lib. V. cap. IV. in vesicæ Passionibus, *aqua calida expressarum.* Inter duas vero tabulas fuisse expressas refert Plin. lib. XXXII. cap. XI. Nobis in promtu erunt disci.

In balnea ducere,] Nimirum aquæ dulcis, veluti Galenus de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. I. Grammatici veteres heic iusto curiosiores. Inter quos Phocas: *Hoc balneum, hæ balneæ dicimus, & hæc balnea.* Ex Varrone autem de lingua Lat. lib. IIX. Balineum priuatum erat; antiquis Lauatrina. Addit Ausonius Popma, è recentioribus diligentissimus: *Balineæ seu balinea, publica, pluraliter. Viri namque separatim à feminis lauabantur.* Charisius Institut. Grammatic. lib. I. euidentius: *Balneum veteres dixerunt, siue balineum: Nihil enim differt publicum à priuatis. In publicis autem feminini generis, & quidem numero semper plurali frequenter balneas, & balineas. Nec immerito. Nam parsimoniæ causa uno igni duplex balineum calefaciebant, pariete interiecto, ut pudor viris mulieribusque constaret.* Hanc vero consuetudinem Imperator Hadrianus videtur instituisse, qui, ut memorat in eius vita Dio Nicæus, *vetuit, ne mulieres cum viris lauarentur.* Aquæ etiam calidæ morbis idoneæ quum plures essent, multitudinis potius quam singulari vocabulo appellabantur. Scribonius tamen utroque indifferenter usus. Balnei porro usum expende, si libet, apud Antonium Musam Brasauolum ad Hippocratem de rat. Vict. in acut. lib. III sect. XLIV.

Vinoque uti, ut quisque assuetus est.] Optime. Quanta enim sit consuetudinis efficacia declarauit Hippocrates Libro de victu in acutis. Qui sect. VI. Aphor. XXXI. Scribonio præluxit, Galeno suffragante Meth. med. lib. XIII. cap. II. Vinum autem iure vetitum Comp. XXXIIX. ob capitis dolorem & grauitatem; præcipue inter initia. Huius autem usus confert, ubi crassus humor oculos obsidet, quem attenuat. Celsus proinde lib. VI. cap. VI. vere suadet *vinum bibere lene, subausterum, vetus, neque effuse, neque timide, ut neque cruditas ex eo, & tamen somnus fiat, leniantur que intus latentia acria.*

Assuetus est, Postero die] assuetus est: postero die s. q. v.

Spectare] Parum abfuit, quin sententia nil omnino exigente substituissem *exspectare*; nisi Dictys Cretensis, argentei quidem seculi dubiæq; fidei scriptor, sed Iosiæ Merceri studio illustris, lib. v. eadem usus esset formula: ubi membranæ Aloisii Corradini: *omnibus iam in concilio spectantibus audire*. Quod in vulgatis legitur *exspectantibus*: quemadmodum in MS etiam Canonicorum Lateranensium Patauii; quo vetustior alter Codex. Quin etiam Celsus lib. VII. cap. II. in membranis Diui Antonii Venetiis: *Inter neruos vero ultima spectandæ maturitas*. Pro quo in ceteris omnibus scriptis & vulgatis libris legitur *exspectanda*. Hac mente Claudianus de raptu Proserpinæ lib. I:

Crastina venturæ spectantes gaudia prædæ.

Supra petunctum] Marcellus cap. VIII: *supra oculos perunctum*.

XXI.

Aloes Indicæ] Nam plurima præpinguisque in India nascitur, autore Dioscoride lib. III. cap. XXV. quam perhibet laudatissimam Plin. lib. XXVII. cap. IV. additque oculorum omnia vitia sanati ea, priuatim pruritigines: scabras quoque lippitudines monet Anazarbeus.

Opii] Opium antiquis Sopio. Qua ratione Galeottus Martius de promiscua doctrina cap. V. pro *scipionibus* apud Catullum Carm. XXXIX legit *sopionibus*. Sopor autem Cornelio Nipoti Dion II. potio est soporifera: *Patri soporem dare medicos coegit. Hoc æger sumto somno sopitus diem obiit supremum.*

Gummis] Gummi simpliciter Arabicum indicat.

Maceratæ] Gummi quippe non teritur, ne vim suam deperdat dissipatis partibus tenuioribus; verum in liquore dissoluitur. Eius in collyriis usum exponit Celsus lib. VI. cap. VI: *Gummi quum quasdam alias facultates habeat, hoc maxime præstat, ut ubi collyria facta inaruerunt, glutinata sint, neque frientur.*

Proprietate quidem quadam;] Marcellus, *proprietate quadam*. Quod non displicet.

Aspritudinem] Sic omnes. Ald. asperitudinem.

Cadmia] Botryitis intelligitur, monente Dioscoride lib. V. cap. LXXXIV. quæ & Comp. XXIV. accipitur. Strabo lib. III. autore Posidonio scribit solum æs Cyprium ferre Cadmiam.

Ære usto,] Vide Diosc. lib. V. cap. LXXXVII. Mediocriter siccat Galen. de Comp. med. sec. gen. lib. IV. cap. VI. & Meth. med. lib. III. cap. V. vehementer detergit lib. IV. cap. I. de Comp. med. sec. loca.

Nunquam enim ut succus] Hæc leuicula distinctione clarescunt. Nunquam enim ut succus diluuntur. Sed cum in summam subtilitatem deduci non possint, perseuerantia tamen retentium corpora quasi puluerulenta necesse est inaneant. Eaque medicamenta aceto solui tradit Galen. de Comp. med. sec. gen. lib. III. cap. III.

Foramina prima,] Quid si fuerit scriptum, pungunt primam tunicam oculi. Nam & ea Comp. XXIV. nominatur; quæ dissectionum professoribus Adnata: nisi angulos versus nares intelligat, scholis puncta lacrumalia, quibus collyria induntur.

XXII.

XXII.

Pondera heic valde minuta Ianus Cornarius aduertit in lib. IV. cap. VII. Gal. de Comp. med. sec. loc. Hanc vero, si qua est, notam vindiciis Scribonii diluimus.

Quod nomine etiam quidem Diaglaucium dicitur:] Magis perspicue Marcellus: *Quo nomine etiam quod Diaglaucium dicitur probo in initiis.* Diaglaucium vero apud autorem Introductionis sub Galeni nomine cap. XIV. ab interprete Andernaco *Diaglauciu* vocatur: dubio procul quasi διὰ γλαυκίῳ, ubi ad incipientes lippitudines proponitur. Eius vero usum recentioribus exoleuisse recte animaduertit Victor. Trincauel. de curat. part. lib. IV. cap. IV.

Croci,] cui vis coquendi, emolliendi, & substringendi apud Dioscoridem lib. I. cap. XXV.

Sarcocollæ] Quæ lactima arboris in Perside, Dioscoride autore lib. III. cap. XCIX. ad quem vide Io. Ant. Saracenum, Æginetæ lib. VII. cap. III. & Ætio Tetr. I. Serm. I. modice siccat. Addit Oribas. Synops. lib. II. cap. XII. & Coll. lib. XV. cap. I. sine morsu emplasticam esse.

Glaucei] H. St. Glauci. Verius Glaucii. Dioscorides lib. III. cap. C. Γλαύκιον. Glaucium; mox autor; itemque Oribas. Coll. med. lib. XI.

Glaucii succi] Appositio videtur. Est enim Glaucium succus herbæ, quæ ad Hierapolin Syriæ nascitur, si Dioscoridi credendum. Plinio tamen lib. XXVII. cap. X. Glaucion herba est Syriæ, & Parthiæ; ex cuius succo temperatur collyrium, quod Medici Diaglaucion vocant, cuius usus inter initia, monente Dioscoride.

Tragacanthi,] tragacanthæ. Dioscoridi lib. III. cap. XXIII. Τραγάκανθα. Autori pariter libri de Simplic. Medic. Galeno adscripti: qui monet Sarcocolla efficacius lacrimas reprimere. Celso tamen lib. IV. cap. IV. Tragacanthum.

Et hoc enim] Ita distingue. Et hoc enim ego adiicio. Et ita melius respondet scilicet opium & in hoc, &c.

In omni collyrio,] Sed caute, atque in extrema necessitate, ut monet Galenus Meth. med. lib. XIV. cap. IIX. Oculum quippe debilitat, eiusdem obseruatione de comp. med. sec. loc. grauissimeque affligit, veluti ostendit idem Meth. med. lib. III. cap. II.

Ex lacte] id est succo lacteo & dulci. Macrobius Saturn. lib. II. cap. XVI: *Nec hoc ignorandum est, ficum solam ex omnibus arboribus non florere. Lacte proprie ficorum grossi appellantur fici, qui non maturescunt: hos Græci dicunt* ὀλύνθους. Ioannes Isacius Pontanus patriæ ornamentum hunc locum ita distinguit: *Nec ignorandum est ficum solam ex omnibus arboribus non florere. Lacte proprie ficorum grossi appellantur. Fici, qui non maturescunt, hos Græci dicunt* ὀλύνθους. Addit Plauti autoritate Menæchm. Act. V. Sc. IX. retinendum *Lacte* casu nominandi. Veteres quidem *Lacte* pro *Lac* usurpasse cum Prisciano lib. VII. testatur Charisius, & Cledonius in Arte Grammatica, Enniique, Cæcilii, ac Varronis testimonio docet Nonius Marcellus. Qua ratione Q. Serenus cap. de Venenis in bibliotheca Eminentiss. Francisci Barberini MS optime, *Lacte asinæ placidaque*

dæque bonis prodesse loquuntur. Libri editi: *Lac asinæ*. Ideoque Illustrissimi Archiepiscopi Salisburgensis Paridis Lodroni, quem mihi nuper concessit humanissime, non plane damnandus in membranis Celsus, apud quem lib. II. cap. XXIX. *lacte*, quod ceteris *lac*. Quod sequiore etiam genere protulit Apuleii asinus Metamorph. lib. IIX: *Vini cadum, & lactem, & caseos dorso meo congerunt*. Verum locus Macrobii adhuc satis obscurus, nisi naturæ fortassis dictamine sic legatur: *Nec ignorandum est, ficum solam ex omnibus arboribus non florere, lacte proprio ficorum. Grossi appellantur fici, qui non maturescunt. Hos Græci dicunt ὀλύνθους*. Ficus nempe arborum sola non floret, cui lac proprium est. Grossi autem sunt, qui & Græcis ὄλυνθοι; non penitus maturescunt, velut autor Theophrastus de Caus. Plantar. lib. V. cap. I. Nullo proinde opus heic Plauti suffragio. Et sane *Lacte* recto casu si retinendum, hoc plane modo scribendum foret: *Nec ignorandum est, ficum solam ex omnibus arboribus non florere. Lacte proprie ficorum. Grossi*, & quæ sequuntur. Ita γάλα τῆς συκῆς, *lac fici* Anonymo de vita Alexandri, quem produxit Salmasius in Solinum: Plinio lib. V. cap. I. *lacteus succus*.

Siluatici papaueris] Dioscor. lib. IV. cap. LXV: *Papaueris succus oculorum inflammationibus cum oui luteo torto & croco proficit*. Autor videtur indicasse tertium genus, quod Agrestius Dioscoridi. Papaueris agrestis meminit Galenus de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. II. Quæcunque vero ex capitibus papaueris fiunt, repellere notauit idem Art. curat. ad Glauconem lib. I. cap. XV.

Capitum fit, non ex succo foliorum] Talis enim papaueris lacrima, quam Opium vocat Galenus de Antidot. lib. II. cap. VII. Meconium vero ex tota stirpe conficitur: quod opio longe ignauius censet Dioscorides lib. IV. cap. LXV. Infimæ sortis Indos orientales etiam ex succo foliorum papaueris viliorem opii speciem parare memorat Iacobus Bontius in Animaduers. ad cap. IV. Garciæ ab Orta.

Vt pigmentarii institores] Barthius legit, ut pigmentarii, institores. Marcellus habet, *ut institores*. At communi lectioni fauet, quam Romæ vidit Henricus Smetius apud Delphinium, vetus tabella:

FAVSTVS. PO. . . . . . .
INSTITOR. VNGVENT

Sic & Pigmentorum, qui vulgo appellatur *Drogista*. Pigmenta enim habentur inter medicamenta. Inde vetus Glossa: *Pigmentarius*, μυροπώλης, φαρμακοπώλης, καὶ μυρεψός. Huic suffragatur Fabius Planciades in expositione Sermonum antiquorum: *Myropolæ dicuntur, qui unguenta vendunt, ut sunt pigmentarii*. Talis apud Cicer. lib. XV. Ep. XVII. Arrius. De iis quoque Marcianus Iurisconsultus L. III. §. I. D. ad Leg. Corn. de Sic.

Eius rei] Barthius reponit *egregii*. Res autem toto hoc libro subinde medicamentum notat. Nihil igitur mutandum.

Compendii causa] Optime interpres Dioscoridis lib. III. cap. LV. *Compendii & quæstus gratia*.

Aqua pluuiatili,] Hæc enim optima Æginetæ lib. I. cap. L. & Oribas. Coll.

lib.

lib. v. cap. I. De qua Galen. in VI. Epidem. Comm. IV. Aphor. XIX: *oculorum medicamentis componendis adhibemus, & ex ipsa Aqueum vocatum medicamentum conficimus.* Addendum videtur ex Compos. XXIII. XXVII. XXIIX. & XXXIII. teritur; vel ex Marcelli cap. IIX, *infusum macerari debet.* Mihi vero levi interpunctione omnia sic plana: teritur; ante omnia crocum aqua pluviatili: deinde adiicitur sarcocolla; &c.

Eius generis aqua:] Nimirum pluviatili.

Inarescere.] Marcellus *inacescere.* Vox prior magis ad rem. Pigmenta nempe arida sunt.

His uti] Si libet subaudi, oportet. vel Marcellum sequutus scribe, utor: unde huic sententiæ lucem adferas licet: quanquam & ea satis clara hac interstinctiuncula: His utor primis diebus collyriis, non ceteris auxiliis, prout res postulat, abstinendo; dico sanguinis detractione: meliusque ea in ceteris proficere adfirmo. Marcellus cap. IIX: *Iis fere utor primis diebus collyriis, non sine ceteris auxiliis, prout res postulat, abstinentia dico, & sanguinis detractione, meliusque ea ceteris proficere adfirmo.* Quæ sine pleniora, modo pro *ea* scripseris *enim.* Nec minor deiectionis erit efficacia: quam Scribonius necessariam indicat Comp. CXXXV. Celsi enim verba sunt lib. VI. cap. VI: *Nonnulli, quum aliquamdiu nihil vidissent, repentina profusione alvi lumen receperunt. Quo minus alienum videtur, & recenti re, & interposito tempore, medicamentis quoque moliri deiectiones, quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellant.* Quod Hippocrates præmonuit lib. VI. Aphor. XVII. quo *lippientem alvi profluvio corripi bonum* adfirmat. Singulorum vero necessitatem pro caussæ varietate declarat Galenus ad lib. VI. Aphorismum XXXI.

XXIII.

Superius] Compos. XXI.

Facilius] Fluxio enim non ita acris, quemadmodum initio. Medicamentis etiam assueti nunc ea melius ferunt oculi, modo, ut vere monet, ulcus absit.

Φαιὸν] i. e. fuscum. Vid. Gal. de comp. med. sec. loc. lib. IV. cap. VI. Actuar. Meth. med. lib. VI. cap. V. qui monet ab aliis legi παιδικόν, hoc est *puerile.* nec male: siquidem Scribonius etiam collyriis levibus adnumerat. & Marcel. cap. IIX.

Stibii cocti] Quod hodie calcinatum dicimus. *Stibium* etiam *Stibi* Compos. XXVII. & XXXIV. quemadmodum στίβι & στίμμι Dioscoridi lib. V. cap. XCIX. qui notat sordes & ulcera oculorum purgare. Antimonium officinis refrigerat, siccat, & vehementer adstringit, teste Plinio lib. XXXIII. cap. VI. & Ægineta lib. VII. cap. III; nisi lotum, monente Tralliano lib. VI. cap. V. Ideoque in ocularia collyria miscetur, maximeque sicca, ex Gal. sententia de Simplic. fac. lib. IX. Vid. Æt. Tetrab. I. Serm. II. cap. LXXII. Galeni glossa Hippocratica τετράγωνον exponit. Savorius tamen non στίμμι, sed σῶμμα sive odorum genus tradidit. Priscis inter cosmetica fuisse non obscurum est IV. Reg. cap. IX. vers. XXX. Ierem. cap. IV. vers. XXX. & Ezech. cap. XXIII. vers. XL.

Licii] Lycii. Dioscor. lib. I. cap. CXXXII. λύκιον. Plin. lib. XII. cap. VII. *Lycion.* Lib. XXIV. cap. XIV. *Lycium.* & lib. V. cap. XXVII: *mare Lycium gensque Lycia.*

Lycium

Lycium vero leniter supprimit, autore Celso lib. I I X. cap. V I.

Quæ sunt durata diu, teruntur] Incisum verbo subiiciatur.

σποδιακὸν] hoc est cineritiũ, quod *Cinereum* appellatur Comp. XXVI. à cinere & spodio, ut est apud Ætium Tetr. II. Serm. III. cap. CIII. Σποδὸς enim cinis. Spodii vero meminit Galenus de simpl. facult. lib. IX. ubi fatetur se eius loco semper Pompholyge usum. Consule Dioscoridem lib. V. cap. LXXXV. Gulielmus Rondeletius Pharmacopol. Offic. de unguento Pompholygos notat Tuthiam esse nostram.

XXIV.

Collytium spodiacum à quibusdam cinereum dicitur.] Hæc tanquam otiosa dispungantur; quæ Marcellus etiam omisit. Certe lemmatis loco videntur à recentiori quodam adscripta.

Cadmiæ, botryitidos] Cadmiæ botryitidos. Qualiter Marcellus. Largus ipse Cadmiæ butrytis Comp. CCXX. ubi tamen magis probo scripturam, quæ heic seruatur. Dioscoridi enim lib. V. cap. LXXXIV. βοτρυίτις: nisi cum Celso lib. VI. cap. VI. legendum *botryodis*, veluti in omnibus libris scriptis & excusis. Rationem subdit Anazarbeus: ἔχουσα τὴν ἐπιφάνειαν βοτρυώδη: *habet superficiem racemosam*.

Cretæ Samiæ, quam vocant astera,] Celsus lib. VI. cap. VI: *cretæ Samiæ, quæ ἀστὴρ vocatur*. Quo modo apud Dioscor. lib. VI. cap. I. γῆ καλουμένη ἀστὴρ, interpres vertit; *Samia terra, quæ aster appellatur*. Qualiter & Plin. lib. XXXV. cap. XVI. De qua Dioscorides plenius lib. V. cap. CLXXII.

Commis Alexandrini] *Commi. i. e. gummi*, addit interpres Oribasii Collect. med. lib. XV. cap. I. Κόμμι enim vox peregrina Græcis recepta. Suidas: Κόμμι καὶ ὁ λιβανωτὸς, καὶ τὸ ἐξηραμμένον ὀπῶδες δάκρυον. Æmilius Portus vertit: *Gummi, Gumma, & ipsum thus, & succosa lacrima exsiccata*. Hoc è spina Ægyptia Theophrasti, cuius meminit ipse de Caus. Plant. lib. VI. cap. XIII, quam alii Arabicam dicunt, Salmasius putat manare. Vnde gummi acanthinum Marcello Burdegalensi cap. XIV. Nec dissentit de Acacia Dioscorides lib. I. cap. CXXXIV: *Manat & gummi ex ea spina. Vim habet adstrictoriam & refrigerantem. Succus conuenit ad oculorum affectus. Medicamentorum acrium, quibus admiscetur vires hebetat*. Rationem addit Prosper Alpinus de Plant. Ægypt. cap. IV. qui suis etiam vidit oculis. Itaque pigmentis prudenter additum. Herodoto autem Cedriam esse, qua condiebantur funera, censuit Petrus Bellonius de medic. fun. lib. II. cap. VI. Porro veteres librarios C in G facile mutasse notat Petrus Victorius Castigat. in Varronem, quemadmodum & G in C. Iul. Scaliger de caus. linguæ Lat. lib. I. cap. XXXI. Nonius Marcellus tradit *Cummi generis neutri, ut est usu monoptoton: tamen feminimum, cuius genitivus Cummis*. Qua ratione heic legendum foret Commis Alexandrinæ. Cui cognomen accessit, quia ex Ægypto in portum Alexandrinum conuehitur.

Facit hoc] scilicet Collyrium.

Purum ulcus] Quod non est sordidum, veluti Comp. XXV. & XXVI.

Tenuissimum.] i. e. aquatissimum. Comp. XXVI. Initio scribendum putabam:

oui

ouialbore. quod est tenuissimum. Sententiæ clausulam referens ad Collyrium. Rectius: Oui albo, quod est tenuissimum. Quam coniecturam mihi præter Comp. XXVII. Marcellus roborat. Illud autem omnium minime mordax tradit Actuar. meth. med. lib. VI. cap. V.

XXV.

[ἐσχάρας] Ἐσχάρα proprie locus, ubi focus struitur: Latinis *Arula*. Scholiastes Aristophanis: ἐσχάραν νῦν καλοῦμενον ἀρυλαν. Medicis crusta, quæ à ferro, seu medicamento adurente, itemque ulceribus sponte superuenit. Interpres Galeni de simpl. fac. lib. I. cap. XXIX. addidit: *Latini crustam vocant*. Ita Celsus lib. V. cap. XXVI. de curatione Erysipelatum: *Post ustionem putris ulceris, superponenda sunt, quæ crustas à viuo resoluant, eas ἐσχάρας Græci vocant.*

Æris] Idem præcipit Galenus de comp. med. sec. loc. lib. V. cap. VII. Hoc enim oculis utile.

XXVI.

Diasmyrnes.] Cornario Diasmyrnum collyrium apud Aetium Tetrab. II. Serm. III. cap. CIX. Collyrium ex myrrha Gal. de comp. med. sec. loca lib. V. cap. I. & Meth. med. lib. XIV. cap. XIX. Quod inuentum Democrati affirmat Victor Trincauellius curat. particul. lib. IV. cap. IV.

Quidam ἰωδὲς vocant, quia boni odoris est.] Sic etiam Marcellus. Hac tamen voce non semper gratus, sed interdum grauis validusque odor connotatur; quemadmodum post Gulielmum Rondeletium de Theriaca magna Io. Antonius Saracenus recte obseruauit in Dioscorid. lib. I. cap. XIII. & lib. II. cap. X. Hac ratione Ioannes Baptista Oliuus de Reconditis Calceolarii non temere Assam odoratam validi odoris, non suauis, interpretatur. Omnia enim odorata non esse grati odoris Theophrastus hist. plantar. lib. I. cap. XIX. satis ostendit, quando ἰωδίαν Apio tribuit, quod grauis potius est odoris, quam fragrantis. Itaque rationi minime absonum est Acopum ἰωδὲς Celsi lib. V. cap. XXIV. etiam annuente veteri codice Florentino, ut ut Robertus Constantinus in alio antiquo libro ἰκωδὲς obseruarit.

Et ad palpebrarum recentem, aut in corporibus tenuioribus aspritudinem.] Marcellus: *etiam in corp. ten. asprit.* Scribonius autem satis perspicuus, modo sic interpungatur: recentem, aut in corporibus tenuioribus, aspritudinem.

Cinereo] id est, Collyrio spodiaco. De quo Comp. XXIV. Huic affine Collyrium Tephrion apud Celsum lib. VI. cap. VI. Τέφριον Æt. Tetrab. II. Serm. III. cap. CIII.

Oui albo] Quod candidum interpreti Dioscoridis lib. II. cap. LV. ubi λευκὸν ᾠὸν *candidum crudum* exigit ad oculorum inflammationes.

Ex quo] Numquid etiam cocto, cui collyrium postea infarctum liquescit? quo modo myrrhæ oleum conficitur.

Sicca,] puta sine lacrimis.

Cum lacte] Quod Celsus etiam lib. VI. cap. VI. præcipit. Id enim dolorem

lenit. Strabo lib. xv. narrat lac vaccinum oculis elephantorum remedio esse, si eo perluantur.

Subiecto specillo,] De quo ad Comp. x. Σπαθομήλην vero innuit, specillum nempe latum spathæ forma. cuius heic maxime usus, quando palpebram præ cicatricum crassitie non licet inuertere. Galenus etiam de comp. med. sec. loca lib. iv. cap. i. ubi nullus medicamento locus, palpebræ aspetitatem κυαθίσκῳ τῆς μήλης concauo specilli deradere præcipit. Sic enim scribo. Pro quo Aldina editio σμύλης.

Componitur] Asclepias. Machaonis appellatur Galeno de comp. med. sec. loca lib. iv. cap. vii. ubi Ianus Cornarius notat collyrium quartam duntaxat omnium ponderum partem referre eorum, quæ Asclepias expressit. Quid autem refert? Scriptorum enim hæc est libertas, ut remedia suo instituto commodent.

Pompholygis] Hæc enim refrigerat, siccat, & adstringit. Dioscor. lib. v. cap. lxxxv. Oribas. Coll. med. lib. xiii.

Myrrhæ] Myrrha, μύρα, μύῤῥα, & Ionibus Σμύρνα Dioscoridi lib. i. cap. lxxiix. lacrima est arboris nascentis in Arabia, quæ spinæ Ægyptiæ non dissimilis. Petrus Teixera scriptor Hispanus de Regibus Persarum lib. i. cap. xxix. Arabibus Mumiam vulgo dictam refert. Forsitan quod ei plurimum conferat.

Nardi] Vide Diosc. lib. i. cap. vi. & vii. Plin. lib. xii. cap. ii. Nardinum collyrium ad instaurationem & corroborationem oculi profuisse constat ex Galeno de comp. med. sec. loca lib. iv. cap. ii. cuius generis quædam apud Æt. Tetrab. ii. Serm. iv. cap. cxiii. & Oribas. synops. lib. iii.

⁕ p. sex semis & victoriati,] Pro & lege *aut*. Item: ⁕ p. sex & semis. Victoriatus enim denarii dimidium efficit, ut supra indicaui. Melius forsan: ⁕ p. sex, & victoriati; sicut mox: ⁕ p. duum & victoriati. Et compos. xxxiv: ⁕ p. i. & victoriati.

Lapidis hæmatitis] Hæmatites à coloris similitudine nomen trahens, quod affrictus ad cotem, vel in pila tritus, sanguinolentum succum remittat, tantæ frigiditatis particeps, quantæ adstrictionis, autore Ætio Tetr. i. Serm. ii. cap. xiii. Dioscoridi tamen lib. v. cap. cxliv. adstringit, aliquantum calefacit, & extenuat. Cicatricem inducit, velut ex Galeno tradit Oribas. Coll. med. lib. xiv. Multum enim siccat, ut aspretudinibus oculorum conueniat, si absit inflammatio, cum aqua; si adsit, cum ouo, Æginetæ consilio lib. vii. cap. iii. seu verius cum oui candido diluto; aut potius fœnu græci decocto monitu Ætii, qui & utendi modum præcepit.

Piperis albi] quod aptum ocularibus remediis Dioscor. lib. ii. cap. clxxxiv.

Opii ⁕ p. i. aut victoriati,] Exigente compositionis artificio Ianus Cornarius ad Gal. de comp. med. sec. loca lib. iv. cap. vii. particulæ disiunctiuæ coniunctiuam & substituit. Hac enim ratione ceterarum rerum Denario ferme opii scripulum respondebit. More tamen solito ista legi poterunt: quandoquidem unius rei diuersum sæpiuscule usurpatur pondus, prout magis minusue efficax medicamentum desideratur, argumento Comp. xiv. c. cv. cxii. cxvii. cxxiv. cxxxv. Ne dicam quam prudens heic opii usus conueniat.

XXVII.

Collyrium Psittacinum] Sic etiam Galenus de Comp. med. sec. loca lib. IV. cap. VII. Cornario interprete; quod magistro Ψιττακοῦ: ubi & Herotis ophthalmici ὀ ψιττακῆς Psittaces proponitur. Sed legendum forsan *Psittace*. Ψιττάκη namque *Psittacus*; quod est apud Actuarium Meth. med. lib. VI. cap. V. interprete Iulio Alexandrino, Iani Cornarii exemplo in expositione memorati apud Galenum loci.

A colore] Qua etiam ratione smaragdinum emplastrum apud Celsum lib. V. cap. XIX.

Solutas cicatrices] Quas ἀρτὰς ἀναλυομένας dixit Galenus de compos. med. sec. loc. lib. IV. cap. VII. *resolutas* Cornarius interpretatur.

προπίπτειν] Suidas: προπίπτωσις ἐστιν, ὅταν ὀφθαλμὸς κινηθεὶς προπίπτῃ, *quum oculus motus procidit.*

Tenue.] i. e. quam liquidissimum, veluti comp. CVI.

Quasi sanguine suffusi] in Ophthalmia exquisita.

Recipit] Ianus Cornarius ad lib. Gal. nuper memorati cap. V. & VII. notat pondus heic imminutum, mutatum præterea ordinem. Apud Galenum sane pondus est duplicatum, additis gummi drachmis quatuor. Quid vero medicamento hinc discedit, si eius descriptio à Galenica nihil re discrepat?

Opii ✻ p. XI.] Ita compos. XXXI.

Eodem modo] Marcellus. *Eodem ordine.* Quod clarius quidem. Scribonius tamen quantitatem & formam innuit. Omnia vero plana, si legeris: Eodem modo quo scripta sunt in m. d. t. e. a. p.

Amylum] Huius descriptio lib. II. de Dynamidiis, qui Galeni putatur. Collyriis admisceri, quia leniter stringit, qui cum Galenicis extat, autor lib. de simpl. medic. perhibet.

Athenippo] Marcellus *Athenippio*. Quod non displicet, si collyrium fuerit Athenippi, cui nomen autoris indi potuit. Qua fortassis ratione Zopyros & Zopyrios apud Æginetam legitur. Galenus certe de comp. med. sec. loca lib. IV. cap. VII. ex Asclepiade Πάγχρηστον ἀθηνίππιον habet, ubi & Librum de Athenippis Asclepiis nominat.

XXIIX.

Acrioribus] Rectius apud Marcellum: *Acriore autem collyrio &c.* ostendunt sequentia, quod quia e. q. r. &c. quanquam ea Marcellus omiserit. Qui si præmisisset Scribonius, vulgata lectio iis quæ præcedunt optime responderet. Secus post *asperas* ex Marcello recte additur *utimur*.

Celeres effectus habet,] Ingeniosa proinde V. C. Balthasaris Bonifacii coniectura Plinius iunior, ut refert ipse lib. X. Ep. XVI. annuli aposphragisma quadrigam selegit, quæ literas celeriter perferendas indicaret.

Ἅρμα] Quadrigæ, de equis proprie. Guil. Canter. nou. lect. lib. I. cap. XIV. Collyrium Harmatium, id est currus, quo Ptolemæus Rex usus, facultate ex-

detergente præditum describitur à Galeno de comp. med. sec. loca lib. IV. cap. VII.

Thuris arboris] Obscure. Planius apud Marcellum *thureæ*. Plinius tamen cum Scribonio natur. histor. lib. XII. cap. XIV: *Nec præterea Arabum alii thuris arborem vident*. De qua ipse dubius admodum. Strabo lib. XVI. Nearcho autore prodit in insulis ante Euphratem arbores thus redolentes nasci, quarum radices fractæ succum effundant. Columella de re rust. lib. III. cap. IIX: *Pluribus locis urbis iam cassiam frondentem conspicimus, iam tuream plantam*. Cortex hic adstringit ex Gal. de compos. med. sec. loc. lib. IV. cap. IV. etiam plus quam thus ipsum, quod pauxillum subadstringit, monente eodem de simpl. fac. lib. VII. ubi addit summe siccare: quamuis Ægin. lib. VII. cap. III. credat gradu secundo completo id fieri, minusque acre, quam thus.

Ammoniaci guttæ] Ioan. Anton. Saracenus ad lib. I. cap. CXLI. Dioscoridis Guttam ammoniacam exponit ammoniacum tenue. Ammoniacum verò ferulæ succum, quæ in Africa iuxta Ammonis oraculum nascitur, Dioscorides lib. III. cap. XCIIX. tradit, detergendæ oculorum albugini. At guttam in pigmentis esse, non obscurum est ex Plinio Valeriano, qui postquam lib. II. cap. XXXVII. dixisset, *ammoniaci pulverem cum aceto teres*, mox subdit, *guttam tritam cum aceto, & pulverem thuris supermittes*.

XXIX.

Hoc] Quod sequitur collyrium?

Superunctum,] i. e. leviter ac superficie tenus unctum.

Inunctionem,] h. e. perunctionem.

περίχριστα] Sic omnes libri etiam Dioscorid. lib. I. cap. XCVII. quæ Ruellio & Cornario apud Æt. Tetr. II. Serm. IV. cap. XVI. *circumlitiones* imitatione Senecæ Ep. LXXXVII: quamuis alia mente. Verius περίχριστα, quæ circumlini apta. Dioscorides lib. I. cap. CXXXI. vocat ὀφθαλμικὰς περιχρίσεις, *oculorum circumlitiones* interprete Ruellio. Hoc modo Columella lib. VI. cap. XVII: *quotiescunque mel aliusue succus remediis adhibebitur, circumliniendus erit oculus pice liquida cum oleo, ne à muscis infestetur*. Sic de Cicuta Æmilius Macer bene:

> *Aestivas mire iuvat epiphoras oculorum,*
> *Si frons contritis foliis sit operta virentis,*
> *Vel si sint eius circumlita lumina succo.*

Marcellus cap. IIX: *Medicamentum Perichristarion Græcis, quo palpebræ subtiliter superlinuntur, ne quid intra oculum fluat*. Optime; si rescripseris περίχριστον. De quo intelligendus autor Introductionis Galeni nomine clarus cap. XIV. quando ait: *Oblinimus palpebras initio repellentibus*. Nec aliud significant ista Celsi lib. VI. cap. VI: *superinungi oculi debent*. & *specillo super oculum inducantur*. Item lib. VII. cap. VII. *superinungi collyrio debet*. His apud Celsum lib. V. cap. XXIV. affinia sunt ἔγχριστα *liquida quæ illinuntur*.

Croci Siculi.] Annon Cilicii? Quo etiam modo Plin. Valerianus lib. I. cap. XIII. Cilicia certe croci admodum est ferax. Hinc Ouidius in Ibin:

> *Nam neque quot flores Sicula nascantur in Hybla,*
> *Quotve ferat dicam terra Cilissa crocos.*

Sicu-

Siculum autem siue Centuripinum ceteris infirmius monet Dioscorides lib. I. cap. xxv. etiamsi *non infirmius* legendum putet Dominicus Cardullus de Theriaca. Sed aliam eius mentem hæc diserte ostendunt; ἀσθενὴς κατὰ δύναμιν; *infirmius viribus*, Ioanne Ruellio interprete; Ioan. Ant. Saraceno, *minus pollens viribus*. Hoc si tenuioribus pueris aptius censuerit Scribonius, non renuo.

XXX.

Thuris] *Thus* in veterum libris sine adspiratione scriptum, veluti monuit Charisius, qui lib. I. Institut. à tundendo deriuat. Quæ etiam ratio in Pandectis Florentinis MSS obseruatur; & in D. Germani vetere Lexico Latinograeco, Barnabæ Brissonio visa. Antiquiores tamen, e quorum numero Iulius Modestus, alio modo, quoniam à θύω deducunt, quod est immolare apud Varronem de re rustica lib. II. cap. IV. Idem repetit Seruius in I Georgicorum: *Sane tus modo sine adspiratione dicimus. Nam antiqui thus dicebant ἀπὸ τοῦ θύειν, quod Diis placit. Tura enim à tondendo dicta esse voluerunt à glebis tonsis, cum quibus dicitur fluens de arbore coalescere*. Ita libri vulgati. Rectius *à tundendo, & à glebis tunsis*. Calidum est ordine secundo, siccum primo; modice adstringens apud Ætium Tetr. I. Serm. I. Oribasio Synops. lib. II. cap. XXV. & Collect. lib. XI. suppurat.

Aluminis rotundi] id est, natura globosi. Quod enim tale est arte, improbat Dioscorides lib. V. cap. CXXIII.

Myrrhæ] In collyriis optima, cui opocalpasum est admixtum, quamuis hoc ipsum exitiale. Nam saniem sine mordacitate extenuat, interdum incipientes oculorum suffusiones, & adhuc tenues aufert, Galeno teste de Antidotis lib. I. cap. XI.

Vino Falerno] Plin. lib. XIV. cap. VI. de vinis generosis: *Secunda nobilitas Falerno agro erat*. Et: *Rhætica Falernis tantum posthabita à Virgilio*. Imo Falernum inter Italica vina principem locum obtinet iudicio Dioscoridis lib. V. cap. X. cui consentit Galenus de atten. vict. rat. cap. XII. qui & de succor. bonitate cap. XI. ait in primis dulce optimi esse succi. Nigrum fuisse indicat Martial. lib. IIX. Ep. LXXVII:

Candida nigrescant vetulo crystalla Falerno.

Passi Cretici] Huius etiam Galenus meminit de composit. med. sec. loca lib. IV. cap. VII. De quo Dioscorides lib. V. cap. IX: *Passum (vinum) uvis in cratibus sole siccatis, aut in ipso sarmento torrefactis exprimitur, Creticum cognomine*, γλυκὺς καλούμενος Κρητικός. Vinum proinde dulce merito pronunciat Hieronymus Mercurialis Var. lection. lib. I. cap. XVII. Dioscoridi ut cetera adstringit. Hoc ut ait Celsus lib. II. cap. XIIX, *quo ex ficciore uva est, & valentius est*. Inde Ludouicus Septalius vere in Aristot. Probl. XXVI. Sect. XXIII: *Vinum passum ex uvis passis expressis*. Plin. lib. XIV. cap. IX. *Passum à Cretico Cilicium probatur, & Afrum*. Quod autem ex musto ad tertiam decocto fieri docet Actuarius de urin. different. cap. IIX. Celso rectius *defrutum* est.

Stagnea] Malo stannea: qualiter Marcellus etiam cap. IIX. Sic toto libello vice *g* reponatur *n*. Qui error ex Italico forsan idiomate natus apud Plinium Vale-

Valerianum creber est, quamuis & Glossario veteri *Stagnea* Κασσιτέρινα. Stannum vero Græcis Κασσίτερος: non veluti Glossa, *Stagnum*, Κασσίτερον. Ita manifesto lapsu apud Marcellum cap. XXII: *in lamina stagnea scribe*. Publ. Veget. Art. Veterinar. lib. IV, cap. XI. pariter habet, *in vase stagneo*; quemadmodum Scribonius etiam Comp. CCLXIIX & CCLXIX. & Columella de re rust. lib. XII, cap. XLI. *in stagneo*: nisi legendum, *in stagnea*, veluti Compos. CCXXX: *Hæc puxis in ampliorem stagneam mittitur*. Palladius Rutilius de re rust. lib. VI. Tit. VII: *Duabus angustis regulis stagneis sicut forcipibus ipsos neruos apprehendunt*.

Si passum adiectum non erit] Hæc videntur ab aliena manu, nisi Marcelli exemplo particula negatiua fuerit demenda. Passi quidem autor antea mentionem fecit: sine quo tamen, nisi pulueris specie, collyrium non erit, velut ex sequenti Compositione manifestum est.

XXXI.

Augustus] Primus hoc nomine insignitus fuit Octauius, qui rectius Francisci Conani sententia Iur. ciuil. comment. lib. II. cap. XV. Octauianus adpellatur ex Dione lib. XLVI. Octauii nomine in cognomen verso; quemadmodum Antonius Augustinus accurate obseruauit Emendat. lib. III. cap. IIX. Nominis maiestatem Tacitus indicat Hist. lib. II. cap. LXXX: *Cæsarem & Augustum principatus vocabula refert*. Cæsaris hic nepos Cæsar post dictus, ut in M. Antonio Plutarchus autor.

Aluminis fissi] H. Steph. scissi.

Thuris candidi] Marcellus posteriorem vocem omisit non temere hoc loco additam. Tale namque thus Arabicum, Indicum veluti subfuluum & liuidum, ex Dioscor. lib. I. cap. LXXXI. Quod vero legitur autumno ex æstiuo partu, est purissimum, candidum, Plinio teste lib. XII. cap. XIV.

Plantaginis] Ob moderatam siccandi & refrigerandi vim Æginet. lib. VII. cap. III.

Vino Falerno] Verba hæc, quemadmodum in præcedenti compositione hoc modo constituantur: Vino Falerno teruntur; quum leuia facta sunt, & spissitudinem mellis habent, adiicitur passi sextarius, aut hemina. Vid. Compos. XXVII.

Aut rursus] Et rursus.

Stagneo] Sic Pub. Vegetius Artis Veterin. lib. I. cap. XVI. & lib. IV. cap. XI. XIII. Malim stanneo. Hunc locum si vidisset Lazarus Baysius, antiquis eiusmodi vasa non existimasset musitata.

XXXII.

Collyrium psoricum ad caliginem,] Tituli loco scribe: Collyrium psoricum. Hinc subde: Ad caliginem & ad aspritudinem o. s. p. s. t. q. ξ. appellant, facit hoc collyrium b. q. P. d.

Siccamque perturbationem] Actuario Meth. med. lib. II. cap. VII. *Perturbatio est, quum oculus ex compressione, aut attritu, aut mora in fumo, vel id genus*

alio

alio offendente, conturbatus conspicitur. Introductionis autor sub nomine Galeni cap. xv. breuiter: *quum oculus leuiter ac mediocriter commotus tandem rubicundior euadit.* Sed & *oculos suffusio modica turbat.* Senec. Ep. LXXXVI. Qua ratione Hermolaus Barbarus in Glossemat. Plinianis bene: *nec tument, nec fluunt oculi, sed grauescunt.*

Sine tumore,] Nulla enim subest humoris fluxio.

ζηροφθαλμίαν] *ξηροφθαλμίαν*, ut Cels. lib. VI. cap. VI: *cui lippitudo arida;* aliis ophthalmia sicca; in qua oculus citra humoris effluxum ac tumorem ægre & cum dolore mouetur. Actuario lib. VI. cap. V. Meth. *sicca & scabra lippitudo.* Isagoges tamen cap. XV. additur, *lacrimam salsam & nitrosam profluere:* qua Horatius temperamento biliosus vexabatur. Huius meminit Hippocr. de aere, aq. & loc. Aristotel. Sect. I. Probl. XII. Galenus item in Aphor. XIII. Sect. III. quæ eiusdem consilio in Aphor. XXXI. lib. VI. balneo moderataque meri potione tollitur: Differt à Psorophthalmia, quæ est scabiosa lippitudo, & pruriginosus palpebræ sensus à salsa pituita, monitu Actuarii Meth. med. lib. II. cap. VII. Lippitudo autem dura, & lippitudo sicca, communes palpebrarum & ipsius oculi sunt affectiones apud Ær. Tetr. II. Serm. III. cap. II.

Psoricon] Ita Plin. lib. XXXIV. cap. XII. Æt. Tetrab. II. Serm. IV. cap. CIX. *ψωρικὸν* Diosc. lib. V. cap. CXVI. Qualiter H. Stephanus etiam Scribonium edidit.

Croci * pon. XII.] Sic etiam Marcellus cap. IIX. Galenus pariter de comp. med. sec. loc. lib. IV. cap. VII. in Croceo Antigoni ad spodium Cyprium croci dimidium habet; itemque in Euemeri psorico.

Psorici * p. XXIV.] Rectius, ut apud Marcellum, * XIV. Nam & x sine transuersa linea est Denarii ponderis nota. Quod imperitis librariis nõ raro imposuit.

Commis * p. VI.] * p. II. Marcel. Psoricon vero ad scabras oculorum affectiones commendat Actuar. Meth. med. lib. VI. cap. V. ubi affirmat, *neque simplex quidpiam esse, neque sponte natum, sed habere quandam præparandi rationem.* De qua Dioscorides lib. V. cap. CXVI: *Fit ex chalcite medicamentum, quod psoricon vocant, duabus eius partibus cum una cadmiæ additis, & ex aceto tritis.* Lithargyrum etiam admisceri perhibet Galenus de simpl. fac. lib. IX. qui de Compos. med. sec. loc. lib. IV. cap. IV. Dioscoridem aduocat. Eius rationem accurate Celsus lib. VI. cap. VI. declarauit: *Nulla per se materia est, quæ Psoricum nominatur, sed chalcitidis aliquid & cadmiæ dimidio plus ex aceto simul conteruntur. Idque in vas fictile additum & contectum ficulneis foliis sub terra reponitur, sublatumque post viginti dies rursus teritur, & sic appellatur.*

Psimmithii] id est cerussæ, interpreti Dioscoridis lib. V. cap. CIII. ex Plin. lib. XXXIV. cap. XIIX. quo etiam modo Leonardus Fuchsius in Nicol. Myrepf. de Antidot. Sect. I. cap. LXIX. item Ianus Cornarius ad Ægin. lib. VII. cap. III. & Æmilius Portus apud Suidam, cui *ψιμμίθιον χρῶμα ἑταιρικὸν, color meretricius seu fucatus.*

XXXIII.

Stratioticum collyrium] Stratiotæ collyrium Ær. Tetr. II. Serm. IV. cap. CX. Heraclides librum inscripsit Stratioten, hoc est militem, ut refert Galenus de

comp.

comp. medic. sec. genera lib. IV. cap. VII. Numquid hoc stratioticum, quia militæ probatum, aut à milite excogitatum. Cuiusmodi hodie multa.

Omphacij] Dioscor. lib. V. cap. VI. *Ὀμφάκιον est succus uvæ acerbæ nondum maturescentis.* De quo Plin. lib. XIII. cap. XXVII. & lib. XIV. cap. XVI. Inde glossa vetus: *uva acerba*, ἡ ὄμφαξ, genere muliebri, monente Phrynicho Ecloga dictionum Attic. Qualiter ex Diosc. lib. V. cap. XXXI. Suidas: *ὀμφακίαν, ὠμόν, καὶ σκληρόν. Acerbum, crudum & durum*, in Acharnensibus Aristoph. uva etiam pubescens ὀμφακίζουσα Salmasio in Solinum.

Opobalsami] Dioscor. lib. I. cap. XIIX. de Balsamo: *Æstiuis sub ortu canis ardoribus, arbor unguibus ferreis inciditur, manatque è plaga succus; quem Opobalsamum vocant.* Addit Plin. lib. XII. cap. XXV: *Suauitatis eximiæ, sed tenui gutta ploratu, lanis parua colligitur in cornua.* Rectius forsan, *tenui guttæ ploratu l. p. c. i. c.* Nec male Dalechampius, *tenuis guttæ ploratu*. Membranæ verò D. Antonij Veneti is perperam: *lacunis peruia*, quod in melioribus libris, *lanis parua c. i. c.* Liber Vaticanus, & editio Veneta anni MCCCCLXIIX: *Sed tenui gutta ploratu lacrimis parua colligitur in cornua.* Non usque male, si alterutram vocem interpretamentum agnouerimus. Postrema editione dilucidior est sola interpunctione Clarissimi Rocchi Fidelis Cornianij Veneti IC. liber, Ioannis Mirandulæ Ducis impensis in membranis elegantissime scriptus, cui similis ubique Plinius, qui anno MCCCCLXXII. Venetiis prodiit: *eximiæ suauitatis, sed tenui gutta, ploratu lanis parua colligitur in cornua.* Strabo in hanc rem luculentius lib. XVI. ubi de Syria: *Ibi & Balsami Paradisus, quæ planta aromatica est fruticosa cytiso & terebintho persimilis. Huius corticem scindentes succum in vasis suscipiunt tenaci lacti persimilem. Susceptus autem in conchis coagulatur.* Mense Augusto id fieri obseruauit Villamontius Hodœporici Orient. lib. III. cap. XIII; Decembri Ioannes Tucherus Noribergensis, qui Anno MCCCCLXXIX. quadringentas prope stirpes vidit in horto Ægypti Mataaria, quarum ne minimum quidem superest hodie vestigium. Sed neque in Palæstina: etiamsi Plinius lib. XII. cap. XXV. adfirmat *balsamum uni terrarum Iudææ concessum, quondam in duobus tantum hortis, utroque regio.* Vberiorem nihilominus ipsius apud Iudæos postea prouentum indicat Iustinus lib. XXXVI: *Opes genti ex vectigalibus opobalsami creuere, quod in his regionibus gignitur. Est namque vallis, quæ continuis montibus, velut muro quodam, adinstar castrorum clauditur. In ea silua est & ubertate & amœnitate insignis: siquidem palmeto & opobalsamo distinguitur. Arbores Opobalsami formam similem piceis arboribus habent, nisi quod sint humiles magis, & in vinearum morem excoluntur. Hæc certo anni tempore balsamum sudant.* Victorinus Strigelius heic mendum suspicatus legendum censuit: *Viginti iugerum Hierichus dicitur.* At Salmasius longe melius: *Spatium loci ducentûm iugerum Iericus dicitur.* Virum namque eruditum decepit forsan Plinius, dum ait: *alterum hortum iugerum XX. non amplius.* Verum subdit: *scritque nunc eam fiscus: nec unquam fuit numerosior, aut procerior.* Addit etiam Solinus cap. XXXV: *Silua intra terminos viginti iugerum usque ad victoriam nostram fuit: at cum Iudæa potiti sumus, ita luci illi propagati sunt, ut iam nobis latissimi colles sudent balsama.* Quod ex Strabone clarissime confecit ad hunc locum Salmasius, quem videre pretium est operæ. Dioscoridis

ridis obseruatione *tam paucum exstillat, ut quotannis vix plures quam seni septenive congii colligantur; imbique pondus argento duplo dependitur*. Eius tamen apud Romanos non exiguam fuisse copiam, vel indicio est Pallad. de re rust. lib. IV. Tit. IX. quando consulit semina eo rigare. Nec dubium, quin legitimum adhuc reperiatur. Quod Prosper Alpinus de Plant. Ægypt. cap. XIV. & libello de Balsamo plane ostendit. Immo reuersus in Italiam aliquamdiu plantam florentem habuit. Sed nec ambigua nobis eorum fides, qui ante & post ipsum in Ægypto suis usurparunt oculis viri omni assensione digni, Petrus Bellonius, & Villamontius. Busbequius præterea Ferdinandi I. Imperatoris ad Solimannum legatus Constantinopoli attulit. Vidit etiam Veslingius Cayrum aduectos eius fasces integros. Sed & in horto Illustrissimi Dominici Mori ad Brentam fluvium, qua Patauio Venetias tenditur, Ioannes Maria Daniorus diligentissimus pariter ac peritissimus ῥιζοτόμος quinque frutices læte surgentes monstrauit, quorum tenacibus foliis liquor expressus fragrantissimi fuit odoris. Quem nec dissimulauit Honorius Bellus ad Carolum Clusium, Cydone Cretæ misso una balsami semine. In horto Pisano pariter balsamum nostris temporibus è semine succreuit. Adeo certum Columellæ illud lib. III. cap. IIX: *Curæ mortalium obsequentissimam esse Italiam, quæ pene totius orbis fruges adhibito studio colonorum ferre didicerit*. Nulla igitur naturæ iniuria nobis deest, sed eorum socordia, qui stirpem negligentius colunt, quod lucri notabilem spem nullam faciat: secus quam saccharum, quod à paucis nunc annis Ægyptus etiam transmittit Italiæ ceterisque Europeis. Nec auarior ei foret benigna parens, modo balsami succum medici à seplasiariis impensius exigerent. Mortalium quoque auaritia, ne dicam inuidia, minorem eius prouentum declarat Strabo lib. XVII: *Nonnulli ut reditus augerent, Iudaicam versutiam adhibuerunt. Non enim permittunt multis in locis nasci. Quo fit ut raritati pretium imponentes reditum quidem augeant, communi vero usui damnum adferant*. Etsi vero minori copia in Italiam deportetur, vixque sincerus, quum & Galeni temporibus adulteratum vel inde constet, quod lib. de Antidot. I. cap. I. & XIII. veri dignoscendi causa se in Iudæam nauigasse scribit: verum tamen esse balsami liquorem, quem Venetiis conspeximus, certis constat experimentis. Etenim quod germanum, si instillatur, tenacitate sua inhærens laneæ vesti, quando eluitur, non relinquit maculam, veluti oleis à Plinio memoratis vitiatum, quorum est, quod succus iis mixtus sese latius insinuet. Nec sane, quod Latinus Dioscoridis interpres indicat, lac ipsum coagulat; sed verius densat. Hoc enim Dioscoridi significat πήγνυσι. Quod breuiter ostendisse placuit, missis in diuersum nuper scissis Italiæ medicis ac pharmacopœis; quorum contentiones quanti fuerint, eruditissimus Veslingius pridem veri balsami vindiciis palam fecit. Balsami humorem appellauit Cornel. Tacitus Histor. lib. V. cap. VI. Nec male. Verba enim Theophrasti sunt lib. IX. hist. plant. cap. I: Ἡ ὑγρότης ἡ οἰκεία τῶν φυτῶν, ἣν δὴ καλοῦσί τινες ὀπὸν ὀνόματι κοινῷ. &c. τῶν μὲν πάχος ἔχει μόνον ὥσπερ τῶν ὀπωδῶν. τῶν δὲ καὶ δακρυώδης γίνεται, καθάπερ ἐλάτης, πεύκης, &c. ἔτι δὲ ἀφ᾽ ὧν ὁ λίβανος, καὶ ἡ σμύρνα, καὶ τὸ βάλσαμον. *Humor proprius plantarum, quem nonnulli succum appellant nomine communi &c. in quibusdam crassitudinem tantum habet, ut lactuosis; quibusdam etiam in lacrimæ modum gignitur, ut abieti, pi-*

no, &c. *E quibus etiam thus, & myrrha, & balsamum*. Opobalsamum itaque balsami liquor est, ut ur Iustinus arborem intelligit, veluti Balsami appellatione fucum. De cuius confectione & examine præter Dioscoridem Nicolaus Myrepsus Sect. xxxvii. cap. xliii. & xliv. Illud vero nequicquam omittendum, quod Baldus Baldus celebris quondam Romanæ curiæ medicus Opobalsami Propugnatione Tertia monuit, veteribus non innotuisse Opobalsamum Arabicum, quod optimum, sed Iudaicum & Ægyptium.

Pluviali] Omnes libri. H. Steph. pluviatili.

Ad caliginem] Abstergit enim quæ tenebras oculorum pupillis offundunt, inquit Dioscorides: partium quippe tenuium Oribasio teste Synops. lib. ii. cap. xxii.

XXXIV.

Stacton,] *σακτικὸν* Profechii Æginetæ lib. vii. cap. xvi. *Ἐνστακτον* Aetio Tetr. ii. Serm. ii. cap. cxi. ubi Cornarius interpres addidit *instillatitium*. De quo etiam Galenus de comp. med. sec. loca lib. iv. cap. vii. Hoc modo pro *Stracta* forsan scribendum *Stacta* in Pub. Veger. art. veterin. lib. ii. cap. xlv.

Mulieribus prodest] quæ corpore tenuiore, & delicatiores.

Mysis usti] id est, cocti Cels. lib. vi. cap. xix. qui lib. v. cap. xix. etiam crudum proposuit. Vulgo quidem ignotum: in Ilua tamen insula reperitur. Cuius mihi copiam fecit bonæ memoriæ Clarissimus Ioannes Baptista Soncinus Patricius Brixiensis, primus Pisani Athenæi medicus ingenio ceterisque animi dotibus cum maximis comparandus.

Æruginis rasæ] *Rasilis* interpres Dioscoridis lib. v. cap. xci: Vulgo *viride æris*. De qua Plin. lib. xxxiv. cap. xi. apud quem cap. xv. Achilles eam decutiens gladio pingitur, dum Telephi vulnus curat.

Æris floris] id est squamæ ex ære fuso, & in alios fornaces translato flatu crebriore excussæ, ut docuit Plin. lib. xxxiv. cap. xi. quas etiam ex regulis æreis decussas ad Solinum Salmasius prodit. Hippocrati de Morbis lib. ii. *Ἄνθος* simpliciter, ut Dioscoridi lib. v. cap. lxxxviii. *χαλκοῦ ἄνθος*. Tenuiorum est partium, quam eius squama, Galeni sententia lib. ix. de Simpl. facult.

XXXV.

Et quamuis] *Et* redundat: nisi pro *etiam* accipiendum.

Vri, diu] Scribe: uti. Diu enim tenet. *Accipit* ammoniaci guttæ. Marcellus bene subdit, ne oratio sit hiulca. Scribonius vero aquatum postulat, ne humores trahat, ut Comp. xxxiix. aduertit. Quod facile contingit, si diu hæreat.

XXXVI.

Subiicere specillum,] Vid. Comp. xxvi. xxxvii.

Palpebram: æris] palpebram. Recipit æris &c. Marcel.

Nardi spicæ] id est, caules, qui Salmasii ad Solinum iudicio sic vocantur, quia tenues admodum, & sine aristis. Galenus autem lib. i. de Antidot. & ix.

de

de comp. med. sec. loca hoc nomine radicis nucleum intelligit à figuræ similitudine. Vterque satis concinne.

Casiæ rufæ fistularum] Ald. Cassiæ. Etiam recte Casiæ. Virgil. Bucol. Ecl. II:

Tum casia atque aliis intexens suauibus herbis.

Et Martial. lib. x. Ep. XCVII. *casiam flebilis uxor emit*. Galeno etiam de Ther. ad Pisonem cap. XII. Κασία, etiamsi Dioscotidi quoque MS. lib. I. cap. XII. Κασσία. *Casiæ fistulæ* Pallad. Rutil. lib. XI. Tit. XIV. ut *Casia fistulæ*. Plin. Valerian. lib. II. cap. XXXVII. qui fortassis ad Palladii normam redigendus, nisi apud Galenum Κασία σύριγξ, & apud Actuarium esset σύριγξ τῆς κασσίας, qui Meth. med. lib. V. cap. II. fistulosum casiæ fructum accurate describit. Dioscotidi loco memorato Σύριγξ: Nicolao Myrepso de Antidot. Sect. I. cap. III. Casia simpliciter, quæ Κασίας φίσυλα cap. II. in Græco MS. diuersa omnino ab ea, quæ σύριγξ vocatur; qualem heic innuit Scribonius, & Myrepsi Κασίλα est cap. XXXVII. ut Fuchsius vere ad hunc locum aduertit contra Arabes & Græcos posteriores, qui Cinnamomum putant: quod ab ea differre notum est diligenti obseruatione Plinii lib. XII. cap. XIX. itemque Galeni de Antidot. lib. I. cap. XIV: ubi & Casiam in ligata oratione, in soluta *fistulæ* adiectione usurpatam significat. Nec dispar Hermolai Barbari, & Marcelli Vergilii ad Dioscoridem sententia. Cui concedit Ioannes Manardus in Mesuen lib. II. cap. VI: Casiam nempe fistulam veterum, atque Arabum discrepare. Hanc autem Scribonio laudatam conducere ad medicamenta oculorum, quæ claritatis gratia concinnantur, diserte tradit Dioscorides. Quod & veteris MS fide meoque experimento cinnamomum ieiunis leuiter mansum præstat.

XXXVII.

σύκωσιν] Celsus lib. VI. cap. III: *Vlcus est, quod à fici similitudine σύκωσις à Græcis nominatur: caro excrescit*. Erudite hanc in rem Iul. Pollux lib. II. cap. IV. num. XI: Ἀριστοφάνης σῦκα τὰ ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἕλκη λέγει. *Aristophanes oculorum ulcera Ficus vocat*. Aspritudinis nempe palpebræ intensio cum incisutis Æginet. lib. III. cap. XXII. à similitudine fici, Actuar. lib. II. cap. VII. Methodi. Vnde Ætio Tetr. I. Serm. II. cap. CXC. ex Galeno de simpl. facult. lib. IX. vere magna palpebræ aspritudo. Quænam vero fici accedit similitudo: nisi gemmæ primum in ficu erumpentis speciem repræsentet? At Celso ulcus est; quamuis & verius tumor fuerit, sed ulceri iunctus.

Hygram] Sic legendum indicat autor ipse hac & proxima compositione: quidquid vir doctus de Hydra diuinauit. ὑγρὸς enim liquidum significat. Diosc. lib. I. cap. XCVI. ὑγρὰ πίσσα, *liquida pix*. Plinius etiam lib. XXXIV. cap. XV. Hygremplastrum describit. Qua ratione Petro Ruellio in Nomenclat. rei veterin. Hygra liquidum emplastrum sonat.

Mysios] Misyos. Dioscoridi lib. V. cap. CXVII. Μίσυ, quod Cyprium, & Ægyptium nominatur: hoc vero ad medicamenta ocularia longe inferius altero; quod Salmasius in Solinum affirmat esse Vitriolum Romanum lutei coloris. Quidquid sit, vitrio'um ustum huius loco sufficere, autor est Rodericus à Castro de morbis mulier. lib. II. cap. XXV. Tenuiorum partium, quam est chalcitis, notat Ga-

len. de simpl. facult. lib. IX; minus mordax, & ficcius Ferrantes Imperatus Hist. natur. lib. XIII, cap. XV.

Chalcitis] Ita Comp. XXXVII. XLVII. CCXL. CCXLI. & Plin. lib. XXXIV. cap. XII. hoc modo usus. Chalcitidis Compos. CCIIX. CCXXIII. CCXXVI. CCXXVII. CCXXXI. CCXXXIX. Dioscorides lib. V. cap. CXV. eius dotes percenset, rem non explicat. Plinius lib. XXIV. cap. XII. melius: *Chalcitin vocant lapidem, ex quo & ipsum æs coquitur*. Hac fortassis mente Salmasius in Solinum scribit arenam, ex qua æs fundebatur. Chalcitin porro ex chalcantho sponte natam prodit Galenus. Adde, si libet, Andream Cæsalpinum de Metallicis lib. I. cap. XXIII.

Pyxide] Libri omnes. Ruell. puxide.

Ad delacrimationem, id est ubi desierit mordere medicamen,] Sententia heic obscura. Malo cum Marcello: ad delacrimationem; & ubi desierit mordere medicamen, rursus invertere oportet palpebram, &c. Sic enim ratio postulat. Plinius etiam lib. XXXIV. cap. XI. ait æruginis vim aptissimam delacrimationibus. Quo faciunt Apodacrytica, id est, delacrimatiua & repellentia Galeno de comp. med. sec. loca lib. IV. cap. V. cuius verba parum caute traducta in Actuar. lib. VI. cap. V. meth. med. Marcello Burdigalensi cap. IIX. Delacrimatoria.

Membranas innatantes] M. Aurelius Seuerinus vir doctissimus literis monuit humanissimis crustulas sibi videri ex humore crassiori concretas; quales in aphthis & tonsillarum ulceribus apparent. Cui facile subscribo.

Hoc inunctum] Ad maiorem euidentiam hæc ita digerantur: *Hoc à quibusdam ocalariorum inunctum multorum annorum callos*; & quæ sequuntur. Singulorum autem morborum olim peculiares fuisse medicos, indicat Herodotus lib. II. qui Euterpe inscribitur: ἔθος εἶναι παρὰ Αἰγυπτίοις, τοὺς μὲν ὀφθαλμῶν ἰατροὺς καταστῆναι, τοὺς δὲ κεφαλῆς, τοὺς δὲ ὀδόντων, οἱ δὲ κατὰ νηδὺν, οἱ δὲ ἀφανέων νούσων. *Apud Aegyptios mos fuit, alios oculorum medicos habere, alios capitis, alios dentium, alios alui, alios morborum occultorum*. Sed & apud Græcos ac Romanos. Galenus enim de Sanitate tuenda ad Thrasybulum cap. XXIV. *Auricularios & Dentarios* nominat. Ocularii apud eundem de compos. med. sec. loca lib. III. cap. I. & lib. IV. cap. VI. & VII. nominatim occurrunt Capito, Hermias, Heros, Sergius, Paccius, Gallio, Gaius, Stolus Britannicus, Zoilus. Nec immerito, quandoquidem nulla corporis pars tot vitiis obnoxia: ut nonnulli supra centum & viginti distinctas eorum affectiones obseruarint. Talis Atimetus Comp. CXX. & Euelpides, quem sua ætate maximum fuisse medicum ocularium scribit Celsus lib. VI, cap. VI. Ex veteri monumento Fuluii Vrsini & Iani Gruteri diligentia SILICIVS. MEDICVS. AB. OCVLIS innotuit; ex lapide similiter, qui Stabiæ est, CN. HELVIVS. CN. L. IOLA MEDICVS OCVLARIVS apud Petrum la Seina Nepenth. Homer. Par. IV. Huius etiam generis in pago Insula nono ab urbe Vicetia lapide vetus inscriptio urnæ è viuo saxo mille prope libras pendente, oris ad imum undique æqualibus capacissimæ, quinum nempe cubitorum ambitu, altera facie conspicitur. Quum fundamenta ædis Anno MDCXII. locarentur, eruta, ac in aream archipresbyteri traducta, fundo perforato hactenus aquarioli vice negligentius habita fuit. Eam nondum vulgatam curiosis exactius delineasse pretium fuit. Lapideus huic æqualis amplitudine conspicitur in cœmeterio limbus: quo veluti margine fortassis aptatum erat monumenti operculum.

Ipsos



Ipsos initio à medicis minimè separatos, quamuis Galeni ætate ex lib. vi. Meth. med. cap. postr. secus factum, publicis honoribus perfunctos indicat monumentum, quod olim Veronæ apud D. Ioannem in Valle.

P. NVMITORIVS. P. L. ASCLEPIADES
IIIIII. VIR. MEDICVS. OCVLAR. SIBI. ET
SEMPRONIAI. L. F. GALLAI. VXORI
TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT

Sic Grutero quidem ex Onuphrii Panuinii Schedis tradidit Scultetus, qui etiam vidit. Nostra vero ætate hoc ipsum in lapide tenero iam longa vetustate indurato Veronæ apud Venerios in via Curriculi tale conspicitur.

P. NVMITORIVS. P. L. ASCLEPIADES
IIIIII VIR. MEDICVS. OCVLAR. SIBI
ET. SEMPRONIAI. L. F. CAILIAI
VXORI. TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT

Rem quoque insigniter fecisse, documento est vetus inscriptio, Henrico Smetio Assisii apud Poliatrum visa, Hieronymo Mercuriali Romæ, digna quæ exscribatur.

P. DECIMIVS. P. L. EROS
MERVLA. MEDICVS
CLINICVS. CHIRVRGVS
OCVLARIVS. VI. VIR
HIC. PRO. LIBERTATE. DEDIT. HS. IↃↃↃ
HIC. PRO. SEVIRATV. IN. REM. P
DEDIT. HS. ∞ ∞
HIC. IN. STATVAS. PONENDAS. IN
AEDEM. HERCVLIS. DEDIT. HS ⴲⴲⴲ
HIC. IN. VIAS. STERNENDAS. IN
PVBLICVM. DEDIT. HS. ⴲⴲⴲ IↃↃ ∞ ∞
HIC. PRIDIE. QVAM. MORTVVS. EST
RELIQVIT. PATRIMONI
HS. ∞ ⴲⴲ

Vbi

Vbi Mercurialis Var. lect. lib. III. cap. XXII. legit HEROS. qui Galeno ptidem nominatus. Ea vero nota Iosephus Scaliger decem millia intelligit. Cetera quibusuis obuia. Nec infimo fuisse loco, testantur monumenta prisca, quibus Nicomedes Medicus ocularius V I vir, P. Numitorius P. L. Asclepiades æque celebratur. Huius generis plures nostro seculo inter populos Orientales, maximeque in magna Memphi; ubi via nullis strata silicibus puluere nitroso & acri oculos grauiter infestat. Aliorum quoque morborum perhibet Prosper Alpinus de Medicina Ægypt. lib. I. cap. I. Profligata vero apud Europeos barbarie, postquam Philosophia in Medicinam introducta, medici omne quidem genus morbi curant, etiam manu: quod tamen est illiberale, chirurgis relinquunt.

XXXIIX.

ὑποχύματα] Actuarius Meth. med. lib. II. cap. VII. curiose: *Γλαύκωμα & ὑπόχυμα quidam unum idemque vitium esse dixerunt: alii, qui rem accuratius expendunt, rectius inter se distinxerunt; & Γλαύκωμα glacialis humoris vitium, quum ab humiditate qualibet in glaucum colorem mutatur; ὑπόχυμα vero humoris cuiusdam affusionem, qui inter corneam tunicam & humorem glacialem concrescit, esse adserunt.* Humor autem glacialis Rufo Ephesio de Appellationib. part. hum. corp. lib. I. cap. III. vitreus dicitur. Galeno Meth. med. lib. II. cap. VI. Hypochyma totius oculi, ut instrumenti, nullius similarium, morbus est: qui lib. XIV. cap. XIII. tumoribus roro genere præter naturam constitutis accenset. Introductionis Autor i cap. XV. *Glaucosis pupillæ vitium, in quo, humore crystallino in aqueum mutato, visus impeditur.*

Fœniculi succi] Qui ex caule foliisque exprimitur; etiam semine viridi, ramulisque & radicibus prima germinatione incisis extrahitur, autore Dioscoride lib. III. cap. LXXXI.

Hyænæ fellis] Hyænam veterum indole & figura, partiumque genitalium similitudine Ciuettam putat Petrus Bellonius Obseruat. lib. II. cap. XX. Salmasius vero in Solinum recte animaduertit Ciuettam felis speciem, Hyænam Inpi. Accuratam huius animalis descriptionem celeberrimus vir Petrus Castellus libello peculiari prodidit. Athenæo etiam Deipn. lib. VII. Hyæna piscis est. Fel autem Hyænæ ceteris præfertur à Dioscoride lib. II. cap. XCVI. & Aet. Tetr. I. Serm. II. cap. CVI. Galenus etiam de simpl. facult. lib. X. scribit oculis utile. Nam visum acuit, & discutit suffusiones ex melle inunctum, eodem teste cap. IX. de Ther. ad Pisonem. Et quidem ophthalmica præcipue humida ex eo fieri tradit Introductionis autor cap. XIV. Addit Plin. lib. XXIIX. cap. IIX. *caligines discutit & suffusiones illitum frontibus.*

Euforbii] Euphorbii, id est, succi, quem patiter ac stirpem denotat. Diosc. lib. III. cap. XCVI. Εὐφόρβιον. Plin. lib. XXV. cap. VII. *Euphorbium.* Dioscoridi arbor Libyca ferulæ speciem referens; cuius succus illitus suffusiones discutit; Plinio lib. V. cap. I. herba, ab inuentore Iuba medico sui nomine appellata; qui lib. XXV. cap. VII. ait foliis acanthinis, meritus Galeni suffragium de comp. med. sec. loca lib. IX. cap. IV. consentiente Dodonæo Stirp. hist. Pempt. III. lib. II. cap. XXI. Adolpho Vorstio celeberrimo horti medici præfecto Lugduni Batauorum

rum Anno cIɔ Iɔc xxxIII. cerei effigie floruit. Gaspar Hofmannus de medicam. Offic. lib. I. cap. XIV. nostrum Euphorbium Tithymali succum opinatur.

Hoc, oleo diluitur,] Hoc oleo diluitur, e. i. c. c. Nam succus bic est acerrimus, monente Dioscoride. Quod nec autor omisit. Acribus vero medicamentis inungere expedit, autore Celso lib. VI. cap. VI.

Quamobrem] Cautela notatione digna.

Vt aquam bibant,] sc. oportebit.

Si perseueranter aquam potauerint,] Ægineta quoque lib. III. cap. XXII. ex Rufo præcipit, aquam bibere per omnem victum, & cibis uti attenuantibus. Victus enim optimus est, qui pituitam extenuat, Celsi consilio.

Molestissimo] imaginibus, quæ oculis obuersantur. Quarum rationem exponit Cassius Problem. XIX. & Gal. de Sympt. Cauf. lib. I. cap. II.

Pet initia] ubi materia tenuis potest digeri.

Prudentes ocularios,] Qui temporum momenta obseruent. Qua potissimum de causa Pindaro Pyth. Od. IV. Ἰατὴρ ἐπικαιρότατος, *Medicus opportunissimus*. Verum & singulari heic opus dexteritate, ob artificiosam partis structuram nobilemque eius usum; ut Rasis prouide mediam ætatem ocularijs dederit.

Ab aliis accepi,] Idem ingenue fatetur Celsus lib. V. cap. XVII.

XXXIX.

Ad auriculæ & tumorem & dolorem] Prior copula redundat. Marcellus eam quoque omisit.

Herbæ urceolaris] Ita Marcellus cap. I. XII. XXX. XXXVI. P. Veget. lib. I. cap. XXXIV. Quænam hæc sit Otho Brunfelsius aliis diuinandum relinquit. Quod miror, siquidem aperte Plinius lib. XXII. cap. XVII: *Perdicium siue Parthenium à nostris herba urceolaris vocatur*. Vrceolis quippe vitreis detergendis pollet, indicio Galeni de simpl. med. facult. lib. VI. Vnde *vitrum herba* apud Oribasium, itemque apud Marcellum ex emendatione Pauli Leopardi: Germanorum quibusdam *Glasskraut*, quemadmodum Belgis communiter *Glaeſcruyt*, politioribus Italis *Vitriola*. De qua Hadrianus Turnebus Aduers. lib. VI. cap. XVII. Mesuæ interpreti similiter cap. de Pleuritide, & Matthæo de Gradi in IX. Rhaſ. cap. LIII. *Herba vitri*; aliis *Vitraria*; Apuleio de vir. herbarum editionis Aldinæ cap. LXXXII. *Vlciolaria*, sine dubio rectius *Vrceolaria*, quæ Plin. Valer. lib. II. cap. XIIX. *Vitrago*. *Herba muralis* Celsi lib. II. cap. XXXIII. & lib. IV. cap. XXIV; quem post Aetium Tetr. I. Serm. I. consentiente Apuleio, sequutus in lemmate Dioscoridis interpres: quia in parietinis nascitur, quo nomine communiter *Parietaria* vocatur. Quod & Romanis vulgo usurpatum notauit inter veterinarios Pelagonius lib. I. cap. XXIII. Succum eius cum rosaceo instillatum leuare aurium dolorem tradunt Dioscor. lib. IV. cap. LXXXVI. & Plin. lib. XXII. cap. XVII. itemque sub Galeni nomine qui circumfertur lib. III. de medic. fac. parabil. cap. XLIV. præter Ætium ac Oribasium de virtut. simplic. lib. II. cap. I. Folia eius leuiter tusa & vulneri imposita sanguinem sistere vulnusque glutinare scribit Rembertus Dodonæus Histor. stirp. Pempt. I. lib. III. cap. IIX. Cuius rei experimentum habui apud Hieronymum Stephanellum Patauinum,

num. P. Vegetius de arte Veterin. lib. III. cap. XV. (XII.) in sanguinis mictione laudat etiam succum herbæ Vitiolaris. Vbi dubio procul scribendum *Vitriolaris*, aut *urceolaris*, ut lib. I. cap. XXXIV. itemque Scribon. comp. XXXIX. &c. Plin. lib. XXII. cap. XVII. Marcellus cap. XXX. notat biliosa & aquatica detrahere. Vis enim ei est detergendi. Ideoq; aqua fluuiatili, cui ea incocta fuerit, sudoris in serico sordes eluuntur.

Ramentorum] tusorum Dioscor. lib. II. cap. CLXII.

Per strigilem] Ita Galenus de comp. med. sec. loc. lib. III. cap. I. *Strigil* barbatum, vel obsoletum. *Strigilis* Cicer. IV. de Fin. Nonius Marcellus: *Strigilim manifestum est esse generis feminini*. Quo modo Plin. Valerianus lib. I. cap. X: *Oleum laurinum in ferrea strigili missum*. Celsus lib. VI. cap. VII. eius meminit. cui ibidem, & lib. VII. cap. XXVI. ac XXX. laxiore usu *Specillum oricularium*; lib. V. cap. XXIIX. lib. VI. cap. XIIX. & lib. VII. cap. XXVI. *Oricularius clyster*; Hieronymo Mercuriali Pract. lib. I. cap. XI. *auricularis: au* nempe in *O* mutatur: Galeno de comp. med. sec. loca lib. III. cap. I. ὠτεγχύτης. Celso lib. VII. XXI. & XXII. *specillum auersum*, Scribonio Composit. CCXXVII. *Auriscalpium auersum*. Galeottus Martius de Promiscua Doctrina cap. IX. instrumentum putat concavum, quo liquor adtrahitur stilo in medio eius reuocato, eodemque excluditur. Qua ratione Barth. Aduersar. lib. XL. cap. IV. sine dubio intelligit fistulam, qua loco cuipiam aliquid immittitur. Eum sane nostrorum Chirurgorum siphunculo non fuisse absimilem, indicat apud Celsum lib. VI. cap. VII. *Oriculario clystere aqua vehementer intus compulsa*. De clystere quidem apposite. Vereor autem ne specilli longe alia fuerit ratio, modo accurate inspiciatur Scribonius Comp. CCXXVII: ubi auriscalpium auersum κυαθίσκος appellatur, quod parui forsan cyathi figuram haberet, quo liquor infunderetur. Anton. Musa Brasauolus Comm. ad Hipp. de victu in acutis lib. IV. Sect. CXXXI. satis apte specilli concauitatem interpretatur. Cuiusmodi credit specillum auersum Celsi lib. V. cap. XXIIX. cui contrarium est *aduersum*: quod acuminatum fuisse monstrat ille, quando lib. VII. cap. XXVII. præcipit specillo aduerso diducere vulnus: acie nempe dilatate. Hinc vere Mercurialis Practicæ loco nominato: *Strigil est instrumentum una parte conchatum, qua humor in aurem immittitur*. Quid vero Strigili iatraliptarum hæc simile refert præter leuem quandam cauitatem, quam exhibet schema apud Mercurialem Gymnastic. lib. I. cap. VII. cui non plane dissimilis ea species, quæ in Commentario Pignorii de Seruis conspicitur: ad quam proxime accedit, quam Romæ in marmore thermarum Diocletiani se sculptam vidisse prodit Brasauolus ad Hipp. de vict. acut. lib. III. Sect. LI. etiamsi figura paulo rudior. Hoc vero instrumentum è museo Francisci Angeloni Franciscus Stellutus ad Satyram V Persii omnium exquisitissime descripsit. Nec minori diligentia rem oculis Apuleius videtur subiecisse, quando depingit Strigeculam, recta fastigiatione clausulæ, flexa tubulatione ligulæ: ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex ea riuulo laberetur. In re adeo perspicua mirari satis nequeo Petrum Canisium D. Hieronymi Epistolis adiecisse, Strigilem Cornelii Celsi aluminis genus esse pumicosum & fistulosum spongiæ instar. Nihil enim huius generis protulit grauissimus medicinæ autor. Sed virum eruditum decepit leuior inspectio Lexici, quod Ambro-

sui Calepini opera cœptum variis postea corruptelis deformatum: quamquam, & Celsus ibi bona fide citatus, verum eo typographi lapsu, ut primo aspectu lectori facile imponat. De ista nihilominus Strigilis notatione probati scriptoris exemplum desideramus. Xystrophilax autem theca strigilis apud Artemidorum Oneirocritic. lib. I. cap. LXVI.

Fotamen auris] Iul. Pollux Onom. lib. II. cap. IV. n. XVII. ἡ ὀπὴ τῶν ὤτων, ἡ παραπέμπουσα τὴν φωνὴν εἰς τὴν ψυχὴν, σκολιὸς πόρος τῆς ἀκοῆς λέγεται: *Aurium foramen, quod vocem ad animum demittit, tortuosus auditionis meatus dicitur.*

Bestiolæ multorum pedum,] ζῶα πολύποδα. Dioscoridi lib. II. cap. XXXVII. cui similis heic autor.

κατοικιδίους ὄνους] id est domesticos asellos; ad marini piscis discrimen: quamuis Æginetæ lib. VII. cap. III. simpliciter ὄνοι dicantur. Marcello cap. IX. *Cutiones*, à curis duritie. Cæl. Aureliano Chron. lib. I. cap. IV. *Porcelliones*, Italis *Porcelletti*. Dum contrahitur animalculum, vocatur Κύαμος, id est, faba, cui tunc adsimilatur. Huius ad aures eumdem prodit usum Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. III. cap. I: *Seuerus Asellos in aquariis vasis nascentes*, (addit Cornarius interpres *Millepedas Latini vocant*,) *cum unguentis tritos ulceratis infundebat.* Nec sine ratione. Nam ipsius sententia attenuant & discutiunt, de comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. VI. ubi legitur *sub* vasis, veluti post Dioscoridem etiam apud Æginet. lib. VII. cap. III. & Æt. Tetrab. II. Serm. II. cap. XLIIX. Tetr. III. Serm. I. cap. CXXII. Siccant etiam, si credendum Æginetæ. Scribonium illustrat post Dioscoridem lib. II. cap. XXXVII. Plinius lib. XXIX. cap. VI: *Millepeda, ab aliis Centipeda aut Multipeda dicta, animal est e vermibus terræ pilosum, multis pedibus arcuatim repens, tactuque contrahens se: Oniscon Græci vocant, alii Tylon. Efficaciter sanat aurium dolores in cortice Punici mali decoctum, & porri succo: addunt & rosaceum, & in alteram aurem infundunt.* Et lib. XXX. cap. VI: *Multipeda, quam oniscon appellauimus.* Eiusdem animi Arpocrationis lectionem in perantiquo meo MS. hæc ipsa confirmant: Ὄνοι οἱ ὑπὸ τὰς ὑδρίας ζωΰφιά εἰσιν πολύποδα, ἅπερ ἐν τῷ πιέζεσθαι σφαιροῦνται. Ταῦτα ῥοδίνῳ καὶ ναρδίνῳ ἑψόμενα ὠταλγίαν θεραπεύουσιν. *Ὄνοι sub hydriis animalcula sunt multipeda, quæ dum comprimuntur pilulæ modo conglobantur.* Sic quidem vertere libuit. Quamuis enim liber elegantissime scriptus, non tamen exactæ ubique diligentiæ, ut illud οἱ vicinæ syllabæ iteratione facile accesserit: nisi cum Dioscoride sic interstinguas: ὄνοι, οἱ ὑπὸ τὰς ὑδρίας, *quæ sub hydriis*, &c. Ceterum ad Dioscoridis, Scribonii, & Plinii sententiam verius σφαιροῦνται, quam συνιζοῦνται, velut Anonymo placuit, qui Cyrannidis fragmenta non inutili studio nuper protulit. Satius enim erat, quod iis peculiare indicasse, quam reliquis insectis commune, dum comprimuntur liquorem mittere. Oleum quoque rosaceum, & nardinum domestico efficacius agnosco. Huius puluis scripuli pondere ex vino albo ad Renum calculum & Icterum laudatissimus experimento Mariani Sancti Barolitani de calculo Renum cap. VII. Vrinæ difficili etiam præscribit Dioscorides. Ioannes Hartmannus vir diligentissimus, cuius magisterio chymiæ instituta debeo, ad vesicæ calculum pulueris oniscorum à se præparati ex iure cicerum rubrorum drachmæ semissem ad scripula quatuor præbuit. Adde Hadrianum Iunium Animaduers. lib. V. cap. XV. Hæmorrhoidum quoque

do-

dolori plurimis experimentis efficax unguentum noui, ante aliquot annos Patauii Vrsulæ Cortiuæ secretum, si rosaceum permisceatur oleo oliuarum, in quo coctum hoc animalculum.

Vase ferreo,] Amicus quidam pereruditus olim contendit heic legendum *vase terreo.* Nemo autem mihi inficiabitur, ferreum ignis vehementiæ, quo inferuescant bestiolæ, validius resistere: ut sileam, quod ille terreum mavult, autori ubique fictile vocari. Quin imo, si ferreum displicet, æreum esto, veluti Compos. XXXVIII. LVIII. LIIX. LXIV.

Gliris pinguis,] Plin. lib. XXIX. cap. VI: *Gliris detracta pelle, intestinis exemtis, discoquitur melle in vase nouo. Sed medici malunt è nardo decoqui usque ad tertias, atque ita adseruari, deinde quum opus sit strigili tepefacta infundere.*

Gallinæ adeps,] ἰατ ὠταλγίας ἁρμόζει, inquit Dioscorides lib. II. cap. XCIV. *ad aurium dolorem conuenit.* Medii temperamenti est inter anserinum & suillum, Oribasii autoritate de Virtute Simplic. lib. II. cap. I. Aet. Tetrab. I. Ser. II. cap. CLII. Qualem dum Galenus etiam de Simpl. fac. lib. X. agnoscit, in dolore præcipue vehementiori meritò probat Art. curat. ad Glauc. lib. II. cap. VI.

Medulla bubula] Omnis enim medulla ad duritiem in Scirrhum prope degenerantem efficacissima Galeno de Compos. medic. per gen. lib. VII. cap. III. nec vehementer calefacit ac siccat, ut rectè monet Ægineta lib. IV. cap. XXXII.

X L.

Πισσέλαιον] L. πισσέλαιον Dioscor. lib. I. cap. XCVI. id est, *oleum picinum*, Hippocrati de ulceribus, Theophrasto item Histor. plant. lib. IX. cap. II. ὀρρὸς πίσσης, quod Erotianus interpretatur τὸ ὑγρότατον τῆς πίσσης, humidum nempe serosum, quod pici liquidæ veluti serum lacti supernatat, ex liquida pice, partium magis tenuium, quam pix ipsa P. Ægin. lib. VII. cap. III. & Oribas. medicinal. coll. lib. XV. cap. I. tum compage, tum facultate, ut notat Galen. de Comp. med. sec. loca lib. I. cap. III. Plin. lib. XXIV. cap. V. Cedriæ oleum credit. At Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. II. cap. I. à Cedrino discernit, eique deficienti affirmat substitui ex oleo & liquida pice factum: immo Pissèlæon, hoc est oleum picatum, pharmacum compositum à pisantho, id est flore picis, diuersum tradit lib. I. cap. III. de comp. med. sec. loc. Scribonius autem cum vulgo forsan loquutus.

Cum oleo communi] Quia vehementioris est usus, indicio Plinii.

Lana superposita eius vapori.] Dioscorides clarius: *Expansa, quam diu pix coquitur, supra cortinam vellera plura madescunt, acceptoque halitu eius exprimuntur in vas.*

Grauitatem odoris] Ingeniosus quidam iurat heic scribendum, grauitatem oris. At planum est, non ὄζην, quam Celsus lib. III. cap. XI. *oris fœtorem* interpretatur, sed ὄζαιναν, cuius apud eundem lib. VI. cap. IIX. odor fœdus, hoc loco significari. Quas enim Pix liquida utilitates, flos etiam præbet autore Dioscoride lib. I. cap. XCVI. Hæc autem ulcera emendat. Et quid Compos. XLII. nares grauiter olentes? Marcellus tamen, & bene, grauem auris odorem nomi-

 nat:

nat: quæ *graueolentia* Plinio lib. xxix. cap. vi.

X L I.

Aurium: aceti] aurium. Aceti acris sextariis duobus incoquuntur mala granata. Marcellus addit, duo. Nec inficior hanc Largi mentem.

Mala granata] Plin. lib. xiii. cap. xix: *circa Carthaginem Punicum malum cognomen sibi vindicat: aliqui granatum appellant*. Dioscorides lib. i. cap. clii. scribit succum ex acinis expressum & cum melle coctum ad aurium dolores valere.

Coriarii] Hos non admodum viles fuisse vel inde constat, quod Constantino Imperatori corpus coriariorum dicarit monumentum, cuius basis in ædibus Cæsianis Romæ.

Quia semper valida sunt, n. u. m. ρ. ο. G. dicunt,] Hæc, si libet, parenthesi circumscribantur.

Valida] Marcellus cap. ix. *acida*: quæ Plinio Valeriano lib. iv. cap. xi. *acerba*. Proprie Scribonius, qui semet explicat. Quo modo Itali significanter *Gagliardi, garbi*. *Sic vinum validum* Plauto Casina.

ῥοιᾶς] ῥόας. Dioscorid. lib. i. cap. clii. ῥόα, *Malum Punicum*. In meo etiam MS. Thomas tamen Magister de Atticismo notat elegantius dici ῥοιά.

ὀξείας] ὀξείας. Dioscor.

Madida] id est cocta. Sic enim madescunt ac tenera fiunt. Madere autem priscis est coqui; ut vere Hadrianus Turnebus Aduers. lib. xiix. cap. xv. exposuit Poetæ illud Georg. i:

Et quamuis igni exiguo properata maderent.

Columella etiam lib. xi. cap. iii. de Brassica: *Hæc res efficit, ut in coctura celerius madescat*. Sed præcipue Scribonius Compos. cliix: *mala citria quam maxime cocta, donec madida fiant*.

Acaciæ succi] Dioscoride autore lib. i. cap. cxxxiv. ex foliis & semine spinæ Ægyptiæ expressus in umbra siccatur: hodie ex viridibus quoque siliquis in magna Memphi excoquitur. Quam veterum etiam fuisse rationem, non obscurum est apud Plinium lib. xxiv. cap. xii. Etsi vero eius loco pharmacopœi prunorum succum delegere, antiquorum tamen Acacia neutiquam periit. Nimirum spina arboris specie, qualem Dioscorides indicat, & Alpinus de Plant. Ægypt. cap. iv. accuratissime descripsit, nihil ab Acacia vera discrepat: quæ Theophrasto Hist. lib. iv. cap. iii. ἀκάνθη, & ἄκανθος, lib. ix. cap. i. ἄκανθα αἰγυπτία, Plinio lib. xiii. cap. xi. *Aegyptia spina*. Totum dixit Cœlius Aurelianus Acut. morb. lib. i. cap. xxxvii: *Acantha Aegyptia, quam nos Latine spinam Aegyptiam dicere poterimus*. Nam quæ paucis ab hinc annis in Italiæ hortos è Mexico illata præterquam siliquis ab Ægyptia non multum differt. Quam vero Dioscorides in Cappadocia Pontoq; nasci perhibet, alteram forte Andreas Matthiolus Constantinopoli accepit; nulla tamen sat dignus excusatione, si à Dioscoride aliquantum discedat, ubi primam ex ingenio fingit, quæ arbor Iudæ P. Bellonio.

Calidum] Intellige medicamentum, pariterque mox frigidum.

Lana succida] non lota, monitu Galeni Meth. med. lib. xiv. cap. xvii; quæ lenit,

lenit, digerit, ac repellit, eodem teste Comm. II. in Hipp. de Fractur. Aphor. LXXII. De hac post Dioscoridem lib. II. cap. XXIIX. Varro de re rust. lib. II. cap. XI.

Per lanam & auriscalpium] Galen. de compos. med. sec. loc. lib. V. cap. IX. planius: *per auriscalpium, cui lana obuoluta est.* Cels. lib. VI. cap. VII. dixit *specillum lana inuolutum*.

XLII.

Rubricæ Sinopidis.] Æt. Tetr. I. Serm. II. cap. V. primas Sinopicæ tribuit: quam videtur à Cappadocica discernere. Dioscorides lib. V. cap. CXI. rectius: Μίλτῳ Σινωπικῇ. *Rubrica Sinopis effossa in Cappadocia defertur in Sinopem urbem, in qua venditur. Pastillis exsiccantibus & adstrictoriis misceri solet.* Plinius tamen lib. XXXV. cap. V. Ætio prælucet: *Sinopis inuenta est primum in Ponto: inde nomen à Sinope urbe. Nascitur & in Aegypto, Balearibus, Africa: sed optima in Lemno, & in Cappadocia, effossa è speluncis.* Nec dubium, quin diuersis proueniat regionibus, etiamsi Dioscoridi conformis Strabo Geograph. lib. XII. affirmet *minium Cappadocum Sinopensis cognomento laudatum, quia Sinopem id solebant auehere mercatores.* Marcellus etiam cap. XIV. *Minium* vocat P. Vegetio Art. veterin. lib. I. cap. XLIV. est *Sinopis Ponticus*, verius *Pontica*, velut & Isidoro lib. XIX. Origin. cap. XVII. Rubrica vero & Sinopis à Plinio discrete recensentur inter colores, qui nascuntur. Lemniæ deficienti eam substitui tradit Galen. de Comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. IV.

Aquatiotibus] ut citra mordacitatem adstringant & siccent. Quod in medicamentis cicatricem inducentibus postulat Æt. Tetrab. IV. Serm. II. cap. XXXVI.

XLIII.

Ad parotidas] Vlysses Aldrouandus Ornithologiæ lib. IIX. cap. VII. hunc locum Plinio adscribit. Quod librarii factum credo festinatione. Verba eius sunt natur. hist. lib. XXIX. cap. VI: *Parotidas comprimit columbinum stercus vel per se, vel cum farina hordeacea aut auenacea. Noctuaeque cerebrum vel iecur cum oleo infusum auriculæ, aut parotidi.* Alter etiam Secundi rhapsodus lib. I. cap. XIII: *Noctuæ cerebrum vel iecur cum oleo tepidum infunditur auriculæ parotidæ.* Magis ad artem, dummodo postrema verba ad Plinii maioris modum exigantur. Marcellus cap. XV. ab his non multum diuersus: *Noctuæ iecur diligenter seruatum, atque ex unguento nardino trito auriculis subinde infusum, celeriter parotidum vitium omne persanat.* Vbi malo *tritum*. Vereor autem ne de his idem dicendum, quod in hoc ipso casu de mustelæ sanguine protulit Galenus de Comp. med. sec. loca lib. III cap. II: *Talia tanquam curiosa & superuacanea, & quæ magnam rei medicamentariæ egestatem indicent.* Ideoque præcepto Dioscoridis lib. IIX. cap. I. *iure vitanda, quum sufficiens experimentum non præstiterint, quo nostra fides iis obstringatur.*

Butyro mixtum:] Marcellus cap. XV. *butyro mixtum apponi. Discutit e. f. e.* &c. Scribonius tamen ex se perspicuus. Quod vero Gaspar Barthius Aduersar. lib. XIII. cap. XIV. notat, Butyrum non multum in usu fuisse Romanis, qui rerum pretia

pretia non nisi cuiditate & utilitate, sed solo censu æstimabant: id facile credidetim florente republica, maximeque in mensis. Quod nec omisit Plin. lib. xxiix. cap. ix: *Butyrum barbararum gentium laudatissimus cibus, & qui diuites à plebe discernat.* Galenus tamen eius in medicina usum indicauit de Aliment. facult. lib. iii. cap. xv. Nec male ad parotides adhibetur, consentiente ipso de Simpl. facultat. lib. x. Nam concoquit ac moderate discutit, etiam laxat. lib. iv. cap. xvii. & lib. x. de simpl. fac. itemque pus mouet ex Diosc. lib. ii. cap. lxxxi. qui præter Galenum de Aliment. fac. loco iam nominato corpora innuit butyro illita. Optimo sane consilio, quum sit παρηγορικὸν Galeno lib. x. de Simpl. facult.

Oportet autem] Sublato utroque inciso lege. Oportet a. a. m. f. n. s. d. e. p. l. u. e. v. parotidem.

Aqua marina feruenti] Hæc enim attrahit ac discutit Dioscoridis autoritate lib. v. cap. xix. Siccat etiam Galeni sententia de Simpl. med. facult. lib. iii. cap. v. & lib. v. cap. ii. Per se efficaciorem discutiendis tumoribus putant medici, si illa decoquatur hordeacea farina ad parotidas, teste Plinio lib. xxxi. cap. vi. Cataplasmatis etiam ex hordeacea farina & emplastris ac discutientibus malagmatis misceri monet Dioscorides, eiusque loco salem aquæ permiscet Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. iii. cap. ii.

Nouis spongiis] Quæ adhuc maris odorem conseruant Ægin. lib. vii. cap. iii. Nam ex se siccant, ut notat Oribas. med. coll. lib. ii. cap. i. dum vulnera cruenta, sicut alia medicamenta, glutinant apud Ær. Terr. i. Serm. ii. cap. lxxiii. Quapropter tales quoque Galenus de Arte curat. ad Glauc. lib. ii. cap. iii. œdemati præcipit.

Per linteum] Ne calor subito exhalet.

Intortum] Ad maiorem vim.

Vtrisque] ut alternis fomentis præsto sint.

Lana sulfurata] id est, sulfure fumigata Aretæo de curat. Acut. lib. i. cap. x. Celso lib. iv. cap. vi. & lib. vii. cap. xxvi. *Hapsus lanæ sulfuratæ* nominatur. Hippocrati lib. de Humoribus *lanarum deligatio*, quod Ianus Cornarius in Gal. de Comp. med. sec. loc. lib. ii. cap. i. ad Celsi mentem recte vertit *lanarum fasciculus*: & Plinio Valer. lib. i. cap. lv. est *Vellus suffumigatum viuo sulfure*: quo medicamentum efficacius redditur ex Gal. de comp. med. sec. loc. lib. iii. cap. ii. Lanam vero succidam accipe: de qua Diosc. lib. ii. cap. lxxxii. Vehementes dolores ea mitigat Æginetæ sententia lib. iii. cap. xxxiii. Nam modice digerit ex Oribasio de virt. simpl. lib. ii. cap. i. Ideoque Cæl. Aurelian. Chron. lib. ii. cap. vii. de catarrho vere: *plurima sulfurosa admiscenda, & lanis quibus thorax circumdatur aspergenda.*

X L I V.

Iris Illyrica] Pseudo Macer:

quia plurima nasci
Fertur in Illyria.

Et Ouidius de Medicamine faciei:

Illyrica quæ venit iris humo.

Cornelius Celsus lib. v. cap. xxix. itemque Marcellus cap. xxvii. *Macedonica* memi-

meminit, veluti & post Dioscoridem lib. 1. cap. 1. separatim Plin. lib. xxi. cap. vii. ac Galenus de comp. med. sec. genera lib. vii. cap. x.i. quæ laudata Theophrasto Histor. Plantar. lib. ix. cap. vii. mediterranea Septentrionem versus. Vbi Theodorus Gaza nescio quam recte vertit *consecatrix*, quemadmodum & lib. iv. cap. vi: Hadrianus Turnebus libro de Odoribus melius Celsi, Plinii, aliorumque Latinorum exemplo *Iris*: quod & Gazæ placuit apud Theophrastum de Caus. plant. lib. vi. cap. xxiix ubi Macedonicæ præfertur Illyrica, quandoquidem odoratior. Eresto suffragatur Plinius lib. xxi cap. vii. itemque Galen. de Antidot. lib. i. cap. xii. Radix cocta duritias emollit autore Dioscoride.

X L V.

Spumæ argenteæ] Glossa vetus: *Spuma argenti*, λιθάργυρος. Quo modo Dioscor. lib. v. cap. cii. & Plin. lib. xxxiii. cap. vi. imo Scribon. Compos. clxxxiii. hosque sequutus Æginetæ lib. vii. cap. iii. Salmasius in Solinum apposite florem exponit. Medii hæc temperamenti calefaciendo & refrigerando, nonnihil ad siccitatem inclinans, liquata siccat in emplastris: idque magis, si diutius cocta fuerit, Galeno monente de comp. med. per Gen. lib. vi. cap. iix. Æginetæ lib. vii. cap. iii. moderate siccat, adstringit, ac detergit. Lælius Bisciola Hor. Subcis. Tom. i. lib. xvi. cap. iii. eosdem fere effectus ei adscribit, quos argento vivo.

Pondo dua] Melius forsan duapondo. H. Steph. pondera duo. Vide Indicem.

Salis ammoniaci] Ioannes Baptista Rasarius apud Oribasium coll. medic. lib. xv. cap. de Metallicis vertit *Armeniacum*, qui *Armoniacus* Alberto Magno de Mineralibus lib. v. cap. ii. Verum ab Ammonia Libyæ regione nomen accepit. Inde Ætius Tetr. i. Serm. ii. cap. xliii: *Fossilis generis optimus est Ammoniacus*. Clarius Dioscorides lib. v. cap. cxxvi. τῷ γένει, hoc est, *natione*, melius forte quam *genere*, ut Rasarius Oribasium coll. med. lib. xiii. interpretatur. Plin. lib. xxxi. cap. vii. Omnibus facie præfert: *Sal Ammoniacus inter Ægyptum & Arabiam, etiam squalentibus locis coeptus est inueniri detractis harenis: qualiter & per Africæ sitientia usque ad Hammonis oraculum. Is quidem crescens cum luna noctibus. Nam Cyrenaici tractus nobilitantur Hammoniaco & ipso, qui sub arenis inueniatur, appellato.*

Spumam & cerussam] lege: Spumam, cerussam, salem, & per se & cum aceto terere oportet mortario.

Efferuescit enim valde.] R. & St. parenthesi claudunt.

Cum hæc super ignem] Sic distinguantur. Cum hæc super ignem posita habuerint emplastri temperaturam mollis, deponere oportebit cacabum; cum feruere desierit, paulatim aspergere æris florem, & mouere spatha medicamentum, ne extra fundatur, & rursus coquere, &c. Vide Comp. lxxxi.

X L V I.

E naribus sanguis,] Ex numero excretionum præter naturam Actuarius Meth. med. lib. vi. cap. iv. affirmat post Gal. de Sympt. diff. cap. vi.

Periculum affert.] Præcipue convulsionis, non solum ob exuberantem sanguinis arteriosi vacuationem, quo solo cerebrum nutriti putat Ioannes Riolanus Galliæ & seculi decus, sed etiam propter refrigerationem, si medici caput refrigerauerint, dum sanguinis profusionem retinere volunt, quemadmodum recte aduertit Galenus in I. Pror. Hipp. com. III. Aph. LIII. Non enim ad frontem & caput illico refrigerantibus utendum, sed prius ad contraria reuellendum, utique affixa in summa ceruice cucurbita præcipit ipse Meth. med. lib. v. cap. VI. cuius etiam præsidii autor meminit.

Posca] Hanc Laurentius Valla in Annotationibus ad Antonium Raudensem putat vinum in torculari aqua mixtum. Rectius Plinii Oxycraton censet Brodæus Miscell. lib. IV. cap. XI. Cuius ratio diuersa. De Dynamid. lib. alt. apud Galenum autor ex aquæ partibus duabus, tribus vini coquit. Nicol. Myrepf. de Antidot. Sect. I. cap. CCCLXXXIII. affirmat ex uno aceti sextario, & aquæ dimidio fieri. Seruis ac militibus olim potui erat, hodie nautis. Nec male. Nauseam enim tollit Ætio monente Tetr. III. Serm. I. cap. x. nec ita facile corrumpitur ac vinum.

Acetum acre infundere in aurem,] Auris delicatior vix tale remedium perfert: ne dicam, quam hoc neruis auditus nocivum. Periti cogitent, sitne legendum *in narem*; siquidem spongiam ex aceto acerrimo cocto madidam naribus immittit Galenus, vel quicunque alius de medicam. paratu facilibus cap. IX. cetera Scribonio similis.

Gypso] Vi enim adstrictoria & emplastica pollet, ex Dioscor. lib. v. cap. CXXXIV. Sic Nero Britannici pueri veneno sublati faciem gypso curauerat obduci, ut ex narium fluxione crederetur extinctus.

Et maxime nares] Eam præterea colli partem, quam vena iugularis externa atque externus arteriæ soporalis ramus perreptat. Quod Francisco Vrsato patricio Patauino amico nostro enormem sanguinis è naribus fluxum insigni efficacia repressit.

Oblinire] Crat. & Ald. oblinere R. & St.

Superposito aliquo tegumento] Lectio suspecta de glossemate: etiam à Marcello neglecta fuit. Nec huius cautelæ meminit Celsus lib. IV. cap. II. in usu frigidæ ad caput. Silere tamen non possum, in stillicidio è thermis coronali futuræ cerotum de betonica recte imponi, stramineamque addi umbellam, ne cum vultu reliquus corporis habitus perluatur.

Cucurbitam] Ita Ioannes Lonicetus Nicandri σικύαν χαλκήρεα Theriac. xx. interpretari debuit, non instrumentum ferreum aut cultellum. Priscos enim cucurbita usos ænea, liquet ex Galeni libro de Cucurbit. Quam consuetudinem Germani populique Septentrionales adhuc retinent. Nec aliter à Iulio Polluce Onomast. lib. x. cap. XXXI. medicis instrumentis addi crediderim σικύαν. Hoc modo Cæl. Aurelianus Chron. lib. I. cap. IV: *cucurbitæ leues apponendæ, quas Græci sicyas appellant.*

Occipitio] Præcordiis pariter, Galeno autore Meth. med. lib. v. cap. VI.

Intus narem] *intus in narem* Marcellus.

Quæ, quia multa est, & ubique nascitur,] Ianus Cornarius comment. Gal. de comp. med. sec. loc. lib. IV. cap. I. opinatur hæc ab interprete addita. Eiusmodi

di tamen etymi ratio non est autori nostro valde noua, ut patet Compos. xxIIx. & CLXXXI. Quin imo hæc ipsa verba Marcellus diligenter in suum opus traduxit.

Πολύγονον] *Polygonos*, Marcellus adiectiue herbam intelligens, ut cap. I. Celsus lib. II. cap. XXXIII: *Herba sanguinalis, quam Græci πολύγονον appellant*. Quæ ipsa pæne verba Colum. rei rust. lib. VI. cap. XII. ex ipso repetiit. Dioscoridi lib. IV. cap. IV. πολύγονον: adstringit, ac refrigerat.

Λυσιμάχιον] Ruell. & Aldus: H. St. λυσιμάχιον, ut Dioscorides; qui lib. IV. cap. III. Rufum siue Aureum, recentioribus Luteum describit, velut Purpureũ Plin. lib. XXV. cap. VII. ubi quidam veteris libri autoritate reposuerũt *aureum*: quod & Hermolaus Barbarus vidit. Sed inuita natura, quæ flore purpureo decorauit, utcumque Dodonæus Histor. Stirp. Pempt. I. lib. III. cap. XXXII. Spurium censeat. Huius vim prodidit Plinius lib. XXVI. cap. XII. *sanguinis profluuium sistit Lysimachia pota, vel illita, vel naribus indita*. Dionysius Fontanonus etiam de morbor. intern. curat. lib. IV. cap. X. in eodem casu laudat. Florem purpurei, quod Pseudolysimachium alterum Dodonæo, in decoctione ad fluxus muliebres in primis efficacem deprehendimus, pariter in Dysenteria sincera Drachmæ unius pondere cum conserua rosarũ, vel gelu cydonii delicatioribus: quamuis inexploratas eius facultates affirmet Dodonæus cap. XXXIV. Quid autem huic iniquiorem putemus rerum parentem, quam eius generis primo; cui Gesnerus nonnullas partes euidenter adstringentes, alias modice detergentes tribuit: quandoquidem externa solum forma discrepant? Nec tamen eiusdem hæc generis cum Polygono, quemadmodum Otho Brunfelsius annotauit: sed earumdem virium specie dissidet. Idem nempe facit eodem genere, id est, naribus iniecta, vel emplastri modo illita, ceu docet Galenus de Simpl. facult. lib. VII.

Forcipe] *Forfice* melius apud Marcellum. Plin. lib. XXV. cap. V. de Helleboro: *incisum forficulis cribrant*. Qua etiam ratione Ioannes Sambucus P. Vegetium Art. Veterin. lib. II. cap. XV. optime restituit.

Patorem] Marcello vox deest: qua etiam usus autor Composit. sequenti.

Ex aceto per se.] Alii malunt, ex aceto, siue per se. Verum ex iis quæ mox subdit autor planus est.

Chalcitis] Dioscorides quoq; lib. V. cap. CXV. cum succo porri commendat. Sed nihil sistendo sanguini efficacius, quam colcotar, seu vitriolum ad ruborem ustum, notat Ioan. Heurnius ad Hipp. lib. I. Aph. III. Quod ante. ipsum Andreas Cæsalpinus monuit de Metallicis lib. I. cap. XXII.

XLVII.

Item bene supprimit & hoc medicamentum] Addit Marcell. cap. IX. *Sanguinem de naribus profluentem*.

Mali] id est, granati. De quo Comp. XLI.

Aluminis Ægyptii] Cuius pariter meminit Hippocrates lib. de Hæmorrhoidibus.

Chalcitis] *Chalcitidis*, Marcell.

Per succidam] f. super succidam; Nisi legendum: Hoc medicamentum tritum, per succidam lanam asperfum, inijcere oportebit.

Facit autem etiam ad omnem] Marcellus cap. IX. clarius: *Facit autem etiam ad omnem ex qualibet parte corporis, vel ex quolibet vulnere, sanguinis eruptionem: quoniam* &c. At leui distinctione autor æquè perspicuus est, modo sic legatur: Facit autem etiam ad omnem, ex qualibet corporis parte, seu vulneris sanguinisque, eruptionem, quoniam &c.

Vulneris eruptionem] Non. Marcellus: *Vulnus est hians malignitas.*

Præfocati] l. præfocari, ut Comp. XCIV.

Quod per oppilationem narium efficitur] Marcellus: *per quod opitulatio naribus efficitur.* Non male. Retinenda tamen Scribonii verba, quoniam rem plenius explicant.

Vt diximus] Comp. XLVI.

Qua spirandi] Ruellius edit. Parif. quia.

Pinnam anseris quam maximam &c.] Hinc palam est, calamum scriptorium apud veteres quauis penna anserina maiorem fuisse; quando calamo modice crasso penna etiam maxima comparatur.

Modice plenam:] Barthius Aduersar. lib. XXXIX. cap. XVI. heic inserit quæ Compos. x. exstant: vel specillo tincto in aquam, & excusso, tacta naribus initiatur. Cuius libri fide non video: quam apposite, chirurgi iudicent.

Inuoluereque] Marcellus *eam* subdit, sine ulla necessitate, quandoquidem sententia satis integra. Suspicor tamen fuisse in Scribonio, & librarii negligentia in *ex* abiisse: nisi legendum, inuoluereque, & fasciola tenui lintea &c. Quod non multum à vero abest.

Infita] instita explere circuitum eius. Vid. comp. CXXXIII. & Marcell. cap. IX. Ioannes Argolus mitioris literaturæ Professor Bononiensis putat legendum: qua sic infita. Non ab re: nisi autor satis esset perspicuus.

Donec cum] Scribe *Donicum* autoritate Plauti Mostellar. Act. I. Sc. II. & Aulul. Act. I. Sc I. Catonis de re rust. cap. CXLVI. CXLIX. & CLXI. Liuii, M. Vitruvii Archit. lib. III. cap. III. lib. IX. cap. IV. aliorumque veterum, notante Charisio lib. II. quod antiquum monet Priscianus lib. XV. aut omitte *cum*, exemplo Marcelli.

Cuneatione] Eleganter pro cunei specie; quidquid Marcellus de *cunctatione*: quam Barthius Aduers. lib. XL. cap. IV. ex gestu patientis probat, quamuis nullum eius heic indicium.

Medicamentorum. Hoc] Scribe medicamentorum: hoc &c. Est enim continuatio instituti. Ideoque Marcellus gratis *, uti oportebit.*

Sanguis abundauit.] Significanter. *Abundare* enim est undæ in morem fluere, siue abundanter, ut Compos. XLVI.

XLIIX.

Ad hulcera] Ad ulcera. Ruel. & Steph.

Plumbi stercus, quod scoriam dicunt,] Martiano Capellæ Rhetor. lib. V. Similitudo turpis. Celso lib. VI. cap. IIX. venustius, *Recrementum plumbi*: Quo etiam

etiam modo interpres Dioscoridis lib. v. cap. xcvii. ubi *σκωρία μολίβδου. Plumbi scoria* Celso lib. v. cap. xv. & xix. Plin. nat. hist. lib. xxxiv. cap. xiix. & Plin. Valer. lib. ii. cap. xii. *Eosdem effectus habet quos plumbum, sed acriores*, inquit Plinius maior. Dioscorides planius: *Eadem quæ plumbum exustum potest, sed magis adstringit.* Qui lib. v. cap. xcvi. idem pronunciauit de Plumbo usto, quod Plinius de Scoria.

Spissum fiat, & ita] Scribo: spissum fiat. Et ita per pinnam &c.

Obteguntur.] Barthius Aduers. lib. xi. cap. iv. *obriguntur.* At nares medicamento spisso verius operiuntur siue incrustantur, & obducuntur. Eodemque verbo Celsus utitur lib. iii. cap. xxii. & lib. vi. cap. vi.

X L I X.

Hyssopi ✻ P. trium.] Sic Ruel. & Cratander: H. St. tria.
Rosa] Id est oleo rosaceo: veluti Comp. i. declarauimus.

L.

Ad Polypos] Rescribe. Ad grauem odorem narium. Cui titulo similem habet Compositionum Index, à Scribonio procul dubio, vel antiquo forsan Grammatico, præfixus. Neque enim Plin. lib. ix. cap. xxx. satis accurate: *Polyporum generis est Ozæna, dicta à graui capitis odore*; quamuis & Polypus nonnunquam fœteat. Polypum vero insanabilem non est quod adfirmet Iul. Pollux lib. ii. cap. iv. num. xxv. Nam forcipe Hieronymi Fabricii ab Aquapendente, cauterioque, si quando altior tenaciorque, per canaliculum ferreum in vicem adacto ab Hadriano Spigelio, Francisco Plazzono, Ioanne Veslingio, & Petro de Marchettis Chirurgiæ professoribus peritissimis radicitus exemtum memini.

'Οζαῖναν] H. Steph. *ὄζαιναν Græci hoc vitium vocant. Aeruginis pond.* Latentem vocis Metonymiam significanter prodidit Actuarius Meth. med. lib. ii. cap. iix: *Ozæna nomine suo, quod à fœtido odore sibi sumsit, se patefecit.* Vlcus narium Celso lib. vi. cap. iix. & lib. vii. cap. xi. Galeno item de Comp. med. sec. loca lib. iii. cap. iii. putredinosum Alex. Trall. lib. iii. cap. iix. ex acrium humorum influxu Ægin. lib. iii. cap. xxiv. cum tetro halitu Actuar. loco memorato. Iul. Pollux Onom. lib. iv. cap. xxv. vere: *Ὄζαινα, ἕλκωσις ἐν τῷ βάθει τῶν μυκτήρων... Exulceratio in ima parte narium.* Qui etiam lib. ii. cap. iv. n. xiv. piscem tradit polypi speciem.

L I.

Ad Polypos, misy ustum, &c.] Ad Polypos. Misy ustum, c. u. æ. f. u. s. æ. s. t. cribrata. Si e. m. p. p. s. n. tactæ, e. v. attenuata coridie emendantur.

Æris flos,] Asclepiades apud Galenum de Comp. med. sec. loca lib. iii. cap. iii. pro *χαλκοῦ ἄνθος*, quod est flos æris, habet *χαλκάνθη*, singulisque addit drachmarum octo pondus. Scribonii autem lectio magis ad præsens negotium: quoniam flos æris, monente Dioscoride lib. v. cap. lxxxiix. *κατασκέλλει τὰς ὑπε-*

ῤοχάς, reprimit seu coërcet excrescentia: χάλκανθον lib. ei. cap. cxiv. crustas inducit. Ex hac igitur compositione apud Galenum reponendum χαλκοῦ ἄνθος.

Sori,] Sory. Qualiter & Plin. lib. xxxiv. cap. xii. Σῶρυ Dioscor. lib. v. cap. cxix. quanquam & Salmasio in veteri codice obseruatum Σῶρι. Cuius confecturam tradit Ætius Tetr. I. Serm. II. cap. lxiv. Ægyptium maxime laudatum Plinio lib. xxx. cap. xii. Hodie ignotum putat Bernardus Cæsius de Mineralibus lib. ii. cap. iv. Sect. xvi. De ipso tamen Ferrandus Imperatus luculente Histor. nat. lib. xiii. cap. xvi. & Andreas Cæsalpinus de Metallicis lib. I. cap. xxvi.

Vstum] Ne nimium exurat. Sory enim apud Dioscoridem inter ea recensetur, quæ ustionem non experta perustis validiora sunt. Hoc autem non solum adurens, verum & adstringit, Oribasio teste Collect. medic. lib. xiv. cap. lvii. & lib. xv. cap. I.

Si eo medicamento] Ianus Cornarius ad Galen. de Comp. med. sec. loc. lib. iii. cap. iii. hæc verba nullius significationis putat expungenda, ut legendum sit: *Ad Polypos &c. cribrata, paribus ponderibus sicca benefaciunt.* Retineri posse credo omnia, modo in hunc ordinem reuocentur: Ad Polypos, cum sint à cerebro, misy u. c. u. æ. f. u. s. æ. s. t. cribrata, parib. p. f. b. faciunt si eo m. p. p. n. s. t. e. v. attenuata c. e. Marcellus cap. x. sola pharmaci descriptione contentus, cetera de usu heic tradita omisit, quod forsan spinosa essent. Hæc tamen utrolibet modo digesta perito attentoque lectori non usque inuia, modo bene interpungantur. Porro vitia attenuata emendari vere monet autor. Nam Polypus Iulio Polluci Onom. lib. II. cap. IV. n. XL. Πολύπους Celso lib. VI. cap. IIX. est *caruncula narium.* Quo modo Pollux lib. IV. cap. XXIV. nu. IIX. Πώλυψ, σὰρξ ῥινὶ ἐπιφυομένη, μυξῶδες ὑγρὸν ἀφιεῖσα, ἐπιφράττουσα τὴν ἀναπνοήν. Rudolpho Gualthero interprete: *Polypus, caro naribus excrescens, mucosum emittens humorem, spiritumque obturans.* Inde Martialis lib. XII. Epigr. XXXVII: *Nasutum volo, nolo polyposum,* hoc est, obesæ naris hominem, sed argutum & sagacem. Cuius materia cum sit humor crassus & glutinosus ex sententia Galeni de Comp. med. sec. loca lib. III. cap. III. id vitium à cerebro utique est; unde mucus destillat eodem autore de natural. facult. lib. II. cap. IX.

L I I.

Tumore] Marcellus cap. x. *ex humore.* quod vero propius est. In grauedine nimirum tenuis per nares pituita profluit, Celso teste lib. IV. cap. II. Humor autem Scribonio Compos. ccxxix. excrementitium succum notat, quemadmodum etiam Celso lib. VII. cap. XXIX. & alibi.

Myrrha stacte,] id est, myrrhæ gutta, Cöo Seni lib. de Vlcerib. σμύρνα στακτή, Iano Cornario & Anutio Foesio interpretibus *Myrrha stacte*; Theophrasto Histor. plant. lib. IX. cap. IV. σμύρνη στακτή, *myrrha stillatitia* Theodoro Gazæ interpreti, quem recte imitatur Hadrianus Iunius. Qua etiam sententia D. Hieronymus ad Principiam virginem Epist. cxi. Stacten stillam vel guttam exponit. Seplasiariis *Storax liquidus* est; quibus fauent Ioan. Serapio, Brasauola, Matthiolus: quamuis discrepent, si Ioanni Renodæo credendum. Dioscor. lib. I. cap. LXXIX: *Myrrha siluestri expressa Stacte excipitur.* At Plin. lib. XIII. cap. I.

Myr-

Myrrha & per se unguentum facit sine oleo, Stacte duntaxat. Et vero myrrhæ arbores sudant sponte, priusquam incidantur, Stacten dictam, cui nulla præfertur eodem teste lib. XII. cap. XV. Verum ex myrrha, non ex arbore, sudare Stacten monuit ad hunc locum cum Brodæo Dalechampius. Duplicem tamen fatetur Petrus Seruius de Odoribus: alteram Dioscoridis expressam; Plinii alteram sponte manantem. Addit Beniamin Tudelensis in Itinerario prope montes Petsiæ Haphton ex animalibus quibusdam myrrham solutam colligi. Nec aliud Athenæo lib. XV. cap. XV. videtur *myrrhæ pinguitudo*; *unguentum ex myrrha. Myrrha liquida*. Ceterum est etiam Stacte oleaginosus liquor è cinnamo myrrhaque incisa stillans, autore Theophrasto. De quo Brod. Miscell. lib. V. cap. VII. In vascula reponi notat autor libri de Simplic. med. qui Galeno adscribitur. Balsamo autem substituitur à Zacuto Lusitano Prax. admir. lib. II. obseru. LIIX.

Pice liquida.] Bitumine quippe sicco, vel pice sicca, quis non potest inungi, monitu Galeni de Simpl. fac. lib. II. cap. XXI. Pix autem liquida fortior est Æginetæ iudicio lib. VII. cap. III. Nec Plinio lib. XXIII. cap. I. Pix aliud est, quam combustæ resinæ fluxus.

Pondo trientem] Id est, Denarios quatuor; veluti Marcellus cap. X.

Anesi] Ita Compos. LXX. & CXIII. Celsus etiam lib. II. cap. XXXI. lib. III. cap. XXIV. MS Clericorum Regulatium Venetiis. Item cap. XXI. MS D. Antonii ibidem. Marcell. cap. XX: ubi scribendum forsan erat *anethi*: sicut est in Scribonio Comp. CIX. quam exscripsit ille. Melius *anisi*, veluti Celsus lib. III. cap. XXIV. & lib. IV. cap. XIV. itemque Plinius lib. XX. cap. XVII. Dioscorides enim lib. III. cap. LXV. Ἄνισον vocat. Nicander tamen habet Ἄννησον: quem imitati sunt Romani posteriores.

ὑοσκύαμον] *Hyoscyamos*, Marcellus. Dioscor. lib. IV. cap. LXIX. & lib. VI. cap. XV. Ὑοσκύαμος. Phauorinus item. Plin. lib. XXV. cap. IV. *Hyoscyamus*. Suidæ tamen Ὑοσκύαμον dicitur; & Celso lib. II. cap. XXXIII. *Hyoscyamum*. Sed utramque rationem Æmilius Portus admittit.

Victoriati] id est, dimidiæ drachmæ Marcello cap. XVII.

Opii p. unciam] *Opii denarium dimidium*. Marcellus. Quod pondus ad cetera conuenientius.

Alis] Aliique parte tertia detracta. Dantur cum aquæ cyathis tribus. Vid. Comp. XCII. Nisi legendum veluti Comp. CXIII. *aliis p. victoriati; aliis parte tertia detracta, dantur cum aquæ cyathis tribus.*

LIII.

Forcipes] Sic etiam Henricus Stephanus, melius quam Lutetiana Ruellii editio; in qua forfices. Quo modo Ioannes Caius ubique Celsum emendauit, & Robertus Constantinus, non minus lib. VII. cap. XII. quam cap. V. ad marginem bene reposuit *Forceps*, quamuis in omnibus MSS *forfex* legatur. Quibus fauet Cassiodorus de Orthographia cap. IV: *Forfices secundum etymologiam debemus dicere & scribere, ut si à filo dicamus, F debeamus ponere, ut Forfices, quæ sunt fartorum: & si à pilo, per P, ut Forpices, quæ sunt tonsorum: si à capiendo,* per

per.C, *ut Forcipes, eò quod formum capiant, qui sunt fabrum. Formum enim dixerunt antiqui calidum.* Quidni etiam dentem: etiamsi Forcipes medicorum, & fabrorum forcipes, ex Isidoro MS apud Barthium Aduers. lib. xxxix cap. xiv. Talis enim eius figura, quam iuxta marculum refert nummus argenteus T. Carisii nomine signatus, mihi visus Patauii apud eruditissimum amicum Bartolinum Gasparis Bartholini quondam nostri humanæ ac diuinæ sapientiæ fama clarissimi doctoris filium, nunc in Regia patriæ Academia politioris literaturæ professorem; cui similis, quem Pignorius Vulcani symbolum in Aureliæ & Cæsiæ gentis denariis obseruauit.





Vsum vero nimis angustum adsignat ei Hadr. Turnebus Aduers. lib. vii. cap. xxii. quando ait ad focum ignemque pertinere; quamuis & hunc præcipuum libens agnoscam. Nec vere Glossa vetus: *Forfex*, ὀδοντάγρα, ψαλὶς, πυράγρα· itemq; Lexicon Græcolat. vetus: ὀδοντάγρα, *Forfex dentaria.* Ψαλὶς enim verius *Forpex*, alias τομὶς. Inde Sidonius Apollinaris in Epithalamio Polemii:

Rupit odoratam redolenti forpice barbam.

Hanc tamen vocem Ausonius Popma lib. ii. de voc. diff. non agnoscit Romanam. Ὀδοντάγρα vero Æginetæ, Forceps: Rudolpho Gualthero Iulii Pollucis interpreti lib. x. cap. xxxi. vere *Forceps dentium*; quamuis & lib. iv. cap. xxv. *forfex dentes extrahens.* Varro quippe Quinquatribus apud Nonium Marcellum: *bipensiles forcipes, dentarpagæ*, Voce ficta ex Græca & Latina. Clarius ante ipsum quoque Lucilius lib. xix: *forcipibus dentes vellere.* Cælio Aureliano Chron. lib. ii. cap. iv. *Dentiducum.* De quo accipiendum videtur Catullianum Carm. xliii:

ruborem

Ferreo canis exprimamus ore.

Quo modo Persius Sat. i. versu cxxix: *genuinum fregit in illis.* id est, dentem caninum: quo hominem oblatrantem significat.

Citra hanc necessitatem] Cæl. Aurelian. loco pridem nominato: *Erasistratus plumbeum inquit odontagogum, quod nos dentiducum dicere poterimus, apud Delphum in Apollinis templo ostentationis gratia propositum. Quo demonstratur, oportere eos dentes auferri, qui sint faciles, vel mobilitate laxati, vel quibus sufficiat plumbei ferramenti conamen ad summum.* Ioannes Antonius Menauinus rerum Turcicarum scriptor Italus lib. iii. cap. xxii. etiam refert, Chirurgos posse nemini sine Regis indulgentia dentem euellere. Prudenter. Neque enim temere

mere grassandum in dentes, qui una cum lingua sapores discernunt ex mente Galeni de usu part. lib. XVI. cap. II.

Commanducatione,] Hæc vero attrahit: nec satis tuta, ubi dentes vacillant, Ea igitur parte merito præcipitur, qua nullus dolor.

Herbæ quinquefoliæ] πεντάφυλλον. Quinquefolium, Dioscor. lib. IV. cap. XLII: *Ius radicis ad tertias decoctæ si ore detineatur, dolores dentium sedat.*

In vino] Misto Celsus lib. VI. cap. IX. Quod oppositum est meto.

Semen] Cataplasmatis enim admisceri solet, quæ dolorem leniunt, Dioscor. lib. IV. cap. LXIX, maxime si affectus fuerit calidus: quod indicat Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. IIX. cap. III. Imo semen minus nocituum quam herba, quæ δηλητηριώδης *venenosa* Suidæ.

Inligatum,] Ruellius: illigatum, Aldus & Steph.

Dolebunt, ut succus t. c. p. d.] Dolebunt, ut s. t. c. p. diutius. etiam Solani s. t. b. f. g. Succus autem ex solani utriusque hortensis & Halicacabi herba in umbra siccatur, Dioscoride autore lib. IV. cap. LXXII. qui Cap. sequ. Somniferum tradit in vino decoctum, si ore detineatur, dentium doloribus auxiliari: quanquam & Solanum hortense innoxii gustus Oribasio Collect. med. lib. XII. ex Diosc. lib. IV. cap. LXXI. Refrigerat, & adstringit secundo gradu testimonio Æginetæ lib. VII. cap. III. etiam indurat, veluti notat Oribasius Synops. lib. II. cap. XXIIX. & lib. XV. cap. I. siccat secundo completo apud Gal. de Simpl. med. fac. lib. IIX. Prosper Alpinus de Plant. Ægypt. cap. XIII. affirmat Ægyptios isto succo fronti temporibusque illito familiarissime somnum inducere. Sed halicacabum vitetur. Hoc enim, ait Plin. lib. XXI. cap. XXXI. *Soporiferum est, atque etiam opio velocius ad mortem.* Et mox: *præsentaneum remedium ad dentium mobiles firmandos, si colluerentur: halicacabo uni exceptionem addidere, ne diutius id fieret. Delirationem enim gigni eo.*

LIV.

Suffire autem] Maioris euidentiæ gratia bene Marcellus cap. XII. addit *dentes.*

Alterci semine] Hyoscyami radix, vel in posca, vel in vino misto cocta Celso etiam lib. VI. cap. IX. probatur.

Aqua calida,] Marcellus subdit: *in qua radix eius fuerit incocta.* Sed præter mentem autoris, quam in saporem virosum intendit ab hyoscyami semine relictum. Fumo quippe, non aqua, vermiculos quasi elici constat. Scribendum igitur, *aqua calida. Interdum e. q. v.* Scribonius prudenter nihil certi affirmat. Vix enim vermiculi sunt, sed histrionum fucus est; quoniam Hyoscyami suffitu vermiculi quidam videntur prolici e dentibus, ob herbæ proprietatem gignendi vermiculos, ut cum Iacobo Cabagnesio censet Hercules Saxonia Prælect. Pract. par. I. cap. XIX: quamuis & in dolore à destillatione calida ipsum probet, non sine autoritate Dioscoridis lib. IV. cap. LXIX. ubi eius radice in aceto decocta dentes in dolore colluuntur. Vermes tamen in dentibus nasci non negauerim, ubi materia corruptionis in eorum cauitate latet, quum hanc etiam doctissimus Heurnius causam de Morbis Dentium cap. XI. adnuserit: ubi olei vitrioli

vitrioli guttulam optimum iis remedium tradit. Quos etiam Guil. Rondelet. Meth. curat. cap. xxxv. innuit, viditque post Matth. de Gradi in ix. Ras. cap. xxxiv. & xxxix. Gabriel Fallopius, qui lib. de Vlceribus cap. xiix. iis eliciendis potri semina suo experimento longe efficaciora tradit hyoscyamo. Sed & pituitam crassiusculam alterci suffitu prolectam vermibus non dissimilem constat. Huius vero fumus ob vim stupefactiuam minus mihi videtur tutus, etiamsi eius semen, maximeque maturum, foliis minus nocivum. Quamuis enim caput velandum moneat Enchiridii medici autor, quod à Fernelio prima habuisse videtur lineamenta, priusquam Iacobus Cahagnesius titulo partem decorasset; vereor tamen ne fumus mentis arci infestus per interiores cauitates facilius quã per externas ad cerebrum permeet. Quin imo Iacobus Hollerius Perioche v. ad lib. i. Gal. de Compos. med. sec. loc. quod ab antiquis medicis traditum de suffumigio è semine hyoscyami, fabulosum putat: eo tamen incenso euolare tanquam vermiculos, etiamsi fumus non attingit vermiculosum dentem. Hyoscyami vero albi semen probat Mesue lib. ii. cap. vii. ubi Iacobus de Partibus cum Auicen. Fen. vii. Tert. cap. xiix. dentem intelligit, in quo vermis esse creditur.

L V.


Herbam rhododaphnen.] Hæc & quæ sequuntur, ut valetudini parum tuta, exclusit Marcellus, cuius hæc sunt verba: *Item commanducare proderit mentastrum, vel radicem cotyledonis*, &c. Spero tamen autoris verba sine offendiculo sic legi posse: *& saliuam dolentibus pusillo diutius continere, & ita biantem pati saliuam decurrere*: Periculi enim tes plena foret, saliuam deglutire, imo medicorum institutis aduersaiut vere moneat Celsus *vitandum, ne quod haustum erit deuoretur*: nisi *traiicere* idem significet, quod postrema sententiæ verba. Hoc vero ineptum, quandoquidem saliua aliquamdiu retinenda. Verum ne optimum autorem sine causa mutilemus, omnia erunt salua, si, quod credo, putet humorem extra dentes traiectum, ut dolorem leniat, aliquamdiu continendum, antequam ore aperto fluat. Qua ratione, si cui adhuc *traiicere* grauius videbitur, facile patiar *trahere* substituat: quod rei & autoris menti conuenientissimum est. Ita Celso lib. iv. cap. vii. *materiam trahere* ac *euocare* eodem modo venit. At vero Scribonii verbo nihil commodius exprimit allecti liquoris propulsum, qui inter mandendum lingua peragitur. Quamuis autem Rhododaphne cum hominibus tum pleris que animantibus exitialis tota essentia, si assumatur, Galeno teste de Simpl. medic. facult. lib. xix, post Dioscoridem lib. iv. cap. lxxxii. quem Plin. lib. xvi. cap. xx. & lib. xxiv. cap. xi. expressit, consentiente Apuleio Metam. lib. iv. qui cuncto pecori cibum letalem pronunciat: nihilominus ea heic satis apta; siquidem foris digerit, eodem autore. Sicca quippe ordine primo, & calida tertio. Quid vero illud Galeni Suasoriæ ad Artes cap. vi. de Athletis: *ῥοδοδάφναις τὰ νῶτα διαχναίοντα*? Interpretes enim hæc verba varie verterunt. Ludouicus Bellisarius Mutinensis medicus: *terga rhododaphnis dirumpuntur*. Erasmus Roterodamus: *Rhododaphnes maculis terga notantur*. Vterque satis obscure. Melius fortasse: *terga rhododaphnis cæduntur*. Quod nec aliis doctrinæ fama clarissimis viris displicuit. In quorum

con-

confessu quum ista proposuissem, in varias ii partes abiere. Quidam nempe mihi annuentes frutice flexibili tergora cædi putabant, ut pleniori habitu veluti scarificatione quadam sanguis eliceretur. At maiori compendio id cucurbitulis fieri potuit, quarum frequentem isti æuo usum Galenus ubique testatum reliquit. Alii Roterodamo fauentes floribus rhododaphnes hac ratione terga censebant potuisse infici, ut nudis in arena certantibus venustas accederet. Quænam vero illa? Antiquorum certe monumentis, quod viderim, necdum tale quidpiam proditum. Neque ea luctæ meta fuit, sed ut viribus torosis animi robur ostenderent. Verius igitur hac stirpe Italiæ satis familiari tergora ipsorum à pædotribis ad tubotem percutiebantur, quo uberiori sanguine attracto continuis laboribus macerati habitiores fierent. Quod nec ab Erasmi verbis alienum, nec à mente Galeni, qui etiam eodem loco saginæ meminit: cuius ad corporis incrementum isti mortalium generi princeps cura fuit. Hucne Epictetus aciem intendit, quando Enchiridii cap. xxxv. affirmat, qui se lanistæ tradit, *μαστιγωθῆναι flagris cædi*. Quæsitum porro fuit à curiosis, quid magis rhododaphne, quam vite, cuius non rarior habebatur copia? Numquid ut periculi memoriam reuocaret? Rhododaphnes quippe florem labores præsagire affirmat Artemidorus Oneirocrit. lib. I. cap. LXXIX; qui lib. II. cap. LXIX. addit, rhododaphne refectionem significari. Meam tandem sententiam ut libere quoque proferam, suspicor athletarum terga rhododaphnes foliis tanquam strigile defricari solita, ut à fordibus palæstræ unctione & pulverea volutatione collectis nitidiora comparerent. Hoc enim innuit *διακνίσαι*. Quam cultus rationem ceu notam Galenus transiit, dum oratoris more corporis exercitationem cum animi studio confert, etiamsi gymnastarum valetudini præfectus nihil heic ignotauerit. Non multum tamen reluctabor, sensim verberando prolectum etiam istius fruticis acumine ad feriendum non usque inepto sanguinem minori fortassis dolore, quam si ferro cutis incideretur percutiendo, vel quod Galeno de Scarificatione cap. postr. magis placet, si trahendo fieret scarificatio. Quantum ea contulerit athletis, procliue fuerit ex Oribasio intelligere; cuius Lib. de Scarificat. cap. xx. hæc sunt verba: *Nihil æque sane ad conuenientem bonamque renutritionem ducit, ut sanguinis per scarificationem exhaustio*. Quam Augustini Gadaldini versionem libens relinquo. Nam & Apuleio Metam. lib. II. non displicuit *Lagena facilis hauritu*. Scarificationem vero diversis procuratam adminiculis vix est quod dubitem, siquidem Columella lib. VI. cap. XVII. diserte nominat *scarificationem ferro factam*.

Mentastrum,] Diosc. lib. III. cap. XLII: *Mentha siluestris odore magis viroso, quare minus ad sanorum usus expetitur*. Nihil tamen graue, dum valetudini profit. Nam & rudioribus in usum venisse tradit Celsus lib. VI. cap. IX. quem libens heic addo: *Agrestium experimento cognitum, quum dens dolet, herbam mentastrum cum suis radicibus velli debere, & in peluem coniici, supraque aquam infundi, collocarique iuxta sedentem hominem undique veste contectum, tum in peluem candentes silices demitti, sic ut aqua tegantur, hominemque cum hiante ore vaporem excipere undique inclusum. Nam & sudor plurimus sequitur, & per os continens pituita defluit, idque sæpe longiorem, sæpe annuam valetudinem bonam præstat*.

Κοτυληδόν@.] Hesichius & Phauorinus: Κοτυληδών, πόας εἶδος. De qua Dioscorides lib. IV. cap. XCII. Κοτυληδὼν, οἱ δὲ σκυτάλιον, οἱ δὲ κυμβάλιον, φύλλον ἔχει, ὥσπερ ὀξύβαφον, περιφερὲς, λεληθότως κοῖλον. Plinius antiqui codicis fide lib. XXV. cap. XIII. *Cotyledon pingui folio & concauo, ut coxendicis acetabulum.* Oribasio Coll. medic. lib. XI. *Vmbilicus Veneris.* Interpreti pariter Dioscoridis, Iacobo Goupylo forsan; qui cap. XCIII. addidit, *Cymbalion aliqui vocant*; Marcello Burdigalensi cap. XIV. *Herba Cymbalites.* Prima Dodonæi est, licet is alteram Κυμβάλιον dici moneat Histor. stirp. Pempt. I. lib. V. cap. XII. Hadrianus Turnebus Aduers. lib. XXVI. cap. XXXIII. Cymbali figuram hinc depromendam putat. Ea vero, quam Laurentius Pignorius ex antiquitatibus Romanis in Commentario de Seruis exhibuit, præter leuem cauitatem rotundamque speciem, nihil cotyledoni simile habet. Nam herbæ folia sunt leuiter crenata, & ineuidenter concaua deprehenduntur. At medici non exactam ubique figuræ similitudinem exprimunt, communi ut plurimum ratione contenti. Nec Dioscorides cap. XCIII. ait Cymbala fuisse eius figuræ, qua cotyledonis folia; sed nonnullis vocari cymbalium: quod Latinus interpres cap. XCII. recte omisit. Nam & hoc sequenti capiti aliunde accessisse notarunt eruditiores. Quod de Vmbilico Veneris pariter moneo, quicquid Lonicerus Nicandri interpres ad Theriaca referat. Scribonius tamen, qui multa ex eo descripsit, cotyledonis folia cymbalis affirmat similia. Et sane cymbalum, quod Pignorius præbuit acetabuli forma, Dioscoridi optime accedit; imo ceteris præferendum credo, ut magis germanum.



Cymbalum vero matris Deorum sactis inuentum accepimus. De quo Martialis lib. XIV. Epigr. CCIV.

Aera Celeneos lugentia matris amores.
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

Clementis Alexandrini indicio bellicum id etiam instrumentum Arabibus, ad tinnitum acutiorem, cuius meminit Apuleius IIX. Metamorphoseon, bene cauum suisque oris leuigatum conueniebat. Nam cymbala ad ipsum aerem acta, nisi concaua, non tinniunt, ut vere Seneca Qu. natur. lib. II. cap. XXIX. Nec alio nomine gentium doctor I. Corinth. XIII. vers. I. ei sese comparat. Huius generis vix crediderim, quod Pignorius in Tornacensi monumento prodidit. Quia crotalum ei similius depictum in veteri libro bibliothecæ Vaticanæ, qui Fului

Vr-

Vrsini erat. Equidem auribus id gratum fuisse credo, quoniam conuiuiis adhibitum indicat Cicero in Pisonem. Petronius etiam: *intrans cymbalistria & concrepans æra omnes excitauit*: Quod Clemens Alexandrinus etiam confirmat, qui Pædag. lib. II. cap. IV. lasciuis conuiuiorum instrumentis adnumerat. Celsus proinde lib. III. cap. XIIX. ad discutiendas tristes cogitationes laudat. Nec vero ipsius in sacris usum dissimulat Hero Alexandrinus περὶ αὐτοματοποιητικῆς, purpurati quondam patris Dominici Grimanni, nunc Illustrissimi Antonii Grimanni munere in bibliotheca Viri Clarissimi Thomæ Bartholini politissime scriptus & vulgato plenior, qui de Ara loquutus ita pergit: Μετὰ δὲ τὸ σπεῖσαι πρώτως τὸν διόνυσον, δεήσει κυμβάλων καὶ τυμπάνων κτύπον γενέσθαι. γίνεται δὲ καὶ τοῦτο οὕτως. Ἐν τῇ καταβάσει ἐν ᾗ εἰσὶ καὶ οἱ τροχοί, ἀγγεῖον τίθεται ἔχον σφαιρία μολιβδᾶ συῤῥέοντα εἰς τὸν πυθμένα. ἐν δὲ τῷ πυθμένι τρῆμα γίνεται εὐλύτως δυνάμενον δέξασθαι τὰ σφαιρία, κλειθρίον ἔχον ἀνοιγόμενον ὑπὸ τῆς σπάρτου ὅταν δέῃ. ὑπόκειται δὲ τῷ τρήματι τυμπάνιον ἀποκεκλιμένον, καὶ τούτῳ ἐξήρτηται κυμβάλιον. ἐκπίπτοντα οὖν τὰ σφαιρία κρούσει πρῶτον τὸ τυμπάνιον, καὶ ἐκ τούτου ἀποπίπτοντα εἰς τὸ κυμβάλιον, τὸν ἦχον ἀποτελέσει. Lucas Holstenius pro singulari candore suo vere monuit, pro ἐν τῇ καταβάσει reponendum κάτω βάσει, ad superioris cornicis discrimen, quæ aliam ædiculæ basin refert: eaque verba sic Latinæ consuetudini reddidit. *Postquam Bacchus primo vinum libauerit, cymbalorum & tympanorum sonitus excitandus erit. Hoc autem ita fit. In basi inferiore, in qua sunt & rotæ, vasculum ponitur, habens globulos plumbeos simul ac certatim in fundum vergentes. In fundo autem foramen fit, quod facile possit recipere globulos, habens repagulum, quod funiculo ubi opus est aperitur. Foramini autem supponitur paruum tympanum; indeque dilabentes in cymbalum sonum illum efficient.*

Cymbalis] Inde Cymbalaria, quam Patauinorum hodie appellamus, ob copiosum eius in agro Patauino prouentum.

Nasciturque fere in parietibus] Vidi etiam ex trabe reticula erumpentem in vico Stratæ ad Brentam fluuium quinto ab urbe Patauina lapide; quo secesseram grassante passim pestilentia. Scribonius autem locum natalem non incassum indicat, ne qua error officiat. Nam palustribus etiam in locis repetitur, quæ ab illa subfrigida & humida leuiterque adstringente viribus omnino diuersa, utpote calida, quandoquidem nonnihil acris, ut notauit Dodon histor. stirp. Pempt. I. lib. V. cap. XIII. Qua ratione forsan ceteris heic enumeratis non foret ineptior.

Pyrethri quoque radix] Vi caustica Gal. de simpl. fac. lib. IIX. Vrentem quippe vim habet, & dentium perfrigeratorum dolores mitigat. Ægin. lib. VII. cap. III. Æt. Tetrab. I. Serm. I. Oribas. de virt. Simpl. lib. II. cap. I. modo calor ingens non adsit.

Dolenti] Dolenti denti, ut Composit. insequente Marcellus.

L V I.

Denti toti] *Denti dolenti*. Marcellus. At Scribonius aliquanto significantius, Celsus quoque lib. VI. cap. IX. indicat *quædam quasi cataplasmata in dentem ipsum illini*.

Peucedani succi] Ratio colligendi succum Peucedani apud Dioscoridem lib. III. cap. XCII. qui ad mitigandum dentium dolorem eorum cauernis inditur.

Sine granis] Id est, vinaciis. Pallad. de re rust. lib. X. Tit. XI. *Vinacia, quæ in granis celantur, hoc est, grana.*

Feruentissimo oleo] Cauterii vice. Quod commodissimum, quandoquidem cetera cauteria attrahunt, ut docet Galen. Meth. med. lib. XIII. cap. VI. oleum vero calidum dolores quodammodo mitigare monuit ipse in Aph. V. Hipp. lib. VI. comm. VI. de morb. vulgar. Non minus efficax eodem genere oleum chalcanthi, aut sulfuris. Tutius forsan, quod iubet Celsus, *specillum lana inuolutum in calidum oleum demittitur, eoque ipse dens fouetur.* Dentium quoque dolori utile deprehendimus oleum Heraclinum Martini Rulandi, quod à Ioanne Hartmanno Chymiatro Academiæ Marpurgensis celeberrimo, ex coryli talleolis mense Iunio collectæ per descensum, ut loquuntur, prolectum, post aliquam in arena subterranea moram repetita cum vini spiritu destillatione non ingrati admodum odoris usurpatum memini.

Post hoc, medicamento] Incisum exteratur.

L V I I.

Ex perfrictione] Id est refrigeratione, veluti Comp. CCLVII. ut ut Iacobus Dalechampius ad Plin. lib. XXIII. cap. VII. horrorem exponit. Qualiter legendum quoque apud P. Veget. Art. veterin. lib. I. cap. XXIX. ubi est in vulgatis *perstrictione*: quemadmodum nostris ad ipsum emendationibus luculente confecimus.

Lactis asinini] Gal. de Comp. med. sec. loca lib. V.

Vini Marsici] Hoc enim constringere notat Cæl. Aurelianus Chron. lib. IV. cap. III. cum Gal. de Comp. med. sec. gen. lib. IV. cap. I. qui de Antidot. lib. I. cap. III. austerum prodit. Quo etiam nomine aptius Massico; quod ingeniosus quidam suspicabatur heic ponendum. Seruis olim datum constat ex Plauti Pseudolo; iucundiore gustu, quam posca: de qua Compos. XLVI.

In quo lapathi] In quod. Vid. Comp. CCXX.

Lapathi radices] Diosc. lib. II. cap. CXL: *Lapathi radix in vino cocta adversus dentium dolorem facit.* Quod de siluestri affirmat Ætius Tetr. I. Serm. I.

Quo infectores utuntur ex melle] Ad maiorem euidentiam sic distingue: quo infectores utuntur, e. m.

Quolibet vase æreo,] Marcellus cap. XII. *in quolibet vase, dum ne æneo.* Vere: ne medicamentum acorem dentibus infestum ab ære contrahat.

Donec hoc medicamentum] Marcellus. *Hoc medicamentum primum austerum est, & nimis constringit dentes, postea remissius videtur.* Quod magis probo.

L I I X.

Aceti acerrimi sextarius unus semis, cedriæ] Cedria, Κεδρία Dioscoridi lib. I. cap. CVI. Cedri oleum Galeno de Simpl. facult. lib. VII. dentium dolores leuat, quum ex aceto colluitur, Dioscoridis autoritate. Cuius adulterium Scribonius

bonius diligenter indicat. Dentes tamen confringit ipsorum cauitati indita, quarto nempe ordine calida, partiumque valde tenuium, quod post Dioscoridem & Galenum aduertit Ægin. lib. vii. cap. iii.

Picis aliquam mixturam] Cedrus enim resinam crassiorem, & ad pices faciendas fundit Plinio teste lib. xiv. cap. xx. *Imò Cedrus magna dat picem, quæ Cedria vocatur, dentium doloribus utilissimam*, ait idem lib. xxiv. cap. v. Hinc Petrus Bellonius de medic. fun. lib. iii. cap. i: *Cedria, resina, lacrima, pix*. Qui obseruat. lib. ii. cap. xlii. corpora defunctorum ea olim condita prodit, non sine autoritate Dioscoridis lib. i. cap. cvi.

Coquuntur, teda] Deme incisum. In MSS Plin. libris *Tæda*, non *Teda*, reperitur. Quod Salmasius videtur probare, siquidem Græcis δαὶς δαιδὸς, δαΐς. Postrema tamen Plinii editio Elseuiriana diphthongum non haber: nec liber scriptus bibliothecæ Vaticanæ.

Teda pingui] Id est, viridi; Spatham quoque ex teda Galen. lib. v. cap. ix. de Comp. med. sec. loca proponit, forsan ob vim adstringendi: Apophlegmatismum etiam dentium dolori iubet fieri rude tedæ de re med. facil. parab. cap. xii. Acopis vero spatham ex teda fieri tradit Dioscorides lib. i. cap. lxxxvii. itemque Piceæ teda, si in aceto coquatur, & decocto dens colluatur, dolores tolli. Quod in literas etiam retulit Plin. lib. xxiv. cap. vii. qui lib. xvii. cap. xxiv. arbores, quæ resinam ferunt, nimia pinguitudine in tedam putat mutari. Qua procul dubio ratione lib. xv i. cap. x. affirmat Laricis morbum esse, ut teda fiat. Verius Dioscorides de Picea: Τὸ ἐξ αὐτῆς δαδίον, vel quod magis placet ἐξ αὐτῶν, quandoquidem Πίτυς & πεύκη ἰδία διαφέρουσι. Nepetam pariter cum teda pingui in aceto coqui suadet Celsus in dolore dentium.

Temperati] Marcellus *temperatam*. Eadem Scribonii sententia, cuius verba si forte mutanda, malò temperatum, veluti Compos. lxxxiii.

L I X.

Dentifricium] Theodorus Priscianus, qui vulgo Octauius Horatianus lib. i. cap. xiv: *Dentifricia & saluti & ornatui, & semper vitiosis dentibus, profuere.*

Hordeaceæ] Libri omnes. Ruellius sine adspiratione.

In globulos] Mercurialis Practicæ lib. i. cap. iii. ait Globulos fuisse medicamenta, quæ conseruata, humore quodam postea liquata propinabantur.

Salis fossicii] Hunc Plinius Valerianus lib. ii. cap. xxx. Montanum appellat, quem in omni salis genere efficacissimum tradit Oribasius Collect. medic. lib. xiii. ex Diosc. lib. v. cap. cxxvi: marino meliorem censet Varro de re rust. lib. ii. cap. xi. Quoniam substantia magis densa, adeoque vis adstringendi ob crassitiem partium ei maior est. Gal. Simplic. xi. & Æt. Tetr. i. Serm. ii. cap. xliii. etiam, ob amaritudinem admixtam, detergit magis, ac digerit. Gal. de Simpl. fac. lib. iv. cap. xx. communi metallorum genere comprehensus, lib. ix. Rationem urendi salem fossilem habet Diosc. lib. v. cap. cxxvi.

Tunc terere] f. tum terere. Vid. Lexicon.

Spicæ nardi] Quæ mediocriter adstringit Galeno teste de Comp. med. sec. loca lib. iv. cap. i.

Quod satis videbitur] Marcellus: *Quod satis videbitur ad odorem faciundum. Hoc Octauia Augusti soror usa est*. Nec legi posse aliter, ostendunt ipsa Scribonii verba.

Octauia Augusti Soror] Strabo lib. XIV. Κάισαρος ἀδελφή. Guilielmus Xylander tamen vertit *filia*. Quod miror Isaacum Casaubonum haud animaduertisse. Nec Straboni dissimilis in Marcello Plutarchus. De hac Tacit. Annal. lib. XV. cap. XLIV.

L X.

Ad dentium dolorem] Verum huius compositionis initium.

Radicis edulis] Id est, raphani. Marcell. cap. XIX. Sic Ῥαφανὸς Dioscoridis Alexipharmac. cap. XXIII; non ut habent quidam libri ῥαφανίς. Autori Compos. CXCIX. Radix, quam edimus. Calida est ordine primo, sicca secundo; digerit, Oribas. Coll. med. lib. XV. & de virt. Simpl. lib. II. cap. I. imo ipse fatetur valde calefacere.

Vitrum candidum] Plin. lib. XXXVI. cap. XXVI. de Vitro: *Maximus honos in candido translucente quam proxima crystalli similitudine*. Huic usto vim esse detergendi subinnuit Galen. de Simplic. facult. lib. IX.

Spica.] Sunt qui addendum censent nardi. Nec renuo. Scribonius enim sic eius mox facit mentionem, ut quam velit facile constet. Nardum tamen Indicam quoque videtur significare, quæ primo ordine calida, secundo sicca, & subadstringens. Quo etiam nomine ut roborans à Galeno laudatur Meth. med. lib. IIX. cap. V. Hæc fortior est, quàm Syriaca iudicio Æginetæ lib. VII. cap. III. & Oribas. de Simplic. Virt. lib. II. cap. I.

Olla noua] Vt ignem diutius ferat. Medicamentum enim percoquendum. In hanc sententiam Plin. lib. XXXIV. cap. XIIX: *in fictili crudo coquunt in caminis, donec percoquatur figlinum*. Quo etiam modo Scribonius Comp. CLVI. vaso fictili nouo coquitur. Itemque apud Dioscor. lib. I. cap. LXXXI. lib. II. cap. LXIII. & lib. V. cap. CXXXIII. *ὠμῇ χύτρᾳ, cruda olla*, id est, recens, ignem non experta; seu quemadmodum Palladius de re rust. lib. IX. Tit. IIX. *Vas figuli siccum, neque coctum*. Ad Lexic.

Salis fossicii] Talis apud Rhodios. In Hispania quoque indicio Strabonis lib. V. & India lib. III. Quod nec præteriit Plin. lib. XXXI. cap. VII. Nostra etiam ætate in Polonia eruitur.

Quasi tabulata interponunt] Id est, tabulas stratas. Vulgus medicorum ait, stratum supra stratum facere. Palladius de re rustic. lib. XII. Tit. VII. paulo elegantius clariusque: *facere straturam alterno ordine subinde crescentem*. Columella de re rust. lib. XII. cap. XIII. adhuc planius: *sal substernitur, iterum sal superponitur*. Similitudo sane venusta. Tabulata nempe furcis innixa spectatores in circo sustinebant: quanquam & cuiuscunque ædificii tabulata fiunt, uti turris apud Cæs. de bello Gall. lib. VI. fumarii, Columellæ lib. I. cap. VI. quo fumus peruenit, lib. II. cap. X. itemque Casealis lib. VII. cap. IIX. atque IX. Gallinariorum lib. IIX. cap. III. Nauis quoque Σανίδες Iul. Poll. lib. I. cap. IX. num. III. Rodolpho Gualthero interpreti Latino idem valent; quæ Virgilio IV. & VI. Æn. *Fori*.

For-


Fornace balneatiorum,] Huius vice fungitur apud medicos nostra ætate chymicorum ignis, quem Reuerberii appellant; maiori etiam compendio fornax calcaria. Enimuero calore opus est vehementi, cuiusmodi balneatiorum: quæ loca olim balneis destinata. Eorum hunc situm Columella rei rusticæ lib. I. cap. VI. præcepit: *Balnearia occidenti æstiuo aduertantur, ut sint post meridiem & usquem vesperum inlustria.* Et Vitruuius Architect. lib. VI. cap. VII: *Balnearia occidentem hibernum spectent.* Itemque ad uberiorem fortassis calorem, cap. IX: *Balnearia coniuncta sint culinæ*, uterque bene. Lauacra enim apud antiquos vesperi celebrata; ubi quouis anni tempore specularibus labentem diem excipere opus erat. Quod potissimum de priuatis balneis intelligo; cuiusmodi Tullius ad Atticum lib. XIII. Ep. XXIX. in villa etiam balneatia memorat hiberna: quæ cum æstiuis forsan Plinius eleganter lib. II. Epist. XVII. & lib. V. Ep. VI. clarius ob oculos ponit, meritoria collaudans è publicis; quæ non oppidorum modo, liberali Imperatorum indulgentia populo exhibita; etiamsi ne hæc quidem semper fuere sine mercede, ærario nempe Cæsarum prodigalitate, bellique cladibus exhausto, & crescentibus immane tot dilinimentorum sumtibus; verum etiam ciuium, qui ea locabant: qualia Martialis memorat lib. I. Ep. IX.


Lupi tenebrosaque balnea Grylli.

Quibus & gratuita ab Agrippa primum instituta hospitibus accessisse planum faciunt lapidum tituli: quæ etiam priuata lautioribus interdum fuerunt. Sed quoniam populus non ad solam valetudinem, verum ad delicias frequens in publicis lauabatur, vatiique non optimæ interdum notæ sese intermiscebant, Catullus lepide Carm. XXXIV: *O furum optime balneariorum*. Vestium nempe insidiatorem versutissimum notat; quem Iul. Paulus receptar. Sententiar. lib. V. Tit. III. *furem* siue *raptorem balnearum*, Tertullianus in Apologetico *Lauantium prædonem*, & lib. de Fuga in persecutione cap. XIII. *furem balnearum* nominat: cui sceleri Aristoteles mortalem sanciram refert legem Probl. XXIX. Sect. XIV. Mitiori tamen iudicio Vlpianus in L. I. D. De fur. baln. eos extra ordinem audiendos pronunciat. Nec facinus præteriit Epictetus integerrimæ vitæ philosophus Enchiridii cap. IX. Singulas quidem balneariorum partes heic persequi non est mei instituti, quanquam & in tanta priscorum rituum obscuritate foret operæ. Balneorum nihilominus formam Ioannis Antonii Sicci Cremensis diligentia vulgatam inspicere iuuabit: quandoquidem Frigidarii, Tepidarii, & Caldarii veriorem ostendit speciem, quam è Vitruuii lib. V. cap. X. Gulielmus Choul & Andreas Baccius. At vero perspicaciorem Seneca videtur caldarii modum docere Natural. Qu. lib. III. cap. XXIV: *Facere solemus dracones & miliaria & complures formas, in quibus ære tenui fistulas struimus per decliue circumdatas; ut sæpe eumdem ignem ambiens aqua per tantum fluat spatii, quantum efficiendo calori sat est.* Vbi miliarium vas altum & angustum colliges è Palladio de re rust. lib. V. Tit. XIX. quod lib. I. Tit. XL. plane describit. nec fortassis præter sententiam apud Senecam legeris *circumductas*. Fornacis autem structura non usque adhuc manifesta paulo curiosius inuestiganda; Imam ea partem ædificii sub pauimento hypocausti occupabat, quemadmodum & hodie in balneis populorum Orientalium. Apud Romanos

vero

vero tubulis fictilibus undique parieti sursum insertis per omnes thermarum cellas vapor ferebatur, unde calor pro ignis modo varie temperatus. Nec aliter apud Stoicorum principem in Naturalibus balnearia sine igne calefiunt, Addit enim: *Spiritus in illa feruens loco æstuanti infunditur. Hic per tubos lapsus, non aliter quam igne subdito, parietes & vasa balnei calefacit.* Meliori consilio, lausque ingeniose nuper Dominicus Panarolus Medicus Romanus Despotici Calabrini nomine tubulorum orificia suadet obturari tegula, ut vaporibus fumosis exhalantibus per infundibulum peculiare, solo spiritu incalescant, cui pariter spiramentis magis minusue occlusis ex arbitrio modum ponere licebit. Eundem suspicatur Laurentius Ioubertus De Gymnasiis cap. 11. fuisse clypei ænei usum apud Vitruvium Archit. lib. v. cap. x. quem pauci hactenus assequuti, imo interpretes obscuritate rei deterriti prætererunt omnes, neque Choul attigit. Illorum etiam nunc in thermis Diocletianis non longe à Quirinali Romæ quidem supersunt fragmenta: sed omnium euidentissime in veteris hypocausti vestigiis Claudius Menetrius Bisuntinus celebris non ita dudum apud Eminentissimum Franciscum Barberinum omnis antiquitatis condus in Castri Candolfi ciuitatis Albanæ territorio vidit. Romanum vero luxum iure insectatur Annæus Epist. LXXXVI. quando non calere, sed ardere balnea queritur. Inde Lampridius de Commodo: *quum tepidius forte locus esset, balneatorem in fornacem conici iussit.* Immane facinus! At quiduis in seruos licuit, qualis fornacator ille, cui succendendi ignis cura fuit. Nec mirum, insignem fuisse vim caloris, modo ei pabulum non deesset. Plumbeos enim canales frequentes ac spissos eosque quadratos monstrat Romæ laconicum ædi S. Cæciliæ contiguum, in quo sub Clemente IIX. Summo Pontifice corpus eius fuit repertum. Incomparabili Equitis à Puteo humanitate orthographia eius curiosis à me oculis fideliter committitur. Ex his optime intelligitur Proculus in L. *Quidam Iberus* XII. ff. de Seruit. urb. præd. *Quidam Iberius nomine, qui habet post horrea mea insulam, balneariam fecit secundum parietem communem. Non licet autem tubulos habere admotos ad parietem communem, sicut nec parietem quoque suum super parietem communem. De tubulis eo amplius hoc iuris est, quia per eos flamma torretur paries.* Mihi vero locus hic de mendo semper fuit suspectus. Legendum quippe censui *balnearia.* Nec aliter in Pandectis Florentinis, tametsi Accursius *balneariam facere* interpretur balneum omnibus præbere, ea notionis forma qua receptum est *argentariam exercere.* Quidquid sit, eiusmodi occultum iter Vlpiano in L. 111. §. hoc interdictum, ff. de Riuis, vere appellatur *cuniculus, per quem vapor trahitur in balnearijs vaporibus*, ubi in vulgaris codicibus est *balnearijs vaporarijs.* Notius enim quam ut multis probem, veteres B in V commutasse. Iurisconsulto autem præiuit Plinius, apud quem lib. IX. cap. XXXI IX. *cuniculi fornacis longinqui.* At solis tamen balneis eiusmodi tubulos non fuisse aptatos indicat Seneca de Prouidentia cap. IV: *Cuius canationes subditus & parietibus circumfusus calor temperauit, hunc leuis aura non sine periculo stringet.* Quanquam & aliam rationem ostendit Plin. lib. v. Ep. VI: *Cubiculum hieme tepidissimum, quia plurimo sole perfunditur. Cohæret hypocaustum, & si dies nubilus immisso vapore solis vicem supplet.* Suorum vero temporum inuentis adscribit Annæus Epist. XC: *Quædam nostra demum prodisse memoria*







itoria ſcimus: ut ſuſpenſuras balneorum, & impreſſos parietibus tubos, per quos circumfunderetur calor, qui ima ſimul & ſumma foueret æqualiter. Quanto frugalior Hippocratis ætate laconici fabrica, qui Lib. de Victu acut. Comm. IV. T. XLIV. σκέπης ἀκάπνου δεῖ, *Tugurio ſine fumo opus eſt.* Alii, *Tecto opus eſt ſine fumo.* Verius, *operimento.* Nec ea ceſſiſſe Græcis Romanorum primos fatetur idem Epiſt. LXXXVI. quando *in Scipionis Africani villa balneolum anguſtum, tenebricoſum ex conſuetudine antiqua memorat.* Quid vero σκέπην Coo, non uſq; conſtat. Galenus etiam rem obuiam breuitatis forte ſtudio non expoſuit. Formæ orbicularis tale quidem tectum ex vitreis laminis in Ægypto viſum perhibet Proſper Alpinus Med. Ægypt. lib. III. cap. XIV. Cuius generis in orientalibus etiam plagis paſſim. Nec de balnei ſplendore aliter accipiendum arbitror Stoicum: *Vitro abſcondi cameram, latiſque ſpecularibus in caldarium diem admitti.* Adeo temporis proceſſu plurima nata ſunt, iam creſcente luxuria! Tholum autem fuiſſe, quales templorum Italiæ, ſuadet balnei amplitudo, cui tectum vitreum non modo foret ſumtuoſum, ſed minus ab iniuriis tutum. Et ſane Caldarium Galenus de Sanit. tuenda lib. III. cap. XIII. ad Quinti mentem ξηρὸν βαλανεῖον *Siccum balneum* dixit. Fumum ſuis igitur ſpiramentis ita auertendum præcipit Cous, ut ne lucis uſum interuertat. Vetuſtatis inuentum ingenioſe, ut cetera, imitatus recta victus ratione μακρόβιος ille nobilitatis Venetæ ſplendor Aloyſius Cornelius in ædibus Patauii ſuis ad D. Antonii baſilicam muſeum ſubterraneis tubis inſtruxit: quod Sebaſtianus Serlius Bononienſis Architect. lib. VII. cap. III. fidibus aptiſſimum prædicat. Argumento perquam obſcuro facem præferet Laconici Piſani deſcriptio, quam paucis obuiam Viri eruditiſſimi Franciſci Robortelli diligentiæ debemus, digna quæ hoc loco reponatur.

LACONICI, SEV SVDATIONIS,

Quæ adhuc viſitur in ruina balnearum Piſanæ urbis,

AD FRANCISCVM LOTINVM VOLATERRANVM,

FRANCISCI ROBORTELLI VTINENSIS EXPLICATIO.

*Q*Vanti veterum Romanorum monimenta, ſi qua adhuc noſtra ætate alicubi extant, ſint facienda, tum propter admirabile artificium, quod in iis extruendis perſpicitur à ſummis architectis, & peritiſſimis fabris adhibitum, tum

propter

propter elegantiam ipsorum operum, & vetustatem, tute ipse scis LOTINE *præstantissime, aut nemo potius teipso melius scit. Habuit enim olim quædam ætas sub optimis principibus, & IMPP. architectos, fabros, artificesque omnium rerum peritissimos. Quædam rursus alia ætas, culpa plane, ut ego existimo, principum, qui ea negligebant, prorsus ineptos, ac rudes. Verissimum enim illud est: Honore ali artes, iacereque ea, ac dedisci, prorsusque ignorari, quæ negliguntur. Atque maioribus sane Illust. ac Maximi Ducis Florent. II. COSMI, quem honoris causa nomino, viris Clariss. ipsi optimo Duci COSMO tota non modò Hetruria, sed uniuersa etiam Italia hac ætate quicquid ubique venustatis est, ac nitoris in omni genere non solum scientiarum & artium, quæ literis continentur, verum & harum, quæ aut pigmentis, aut ære, aut marmore opera effingunt posteris spectanda, acceptum referre debet. Multos enim magno sumtu alit architectos, ærarios fabros, marmorarios, pictores, qui antiquitatem illam non modò apte imitantur, sed etiam adæquant & superant. Extabunt igitur passim in illius urbibus præclara monimenta, quæ annis permaneant innumerabilibus, & testatum relinquant apud posteros, quam multæ eius generis artes, quæ fere extinctæ videbantur, virtute illius rursus excitatæ, & singulari liberalitate sustentatæ, amplissimisque honoribus cohonestatæ viguerint. Verum hæc aut agam ego alids diligentius, aut alii, qui me doctiores sunt, de illo copiosius prædicabunt. Nunc te oro & obsecro, mi* LOTINE, *ut hæc mea, quæ ad te mitto, libenter legas, Illustrissimoq; Duci nostro, si videbitur, legenda tradas. Is enim, quod à multis audiui, ita omnem totius antiquitatis rationem tenet, ut nihil sit aut ære, aut auro, aut argento, aut marmore effictũ, aut literis vetustioribus consignatum, quod ille non exacte calleat, dignoscat, ac diiudicet. Verùm audi quæso, quid me impulerit ad scribendum. In Pisana hac ciuitate antiquissima, si qua in Hetruria est, monimentũ extat perantiquum ad portam Lucensem, ipso etiam aspectu sanctum prope ac venerandum. Atque utinam superioribus annis maior aliquanto eius habita fuisset ratio à publicis ædilibus & curatoribus viarum, aut enim integrum esset, aut in eius ruina saltem appareret vestigium aliquod formæ illius ædificii, ut quicquid ab antiquis de eo genere summo ingenio scriptum, fuit facile perspici posset. Atque, ut propius rem ipsam attingam; Balneas exædificabant veteres, quibus tum propter curationem corporum tum propter oblectationem etiam (ut opinor) plurimum utebantur. Earum vero ædificandarum eadem ubique semper fuit ratio ab antiquis architectis, Romæ primum, mox in aliis urbibus instituta; tanto quidem artificio excogitata, ut non difficile sit ad iudicandum, quantum ea ætas in omni genere artium excelluerit. Balnearum vero situs ac forma huiusmodi erat. Domicilia quatuor construebantur; quorum nomina hæc erant, Frigidarium, Tepidarium, Caldarium, Sudatio, siue Laconicum; quæ inseruiebant viris, & totidem rursus, quæ inseruiebant fœminis: ita inter se disposita, ut Tepidarium virile coniunctum esset Tepidario muliebri, & reliqua eodem modo cohærerent. De his quatuor domiciliis, præter Vitruvium lib. quinto meminit etiam Lucianus in Hippia. Eam descriptionem qui conferet cum hac, videbit belle conuenire. Nec non Galenus lib. x. Methodi declarat his verbis:*
„ εἰσελθόντες μὲν γὰρ ὁμιλοῦσιν ἀέρι θερμῷ, μετὰ δὲ ταῦτα εἰς ὕδωρ ἐμβαίνουσι θερμόν·
„ εἶτ' ἐξελθόντες εἰς ψυχρόν. εἶτ' ἀπομάττονται τὸν ἱδρῶτα *& quæ sequuntur. Paulo*
„ *post Idem libro undecimo ait:* ἐν μὲν δὴ πρώτῳ μέρει τῶν λουτρῶν, μεμνῆσθαι χρὴ τῶν ὑπάρ-

προσάρξαντα ὅταν ἐν καιρῷ λούονται. & quæ sequuntur, intelligit Caldarium. μετιέναι δὲ »
ἤδη τι πρὸς τὸ δεύτερον αὐτῶν μέρος ὅπερ ἦν αὐτὸ τὸ κυριώτατον προσαγορευόμενον »
λουτρόν. intelligit Tepidarium. μετέλθωμεν οὖν αὖθις ἐπὶ τὸ τρίτον. ἐν ᾧ ψύχεται μὲν »
ἀλύπως τὰ τεθερμασμένα. intelligit Frigidarium. πάντα δὲ εἰς τὴν κατὰ φύσιν ἐπανέρ- »
χεται συμμετρίαν. ὡς δηλοῖ καὶ τὸ τέταρτον τοῦ λουτροῦ μέρος, ἀφ᾽ οὗ γὰρ ἐξεπράχθη καλῶς »
πάντα καὶ μετὰ τὴν τοῦ ψυχροῦ χρῆσιν ἱδροῦσιν ἔτι. intelligit Sudationem, seu Laconi- »
cum: de quo nos in præsentia loquimur. Idem Galenus non multo post inquit: »
εἰ μὲν οὖν αὐτάρκως εἴη θερμὸς ὁ πρῶτος οἶκος ἐν αὐτῷ γυμνασθεὶς ὁ κάμνων εἰς τὸν δεύ- »
τερον εἰσκομιζέσθω. in his verbis Caldarium innuit, & Tepidarium sicuti prius, & »
ordinem ipsorum demonstrat: ἔστω δὲ ὁ μέσος οἶκος οὐ μόνον τῇ θέσει, ἀλλὰ καὶ τῇ κράσει »
τοσούτῳ τοῦ προτέρου θερμότερος ὅσῳ τοῦ τρίτου ψυχρότερος. ἔστω δὲ ὁ ἀὴρ τῶν οἴκων ἁπάντων »
μήτε θερμὸς ἄκρως μήτε ψυχρὸς ἀλλ᾽ εὔκρατος. ἱκανῶς καὶ μετρίως ὑγρός. ἔστω δὲ καὶ τοῦ- »
το προσεκχυθέντος ὕδατος εὐκράτου δαψιλῶς ἐκ τῆς δεξαμενῆς ὡς διαῤῥῆναι διὰ πάν- »
των τῶν οἴκων. Hæc verba diligenter adnotanda. quia omnia ex iis facile intelligi »
possunt, quæ ad balnearum antiquitatem spectant. Paulo post: ἐκκομισθεὶς δ᾽ ἐντεῦ- »
θεν εἰς ὕδωρ ψυχρὸν ἀθρόως βαπτέσθω μηδ᾽ ἐπὶ βραχὺ χρονίζων ἐν αὐτῷ. in prioribus »
verbis de tepidario, & caldario locutus est; in his postremis de frigidario. Erant
igitur (ut redeam ad rem) balnearum simul ædificata domicilia octo, sicuti etiam
nunc Pisis ex amplitudine loci, ubi parietinæ sunt & rudera, cognosci potest. Ex-
tat vero hoc tempore ibidem inter parietinas integrum ferme Laconicum seu Su-
datio à veteribus dicta. De qua præter Vitruuium lib. v. meminit etiam Cornel.
Celsus lib. secundo cap. XVI. his verbis: Sudor etiam duobus modis elicitur, aut »
sicco calore, aut balneo: Siccus calor est, & harenæ calidæ, & laconici, & cliba- »
ni, & quarundam naturalium sudationes, ubi è terra profusus calidus vapor ædi- »
ficio includitur, sicut super Baias in myrtetis habemus. In Laconico hoc Pisano, »
quoniam ante congesta terra, & ruderibus erat oppletum, præter hemisphærium
superius, nulla pars conspiciebatur. nunc vero postquam ædilium opera effodi locus
cœpit, omnes ipsius partes visuntur, & pauimentum etiam ipsum, & pilæ, quæ
pauimentum sustinent, & testudines, quæ sub pauimento sunt, & aluei quidam,
qui inter parietem sunt & pluteum, & concameratæ quædam structuræ, quorum
omnium singillatim explicare rationem conabor, ita ut si cum antiquorum descri-
ptione, ac Vitruuij præsertim, etsi breuiter de ea re scripsit, voluerit aliquis con-
ferre, plane videat omnia belle conuenire. Ac primum eorum explodenda sen-
tentia, qui, quod nunc sub pauimento in testudinibus aqua visitur, aquæductum
fuisse putant, per quem ex balneis calidis, quæ ad tertium lapidem ab urbe Pisana
absunt, sub Iuliani montis radicibus positæ, aquæ in balneas urbanas influerent.
Nam satis constat, cum esset sudatio, non opus fuisse aqua. Deinde quis credat sub
testudines pauimenti aquas defluxisse. cui enim usui fuissent? aut quis veterum de
tali ductu & fluxu aquarum est locutus? Ea igitur, aqua pluvia est, ibi stagnans,
quod eminentior propter ruinas erat ille locus factus; sicuti nunc satis patet intuen-
tibus pauimentum. Verum de hac re satis: nunc reliqua persequor. Laconici usus
hic erat, ut homines in loco eo vaporibus flammæ à testudinibus concameratis per
alueolos egredientibus excalfacto desudarent, & mox aut in tepidario, aut in fri-
gidario, aut in caldario lauarentur. Eius vero ædificandi ratio hæc fuit, ut rotun-
dum esset, seu potius octogonum. Id vero necesse erat, cum hemisphærium esset
super-

superstruendum. Altitudo tanta parietum usque ad hemisphærij inclinationem, quanta latitudo erat in inferioribus pauimenti partibus: id quod aperte visitur in hoc Pisano Laconico. Hemisphærium in medio lumen ad circinum factum habebat, ad quod vapores, qui ascenderant per alueolos, communi concursu ferrentur & exirent. Obstruebatur vero lumen illud in hemisphærio magno quodam æreo instrumento, quod clypeum vocabant. erat enim clypei militaris instar rotundum. nam eiusmodi fuiße clypeum satis declarat Polybius in lib. de castrametatione Romanorum; etsi Lascares parum apte vertit, neque quale esset scutum, qualis clypeus apud Romanos scisse videtur. Clypeum igitur catena ferrea aut reducebant, aut demittebant, ut pro hominum arbitrio, qui lauabantur, caloris temperatura fieret. Verba Vitruvij hæc sunt: Mediumque lumen in hemisphærio relinquatur, ex eoque clypeum æneum catenis pendeat, per cuius reductiones & demissiones perficietur sudationis temperatura. Visuntur vero Pisis in Laconico etiam minora quædam & crebra lumina circa hemisphærij lumen medium rotundum. De quibus etsi Vitruvius nullam facit mentionem, facile tamen credi potest, ea facta, ut facilius exirent vapores è Sudatione. Atque sane id postulabat magnitudo caloris, cum præsertim hemisphærium clypeo erat obstructum. Ea vero lumina crebra, cum sesquipedalia fere sint, contecta crediderim operculo æreo, ita tamen, ut ab una parte, quæ ad hemisphærij summitatem vergit, exitus pateret vaporibus. Hemisphærij curuatura ima innititur firmo parieti, ubi altitudo Sudationis tanta est, quanta latitudo. Concamerationum solum sesquipedalibus sternebatur tegulis, quę in Pisana hac Sudatione non obscure cernuntur. Erant super eo solo extructę pilę laterculis bessalibus, aut aliquanto etiam minoribus, dispositę æqualibus inter se internallis, adeo latis, ut supra binas pilas collocarentur singulę tegulę bipedales. Pilas vero vocamus fulcra quędam seu columnas paruas, quę eo, quo diximus, modo collocatę & extructę pauimentum sustinebant. Altitudo earum pilarum erat duorum pedum. nam testudinum concamerationem ampliorem esse non oportebat, ut facilius excalfieri posset Sudatio. De his pilis intellexit Statius, cum ait:

» Quid nunc strata solo referam tabulata crepantes
» Auditura pilas, ubi languidus ignis inerrat;
» Aedibus, & tenuem volvunt Hypocausta vaporem.

Dicant alij quicquid velint. Nam etiam Rhodiginus lib. xvi. cap. xlvii. locum hunc aliter interpretatur. Meam vero sententiam verissimam esse demonstrabunt multo magis ea, quæ postea à me dicentur. Pauimentum supra testudinem superstruebatur innixum pilis & tegulis bipedalibus. Atque eius conficiendi ratio hæc erat. Trullissabatur testa calci mista, sicuti & hac nostra ætate fit in ædium pauimentis. Eam vero compactam esse oportebat ita, ut in tantam crassitiem excresceret pauimentum, quanta esset opus; tectorio seu albario opere ex marmore ita exciso, ut eius altitudo tenuis esset unius fermè digiti, quales laminæ plumbeæ aut ferreæ visuntur. Si enim maior tectorij illius operis altitudo fuißet, peruadere ad summum vis caloris non potuisset. Iam vero cum tanta esset pauimenti altitudo, & tectorij operis, mira quadam proportione tantus conficiebatur calor, ut superstantium pedes oblectaret, & cum esset marmore ad unguem exciso politum, facile stratos etiam ac iacentes homines recipiebat. Hęc omnia apertissime visuntur, & con-

uenıunt

ueniunt cum antiquorum descriptionibus. Pauimentum inclinatum esse oportet ad hypocausin mediam, sicuti etiam in Sudatione Pisana nunc licet videre. Hypocausin voco locum, ubi subter testudines pauimenti ignis subiiciebatur, à quo digrediens flamma sese per totam suspensionem sursum eleuati pauimenti diffundebat, & euagabatur, donec ad alueolos perueniisset. Alueoli inter parietem Sudationis & Pluteum collocabantur ex testa facti. Pluteum voco alterum veluti quendam parietem è regione alterius ædificatum, non admodum latum, sed simplici tantum transuersarum tegularum positione extructum. Crebri autem erant alueoli, ut à multis partibus vapor se posset tollere. Longitudo Alueolorum adæquabat altitudinem pauimenti. neque enim pertingebant solum testudinis: nam recipere non potuissent vapores. Alueolos hos, tubulos vocat Proculus Titulo de Seruit. Vrb. præd. ubi ait: Quidam Iberius nomine, qui habebat post horrea mea „ Insulam, balneariam fecit secundum parietem communem. Non licet autem tu- „ bulos habere admotos ad parietem communem, sicuti neque parietem quoq; suum „ super parietem communem. De tubulis eo amplius hoc iuris est, qua per eos flam- „ ma torretur paries. Huius loci me monuit Ioannes Ronchegallus Iurisc on. Clarissimus, dixitque, cum ante difficilis haberetur, mire illustrari posse inspectione eorum alueolorum, qui in Laconico Pisano sunt; atque ideo inserendum putaui. Vnum me angit, quod video scriptum apud Vitruuium, inter parietem & plutcum esse latitudinem sex pedum; cum exigua latitudo cernatur, ne unus quidem pedis. Crediderim igitur, aut Vitruuium respexisse ad multo maiores Sudationes, quales Romæ erant propter hominum frequentiam; aut dictionem eo in loco esse corruptam. Diligentius igitur res tota consideranda. Super Alueolorum situ paries sudationis cauatus, concameratusque fiebat, eo ferme modo, quo solet fieri, cum simulacrum aliquod marmoreum, aut ligneum alicubi statuendum est. Suprema autem superficies eius concamerationis sursum versus vergebat ad hemisphærium. Atque id optima sane ratione videtur factum. nam vapor sese attollens in eam cameratam superficiem illidebatur, & repercussus ab ea ad medium hemisphærij prouoluebatur. Patet spectantibus res tota. nam adhuc fumosa fuligine cameræ ille nigræ visuntur. Præfurnii cuiusdam os satis amplum cernitur in sudatione hac Pisana, quod omnino sub pauimento erat; atque per illud à balneatoribus (opinor) ignis subiiciebatur. cumque caldarium, aut tepidarium esset commentum sudationi, ab altera quoque parte usum caldario aut tepidario præbebat. De quibus, quoniam nullum ipsorum extat vestigium, non ausim quippiam pro certo affirmare. Hæc ego diligenter in Sudatione Pisana intuitus sum, quamuis à Vitruvio omnia non exprimantur. Vir enim ille, quod suæ ætatis hominibus nota esse putabat, multa prætermisit, neque posteritatem respexit, dum ea scriberet. argutius enim & subtilius fuissent singula describenda. Te autem oratum velim, mi LOTINE, ut pro tua authoritate, qua maxima es ob incredibilem virtutem tuam & sapientiam apud Illustr. Floren. Ducem, ei suadeas, ut ædilibus Pisanæ urbis mandet, curent loca ea omnia quamprimum effodienda, & expurganda. Sic enim, si ad pauimentum (quod erit facile factu) deuentum fuerit, omnia fortasse perspici poterunt, & cum antiquorum descriptione conferri. Non contemnenda hæc est antiquitatis monimenti huius, in hac præsertim vetustissima & nobiliss. urbe, in qua Optimus Dux omnium liberalium artium studia, pro sua singulari clementia & li-

beralitate constituit, sedemque esse voluit Musarum, hoc est, ut ego interpretor, omnium earum disciplinarum, quę literis continentur. Spectabunt studiosi antiquitatis, qui plurimi sunt, Sudationem hanc, seu Laconicum Pisanum, magna cum animi voluptate, & miris modis ad totum hoc studiorum genus excitabuntur. Effice igitur, ut Opt. Dux velit iubeatq; Laconicum hoc, uti integrum nunc est, diligenter asseruari, & occludi, ne in illud passim ab omnibus eatur, rursusque superstrui tectorum, quod nuper inde ablatum fuit, & si libuerit, etiam clypeum ad medium lumen apponi, & omnia, quę videbuntur diruta, resarciri. Hoc si ab Opt. Duce (uti plane confido) impetraris, non solum me, sed etiam omnes antiquitatis studiosos in perpetuum beneficio tuo tibi deuinxeris. Confido autem, quoniam iam diu perspexi nihil maiore studio illum curare, quam eorum commoda, & voluptatem, qui sese literis totos dediderunt. Vale. In Pisana Academia. Idibus Ianuarii. M D X L I I X.

Optatissimum sane votum. Sed non respondit exitus temporum iniuria: quæ non ruinas modo edidit quotidie, sed in priuatos abiectosque usus tandem cessit ædificium. Quod olim inspectum à me leuius ne curiosorum memoriam effugeret, elegantissimi Viri Francisci Matiæ Ceffini patricii Florentini humanitate factum, quod in posterum eruditis heic pateant, quæ Robortellus fortasse negotiosior prætererat.

IOANNI RHODIO VIRO CLARISSIMO FRANCISCVS MARIA CEFFINVS S.

INter vetustiora Ciuitatis huius præclarissima monumenta inconcussum adhuc & nobile vestigium antiquitatis conspicitur apud Lucensem Portam, ex superstitibus Balneorum fragmentis Sudatorium omni ex parte incolume, licet incuria neglectum publicorum Ædilium, ac pene notum nulli indigenarum; vel quia sordescant domi, quæ foris grauiter inquiruntur, vel quia, pauci quum sint Pisani studiis hisce nauantes operam, pauci etiam sunt, qui venerandum istum ac fere sacrosanctum locum animaduertant. Amplissimum ibi Thermarum spatium occupant parietinæ ac rudera, infelices ruinarum reliquiæ, quæ spinis & urtica penitus obrutæ obliterarent omnino quamcunque priscam memoriam, nisi solum hortensibus areis destinatum palam faceret aliquando absconditos vetustatis thesauros, & excitaret fabricam inter congestos lapides, difficéque fundamenta iacentem, in quam quum inscii cultores offendunt, aut bipalium lædunt, aut ligonem obtundunt. Nunquam ibi balnea credidissem, nisi curiosa quadam indagatione, quum Pisas tiro me contuli, rogassem huius Studii Professores, ut structuram illam docerent, quam ingenti ruina fuisse quondam coniectabam insignem. Mirabar lateritiam molem glıscente bellorum rabie, & irato temporis morsu in duas partes discissam efformare duas veluti turres, ubi cellarum apparerent vestigia, & fornicum arquatæ testudines, & ductiles tubulorum canales conspicerentur. Earum altitudo iam decurtata


ad

ad xxx fere ulnas accedit, crassitudo quaqua versum decempedalis est, sed angulos, aut verbuas crediderim, vel aliquam balnei partem, qua cameræ iungerentur, quum ibi nullus sit murus, aut alterius formæ dignoscatur figura. Exterior superficies ex lateribus constat, interior materies ex duro tenacissimoque cæmento. Supremum verticem caprificus oleæque silvestris frutex obumbrant, inferiorem partem herbosi virentesque cespites circumcingunt: ad dextram Lucensem portam ingresso muri humiliores visuntur iucundi specie, sed deformati fracturis; quorum fundamentis ita nititur casa, & falgamarii cuiusdam officina, ut magnificam Laconici substructionem imbricato tecto nouisque parietibus inductis undequaque celatam tegat. Per angustum tamen ostiolum ad augustum patet aditus ædificium: quod tam priscam redolet maiestatem, ut, si nihil ei detractum aut additum foret, horreret quicunque ad aspectum loci tam affabre fabrefacti perculsus. Minuit aliquid formæ furnus ibi olim à pistore constructus, admotosq; impedit gressus lignorum & focularium fascium coaceruata congeries. Mirifice tamen oculos recreat testudo, nullo visum effringente impedimento, caligine ac fumo aliquantisper ad fenestras & hemisphærium denigrata. Heic ego sæpius cum auditoribus meis ad animi fatigati leuamen singillatim sum contemplatus unamquamque loci particulam. Heic Rinaldinus noster egregius Physices Mathesisque Professor remotis per amicas manus impeditionibus, ut potuit, formam ad viuum delineauit. Delineauerat etiam meis precibus Nauarrettus Eques, & equestribus ornamentis & pictura præcipue insignis. Sed antequam postremam apposuisset tabulæ manum, mors admota falce fatali & lineas & vitam deleuit. Heic videte est cuicumque, ut per alligatam graphidem cernes, non rotunda, sed octogona forma Sudationem constructam, tum ad pulcritudinem augendam, cum etiam ad præbendam sudandi commoditatem. Videbis eam in octo partes distingui, totidemque fenestras in hemisphærii pandere curuatura, ut lucidiori fulgore conuestiretur: quadratas animaduertes, & eo ordine concinnatas, ut singulæ singulis respondeant, & orbiculare foramen in testudinis summitate cauatum apta circumuallatione coronent. Vnaquæque pars concauo muro ac superficie usque ad inclinationem concamerata adinstar statuariæ thecæ sessionem struit mirificam, qua, quum balneatores insisterent vapor rotunditate illisus ac repercussus sudorem facilius è subiectis corporibus eliceret. Pauimentum inclinatur ad hypocausin; ubi subter testudineas caueas ignis per propnigæum, quod non longe abest, paulatim ingressus per suspensionem sursum sublimem ubique intus ad tubulos vagarentur. Testacei enim crebrique, seu Tubulos seu Canaliculos voces, exteriori muro Sudationisque pariete conclusi usque ad solum testudinis extenduntur, ut calor facilius per eos loculamentis infunderetur. Solum ipsum pedum iactatione percussum gemitum edit non iniucundum, & concamerationem, quam fodiendo inuenit, per semetipsum ostendit. Sustinetur testudine, nititur pilis, & bipedalibus tegulis, & iisdem sesquipedalibus aliquibus in locis consternebatur, crassitie non admodum pingui calce trullissatum, & testa, ut admota intus flamma leuior superstantium titillaret pedes, & iacentium membra moderato calore foueret. Eius latitudo eadem est cum altitudine Sudatorii, si eam usque ad hemisphærii curuaturam firmo parieti nixam dimetiatis, non au-

tem ad summitatem, ulnarum scilicet undecim, siue si malis palmis Romanis metari XXXVI.

Hæc omnia ad exquisitam trutinam si perpendantur, Vitruuii, Celsi, Galeni, aliisque scriptorum locis respondent, nec ab erudito Balneorum Tractatu Baccii separantur; neque ab huius Laconici descriptione à Robortello confecta discrepant. Duæ tamen animum ancipiti dubietate difficultates discruciant; Vnum, quod pilas ab eo accurate delineatas inuenire mihi non licuit, diruto pauimento forsan inscitorum manibus dissipatas ruderibusque sepultas. Alterum, quod tot luminum usum inuestigare adhuc sedula indagatione non valui; quum foramen illud in circinum excauatum satis amplum ad illustrandam ex hemisphærio cellam videatur. Nec præter illud, ex quo æreus clypeus apte suspensus catenis pro cuiusque arbitrio demissione ac reductione perficiebat sudationis temperaturam, ullum aliud apud scriptores inuenio. Robortellus sesquipedales hasce fenestras ita contectas æreo putauit operculo, ut ex superna parte ad testudinis culmen vergente exitus pateret vaporibus, ne ignei vis caloris sudantes opprimeret aut suffocaret. Sed eius sententiam meis calculis approbare vix possum, quum potius ad ornatum, quam ad necessitatem factas indicent satis scriptores; qui eas omnino prætermittunt. Potest tamen facile fieri, ut obicibus vitreis, aut lucidis lapidibus, quos speculares appellat Plinius, conuestitæ vaporem retinerent vagantem, & lucem luculentiorem admitterent, vapore nimio per amplius foramen emisso. Ego tamen id lubentissime doctiorum coniecturis & tuis remitto sola loci descriptione contentus.

Habes igitur V. Cl. post longum temporis interuallum exoptatam diu Pisanæ Sudationis imaginem, sin minus ad viuum expressam, certe iis coloribus adumbratam, qui eam in tenebris latitantem non sinent. Verum Te RHODI amantissime precor atq; obtestor, Scribonium Largum quamprimum expurgatum, auctum, illustratum tuis notis, spicilegiis, lucubrationibus reddas; quibus Romanus Archiater tandem integer, incorruptus Medicinæ Latinæ, linguæ studiosis restituatur. Vale diu. Datum Pisis Nonis Aprilis Anno ∞ IↃCLIII. stylo Pisano.




Ce-



Laconici facies exterior.


A. *Balneorum ruinæ.*
B. *Casa nuper addita.*
C. *Laconici pars tecta.*



Laconici forma interior.
Alt. Palm. Rom. 31½. Long. Palm. 34½.
A. Loculamenta in quibus homines ad sudandum consistebant.
B. Fornix. C. Fenestræ quadratæ.
D. Fastigium Subdiuale et apertum, ex quo clypeus dependebat.

Ceterum Balnea heic fuiſſe plura, indicat Piſis in ſepulcreto egregiæ vetuſtatis monumentum, quod Caio Auguſti filio fatis erepto in ſignum publici luctus iubet, CVNCTOS. VESTE. MVTATA. TEMPLISQVE. DEORVM. IMMORTALIVM. BALNEISQVE. PVBLICIS. ET. TABERNIS. OMNIBVS. CLAVSIS. CONVICTIBVS. SE. SE. APSTINERE.

Horum fragmenta duodecim à Sudatorio Piſano paſſibus diſſita etiamnum talia ſpectantur.



A. *Cella recens.* B. *Cellarum fornicatarum Veſtigia.*
C. *Vas fictile fractum* D. *Tubuli.*

Trita] *Tritæ*, Marcellus. Vtrumque bene, modo quod in textu est sexto casu accipiatur hac distinctiuncula: Postea trita, a. t. a. s. n. q. s. e.

Confirmat, Augustam] Confirmat, Augustam c.u. Augustam eximiæ appellare libuit Corn. Tacito aliisque scriptoribus. Ita & Plinius lib. XII. cap. XIX: *Diuo Augusto coniux Augusta templum fecerat*. Marcellus Burdigalensis cap. XXXV. planius Augusti Liuiam uocauit. Fuit enim Augusti ex Agrippa & Liuia neptis; quam adulterii conuictam in Trimerum insulam relegauit, ubi post viginti annorum exsilium obiit, Claudii Imperatoris aua paterna, Dione teste. Nec Plinius lib. XXIX. cap. I. eius libidinem siluit. Velleius tamen Paterculus lib. II. ait per omnia Deis quam hominibus similiorem feminam: ut prima hoc nomine vere superbierit. Merita eius testatur Siculum marmor hoc titulo:

LIVIAE AVGVSTI
DEAE
MVNICIPIVM

Verba Taciti sunt Annal. cap. IX: *Liuia in familiam Iuliam nomenque Augustæ adsumebatur*.

Nam Messalina] Marcellus heic turbatus. Si quid video, particula caussalis redundat: qua sublata, reliqua Scribonii temporibus optime conueniunt: nisi ad affirmationem retineatur, ut Compos it. XVI. Messalinam enim Claudii Cæsaris coniugem memorant Plin. lib. X. cap. LXIII. Sueton. Claud. cap. XVII. XXVI. & Dio lib. LX. in vita Claudii: cuius prodigiosam quoque libidinem tangit Iuvenalis Sat. VI.

Dei] Vox hæc nonnullis videtur à librario gratis inserta, quum eam in Epistola ad Callistum offendisset. Nobis heic libet minus esse religiosis, qui piaculum ducimus autori quidquam detrahere. Nec aliter, mi Lector, censebis, modo tecum recogitaueris, quæ ad prologuium illud monui. Marcellus tamen eam non immerito neglexit Christi doctrinam sectatus, cuius incunabula & rudimenta diligens cautumque pietatis studium postulabant.

Cornorum] *Cornuum*, Marcell. cap. XIII. qui & altera flexione usus, quando cap. I. ait, *Cornu ceruini cinis*. Dioscorid. lib. II. cap. LXIII. *cornu cerui infrictum dentes expurgat*.

In ollam nouam] *In olla noua* malim cum Marcello, si consuetudo præferenda veterum autoritati; cuius aliquot exempla in Lexico.

Masticbes Chiæ] Theophrastus Hist. Plant. lib. IX. cap. I: *consistit & in lentisco, & in spina ixina dicta lacrima, quæ masticben reddit*. Plinius lib. XII. cap. XVII: *Mastiche Chia laudatissima è lentisco traditur gigni gummi modo*. *Inde lentisci resina* eidem lib. XIV. cap. XX. Quod à Dioscoride accepit lib. I. cap. XC. qui etiam tradit optimam & copiosissimam in insula Chio prouenire. In sola quidem hac insula, exceptis admodum paucis Indiæ locis, non tamen ex lentisco, sed ex arbore consimili, magis procera frondibusque protensioribus, colligi prodit Nicolaus Nicolaus Geographus Regius Itinerarii Orientalis lib. II. cap. VI. ubi plurima de eius cultura notatu digna. Neque enim lentiscus in Gallia & Italia eius ferax, ut vere monuit Petrus Bellonius Obseruat. lib. II. cap. XIII.

Deu-

Dentifriciis miscetur Dioscoridis autoritate. Nam parum adstringit, ac sine mordacitate siccat, ex Galeno de Simpl. fac. lib. IIX.

Sescuncia.] Marcellus ponit *semunciam*. Quæ satis efficax.

L X I.

Solent gingiuæ quorundam, fluore infestari,] Sic omnes libri. Lege. Solent gingiuæ quorundam fluore infestari.

Lentisci] Dioscor. lib I. cap. LXXXIX: *Lentiscus arbor est partibus sui omnibus adstrictoria: dentes mobiles collutione firmat.*

Perforato cribro:] Huius generis in Italia passim videntur è pellibus pertusis cribra: quibus semina aliaque crassiuscula secernuntur, quemadmodum subtiliora iis, quæ ex setis aut sparta conficiuntur. Priscis autem vannorum in modum alia fuisse integra, nequicquam alii hinc iure colligunt. Huc refer quæ Plin. lib. XIIX. cap. XI. notauit: *Cribrorum genera Galli è setis equorum inuenere, Hispani è lino excussoria & pollinaria, Aegyptus è papyro atque iunco.* Excussoria procul dubio, qualia apud Italos hodie *Frulloni*, quæ noui operis è serico reliquis subtiliora texuntur.

Vtile est, ἀνθηρὰ] utile est. Ἀνθηρὰ a. G.a. Recipit hæc: veluti Comp. LXIII. XC. &c. Ἀνθηρὰ porro inter stomatica enumeratur Galeno meth. med. lib. V. cap. X.

Cypiri, id est, Iunci] Scribendum videtur Cyperi. Nam Cyperus officinarum Celso lib. III. cap. XXI. & lib. IV. cap. XX. est Iuncus quadratus. Plinio lib. XXI. cap. XIIX. *Cypirus est gladiolus, radice bulbosa; Cyperos iuncus angulosus, illinitur oris ulceribus.* Namque moderate siccare autor est Galenus de Compos. med. sec. loc. lib. VI. cap. III. Κύπειρος proinde Theophrasto de caus. Plant. lib. I. cap. XXVI. & lib. VI. cap. VII, non Κύπειρος, Gladiolus; quemadmodum Fabius Culumna in Phytobasano cap. de Malinathalla vere animaduertit. Vtrumque Gaza tamen confundit. Sed quoniam Ioannes Ruellius de natura Stirp. lib. II. cap. IV. Græcorum autoritate affirmat nihil heic esse discriminis, non mirandum & hoc loco ei cypirum placuisse. Cuius etiam sententiæ videtur Dodonæus Histor. Stirp. Pempt. III lib. I. cap. XXV.

Rosæ lutei floris] Florem hunc Plin. lib. XXI. cap. IV. vocat *luteos apices*. quibus cap. XIX. monet *semen optimum crocinum, nec anniculo vetustius, & in umbra siccatum*. Gingiuarum fluxionibus efficaciter inspergi scribit Dioscorides lib. I. cap. CXXXI.

Sandaracæ] Ita Plin. Valet. lib. I. cap. II. Melius, Sandarachæ. Dioscor. lib. V. cap. CXXII. Σανδαράχη. Sandaracha. Græcorum est auripigmentum magis coctum, monente Hieronymo Capiuaccio Fract. lib. I. cap. VI. Nam Dioscor. lib. V. cap. CXXI. docet Auripigmentum in iisdem metallis, quibus Sandaracha, gigni. Differt à Sandyce, contra Georgii Agricolæ sententiam, sicut recte aduertit Brodæus Miscellan. lib. V. cap. I. Plinius etiam lib XXXV. cap. VI. hæc distinguit. Sandyx enim cerussa est penitus combusta Dioscoridi lib. V. cap. CIII. & Gal. de Simpl. facult. lib. IX. Plinio Sandaracha adulterina: cuius meminit Virgil. Ecl. IV: nempe muricis colore. Minium seplasiariorum putat Saracenus ad hunc lo-

cum;

cum, ubi natiuam, & factitiam intelligit. De qua M. Vitruuius Archit. lib. VII. cap. XII. Sandaracha tamen natiua seu fossilis, nobis Arsenicum rubrum, eadem videtur, quæ Sandyx metallica, Straboni Geograph. lib. XII. Facultatis est adurentis Gal. de Simpl. facult. lib. V. cap. XV. qui ab Arsenico separat, quemadmodum & lib. IX. Inde Plinio lib. XII. cap. XXVI. *Summa eius dos septica.* Dioscorides lib. V. cap. CXXII. ait prodesse ad narium orisque ulcera. Purgat enim, ac sistit. Celsus etiam lib. V. cap. V. affirmat vulnera purgare. Arabum vero Sandaracha est gummi iuniperinum: quod hodie vernicis nomine, Dioscoridi ac Galeno succinum, cui cognata dotibus, appellatum tradit Ioannes Ruellius de nat. Stirp. lib. I. cap. XC. Quam heic intelligendam censeo.

Per pinnam] Sufflando, ut Compos. X.

Παρυλίδας] Sic etiam Ioannes Caius rescripsit apud Celsum lib. VI. cap. XIII. pro eo, quod in vulgatis παροντίδας. Quam tamen lectionem ibi retinendam, Deo propitio, è nostris ad ipsum emendationibus manifestum erit. Παρυλὶς autem est inflammatio circa partem aliquam gingiuarum. Ἐπουλὶς carnis excrescentia ab inflammatione circa intimum dentem molarem, aliquando cum febre & dolore, Ægineta autore lib. III. cap. XXVI. vel, carnis supereminentia in gingiuis, iuxta aliquem dentem oborta lib. VI. cap. XXVIII. Iul. Pollux Onom. lib. IV. cap. XXV. ratione paulo diuersa: παρυλὶς, οὔλων ἀπόστασις, *gingiuarum defectio*. Ἐπουλὶς, ἡ ἐπὶ τῶν σωφρονιστήρα περίσσωσις, *gingiua circa genuinos dentes excrescentia.* Gingiua porro deficit à suppuratione.

Suppurauit:] Non soluta inflammatione.

Suppurauit: aut e. t. m.] Ratio hunc exigit ordinem: suppurauit, vel ubi super extremum molarem increuerit gingiua: aut ad tonsillarum tumorem magnum, ut digito pressus fricentur.

LXII.

Cancer] Gangræna Nonio Marcello ex Lucilio, & Varrone. Serpit enim more cancri. Qua ratione etiam Celso lib. IIX. cap. X. usurpatur.

Os corripit, quod initiis] Os corripit. Quod in initiis neglectum breui spatio temporis mortis causa est.

Oleastri] Oleastrum aliis oliuam Æthiopicam tradit. Dioscorides lib. I. cap. CXXXIIX. orisque ulceribus, & priuatim infantium, conferre. Cuius oleum cap. CXLI. gingiuis putri uligine correptis laudatur; decocto acrius & efficacius memorat Plinius lib. XXIII. cap. IV.

LXIII.

Andronis] Medicamentum Andronium aliter describit Celsus lib. VI. cap. XIV. Constat nempe ex alumine scissili, squama æris rubri, atramento sutorio, galla, myrrha, misy. Quæ per se contrita mistaque rursus paulatim adiecto vino austero teruntur, donec his mellis crassitudo sit.

Spissitudinem mellis:] Mox lego, vitro reponitur. Cum opus est, vino austero sumendum medicamentum diluitur. *Sumendum* tamen mihi suspectum

Quamuis enim Comp. LXXI. etiam de medicamento externo usurpetur: Marcellus tamen cap. XIV. tale quidpiam in Scribonio non obseruauit.

Et ad zonam,] Eleganti figuræ similitudine, qua hominem zonatim ac in gyrum ambit. Quid enim Zona proprie docet Erotianus in Lexico Hippocratico: Ζώνη, ἡ τόπος ἐν ᾧ ζωννύμεθα. ἔνιοι δὲ τὴν ὀσφὺν ὑπέμισαν. Vnde pars corporis etiam nomen traxit. Quamobrem Iul. Pollux vere lib. II. cap. IV. num. XXXIII. τὸ δὲ ὑπὸ τὰς πλευρὰς ἰσίον, χίτων, καὶ κενεών, καὶ ζώνη καλεῖται. Rodolphus Gualtherus vertit: *Quod vero sub costis est, Zona vocatur.* Corporis etiam armatura est, idem cum parte nomen habens. Plinius autem lib. XXVI. cap. XI. Scribonium optime illustrat: *Ignis sacri plura sunt genera; inter quæ medium hominem ambiens, qui Zoster appellatur, & enecat, si cinxerit.* Ex quo alter ille, quem hactenus eruditi Valerianum putarunt, de re medica lib. III. cap. XXXIII. & XXXIV: *Circinus, alÿs Zona, est genus sacri ignis, quod Zoster vocatur, quod occidit eum, quem appetit, si præcingit.* Nimirum genus hoc à cingendo dictum. Herpes enim Græcis Ζωστὴρ. Ita secundus Philosophus in Sententiis ἀτλαντικὸς ζωστὴρ de Oceano: quod Lucas Holstenius Græcis literis eruditissimus *Cingulum Atlanticum* scite reddidit; qualiter etiam Oceanus ζωστὴρ κόσμου, *Vinculum terrarum* Seneca de Consolatione ad Marciam cap. XIX. & Cosmographiæ initio Æthicus art *omnem terram Oceani limbo circumdatam*. De quo Hadrianus Iunius Animaduers. lib. III. cap. IV. Theophrasto Paracelso lib. de Tumoribus vulgo *von offenen schaden*, cap. XXXIII. vitium hoc *Zinzilla* vel *Zinzillis* appellatur. Idque rarum: in Silesia & Borussia nominari *den Bauchvvolf*, ac si dixeris Lupum ventris; nec aliud quam Ignem Persicum, cui liquor salis ex diaphragmate. Huius indicia: circulus ruber, sub zonæ loco, in quo pustulæ flauæ, deinde rubor ardens, & plerumque siccus conspicitur, tandemque letalis inflammatio diaphragmatis, sed quæ in annum vigesimum producitur. Abstinendum ab unguinosis & gummosis, quæ valide attrahunt. Consolidæ regalis cum Opodeldoch ex colophon. chelidon. &c heic magna vis est. Quæ communi eruditis sermone huc transferre libuit, quum libellus iste rarior, nec reliquis additus, imo Germanico idiomate publicatus. Ab Igne sacro separatur apud Scribonium, secus quam à Roberto Constantino ad Celsum lib. V. cap. XXIV: quem eius non meminisse opinatur celeberrimus Chirurgiæ in Gymnasio Neapolitano Professor M. Aurelius Seuerinus de Nouiss. obseruat. Abscess. cap. IX. Sect. X. quod ipsius forsan ætate non innotuisset. Scribonius tamen Celsi æqualis creditur. Nec ea certe Galeno aut Arabibus olim visa. Nostro etiam seculo parum notam vere monet idem Chirurgiæ efficacis par. II. cap. XXVII. At Georgium Onelspachum Marchionem ex ulcere cruris intempestiua compressione sanato ea interiisse memorat Ioannes Langius lib. I. Med. Epist. XXXII. Quam incisa utriusque pedis saphena Orthenrico Bauariæ Duci Palatino Comiti exstinxit. Zonam vero parte posteriori secundum lumbos minime perniciosam Seuerinus obseruauit.

ἕρπητα] Actuar. meth. med. lib. II. cap. XII. dictus est ἕρπης, eo quod videatur ἕρπειν, per summam cutem serpere, modo hanc eius partem, modo proximam, occupans, non secus quam ignis, qui proxima quæque depascitur. *Herpes quoque animal à Græcis vocatur, quo præcipue sanantur quæcunque* ser-

serpunt. Quod Plin. lib. xxx. cap. xiii. de ulceribus prodit. Nicolaus Tulpius, qui rationibus historiis fundum medicum egregie locupletauit, Obseruat. lib. iii. cap. xliv. addit, decidente eschara minui dolorem exurentem ac pruritum: nec malum hoc, nisi perquam raro exitiosum, etiamsi absoluerit circulum; vidisse tamen satis graue ac perniciosum, quod antidota postulabat.

L X I V.

Stomatice] Pharmacum significatur destinatum ori apud Galenum de Comp. med. sec. loca lib. vi. cap. i. qui Celsum lib. vi. cap. vii. æmulatus, ubi medicamentum vocatur, quod oris exulcerati causa componitur; Plinium pariter lib. xxiii. cap. vi. cui ex acerbo malo punico medicamentum utilissimum oris vitiis. Fit autem è succo nucis cum melle apud Ætium Tetr. i. Serm. i. Hinc pro *Stomathico* repone *stomatico* apud Oribasium de Virt. Simplic. lib. ii. cap. i. ubi de Nuce, Ioanne Baptista Rasario interprete.

Quia] *Quæ* Marcellus.

Vuæ amineæ acerbæ,] Σταφυλὴ Ἀμιναία Dioscor. lib. v. cap. vi. *uva Aminæa.* Galeno de Comp. med. sec. loca lib. vi. cap. i. austera. Vnde vinum Aminæum austerum Celso lib. iv. cap. xix. de quo Brod. Miscell. lib. x. cap. iii. Vuæ Amineæ meminit Varro de re rust. lib. i. cap. lix. Plin. lib. xiv. cap. ii. cui *Amminea*, & Columella lib. iii. cap. ii. & vii. lib. xii. cap. xxxix. quam plerumque solam antiqui nouerant, ut refert cap. ix. *Solę ubicumque uvę Amineæ sint, vinum pulcherrimum reddunt*, ait Pallad. Rutilius lib. iii. cap. ix; ubi & duo earum genera sunt, maior, & minor. Maior, cuius & meminit Columella lib. xii. cap. xliii. Scantiana est uva Plinii sententia lib. xiv. cap. iv. Quam nec Maro præteriit Georgic. ii:

Aminea vites, firmissima vina.

Ausonius etiam Epist. xiix:

Solus qui Chium miscet & Amineum.

Vbi Turnebus Aduers. lib. xxix. cap. xxvi. *m* geminat. Q. Serenus de Dysenteria:

Succus amineæ vitis cum pane medetur.

Leuicula est Hesychii notatio: Ἀμιναῖον δ' ἐνὸς ν τὸ οἶνον λέγει. Nomen traxit ab Aminea regione, ubi nunc Falernum, si credendum Macrobio Saturn. lib. iii. cap. xvi. Ianus Cornarius tamen ad locum Galeni iam dictum obscuram censet nominis rationem, & à loco seu inuentore sic appellatam quamcunq; uvam austeram. Illa vero uva, maximeque à Scribonio desiderata, reprimit faucium & uvæ tumorem. Ideoque Hieronymus Mercurialis Var. lect. lib. ii. cap. xvi. ei frustra Tamineam substituit, quæ Græcorum Bryonia Dioscoride aut. re lib. iv. cap. clxxxiv. acrem vim sortitur, & carnem exedit, optimeque quadrat in Compositionem ccxlix. At vero nullam heic aspritudinem admittit autor: nec uva bryoniæ, veluti reliquum genus uvarum, perlucida comparet, sed ex illis rubet, postquam maturuit.

Vaso] Malo *vase* cum Aldo & Stephano. Sic ubique, ut Compos. xvi. xxxi. xxxix. lvii. cvi. cxi. clx. cxxi. Quæ nominis quidem inflexio familiarior est Latinis: altera tamen non insueta penitus. Plautus certe Trucul. Act. i. Sc. i.

 vasum

vasum argenteum nominat, M. Cato etiam apud A. Gel. lib. XIII. cap. XXII. negat ullum sibi vasum esse. At Martianus Capella lib. III. veluti dubius ait: *vasum an vas dici debeat, quaritur*. Charisius Instit. Gramm. lib. I. plane admittit. & Cledonius: *antiqui rectius dicebant vasum, quomodo scamnum*. Inde Obertus Gifanius veteris libri autoritate mavult apud Lucretium lib. VI:

Omnia circum
Conlaxat, rareque facit lateramina vasi;

quam *latera omnia vasis*, ut in vulgatis quibusdam: quamuis & in plerisque; *lateramina vasis*.

L X V.

Altera eiusdem] *Altera ad eiusmodi molestias compositio*. Bene Marcellus: nisi Andronem intelligere iuuat. Qua mente Scribonii lectio intacta retinebitur.

Omphacii aridi] Quid omphacium, exponit Dioscorides lib. I. cap. XXIX. Friabile commendat Oribasius Synops. lib. II. cap. XVI.

Stagneo] Omnes libri, Ald. Stanneo.

L X V I.

Aqua mulsa] Id est, melicrato, quod aliis ὑδρόμελι, seu aqua melle temperata, velut optime Barth. Aduers. lib. XXXVI. cap. III. Veterum Germanorum est *Medo* apud Hofmannum in Paralipomenis Officin. ex quo cum aromatibus vinum Hippocraticum fieri monet. Cuius generis eximium in Fionia maris Balthici insula senibus in primis commodum paratur. Eius rationem ex Galeno tradidit Oribas. medic. collect. lib. V. cap. XIV. Vlcera deterget & glutinat Galeno autore de Arte curat. ad Glauc. lib. II. cap. I. & IIX. humores etiam secat eodem monente in Hipp. de victu in ac. com. I. Aph. XXVII.

Passo bene caldo] Pro, bene caldo. Franciscus Robortellus Emendation. lib. II. cap. V.

Pusillo pressius] *Paulo pressius*. Marcellus. Quod magis ætatem Scribonii redolet.

Cyathos duos, resinam] Cyathos duos. Resinam &c.

Vnguentarii,] Scribendum putarem, *Vngentarii*, quod & Seruius Honoratus in IX. Æneidos censet, dummodo constet discrimen à Fortunato Scaccho Elæochrismaton Myrothecio I. cap. XX. positum, eum nempe ungentarium, qui unguenta parat, qualem certe Scribonius indicat; Vnguentarium autem, qui vendit. Vtriusque appellationis in veteribus quidem saxis aperta mentio. Martinus Smetius ex æde B. Virginis Annunc. Venusii in Campania hoc monumentum prodidit;

CLAVDIO. PHI
LARGYRO. VN
GVENTARIO
ISQ. FAMILIAM
SVAM. MANVMISIT
PECVNIAMQ.

In via quoque Appia geminum hoc visum:

Q. TERENTIVS. SEX. LIB
AGESIDAMVS. VNGENT
VALENTINIANI. AVGVS
TERTVLLA. A. F. VXOR
Item:
T. FLAVIVS. LIBERTVS
PHILIP. VNGENTARIVS
VIC. LORETI. MIN.
FECIT. ET. SIBI. ET. FLA
VIAE. SPERAT. FIL. SV

Melioribus tamen scriptoribus, inter quos Tullius de Offic. lib. I. utraque significatione Marii Nizolii sententia, nec non Horatius Sermonum lib. II. Sat. III. placuit *Vnguentarius*, qui Græcis μυρεψὸς; itemq; Theodoro Gazæ apud Theophrastum Lib. de Odoribus, μυροποιός. Iul Poll. lib. VII. cap. XXXIII. num. VI. μυροπώλης, Plauto Casin. Act. II. Sc. III. *Myropola*; & Aulular. Act. III. Sc. v. *Myrobrecharius*, quemadmodum ex veteri libro probauit Ioannes Meursius; cui Sebastianus Gryphius videtur similem vidisse: quanquam Salmasius cum Turnebo rectius forsan malit *Murobractarius*. Cuius generis *Perfumatores* vulgo dictos notat Laurentius Ioubertus. Ita Romæ vetus lapis:

P. IVNIO. P. L. ANEOPHILO
P. IVNIVS. P. L. DIONYSIVS
LIB. MYROBRECHARIVS
OL. D. S. D

Itaque communis lectio Grammaticorum argutiis præferenda. Varroni etiam Latini sermonis parenti rei rusticæ lib. I. cap. III. & lib. II. cap. LV. probatur *unguere*, sicut & Catoni de re rust. cap. LXXII. & CXXXV. pariterque Celso lib. VII. cap. XXX. & lib. IIX. cap. X; qui lib. IV. cap. IV. præcipit *palatum unguere*. Qua formula apud Catonem cap. CLVI. *intinguere*, pro *intingere*. Cuius exemplo Tertullianus de cultu feminarum lib. I. cap. I: *Tyrii tinguerent*. Galenus comm. v. in lib. VI. Epid. Hipp. Aphor. I. eos inter Medicorum ministros habet. Deinias etiam unguentarius infelix memoratur apud Athenæum Deipnosoph. lib. XV. Ægyptii vero & Persæ unguentorum temperaturam inuexere. Vnde & unguentum Ægyptium Hippocrati nominatum. Ceteras unguentorum appellationes vetustissimorum scriptorum autoritate scias licet ex Athenæi lib. XI. De quibus Varro lib. IIX. de lingua Latina: *ex regionibus quæ ipsa dicuntur nunc melius unguenta, cui nunc genera aliquot*. Legendum fortassis: *ex regionibusque ipsa dicuntur nunc melius unguentorum genera aliquot*. Vicum autem unguentarium octaua urbis regione memorat Pub. Victor. lib. de Vrb. Ro. regionibus. Medicamenti formam indicauit Actuarius Meth. med. lib. v. cap. I. quando ait: *Vnguenta sunt, quæ illita tantum opem ferunt*. Vsum pariter accuratum Æt.

Tetr.

Tetr. 1. Serm. 1. Quem Demophilus ex versione viri celeberrimi Lucæ Holstenii neruose protulit in similitudine de unguento: *& male affectos nos iuuat, & bene habentes oblectat*. Vnguentarios tamen scribit Seneca Quæst. natural. lib. IV. cap. XIII. à Lacedæmoniis urbe expulsos, quia oleum disperderent. Quod in Laconicis Apophthegmat. Plutarchus ob olei perniciem à Lycurgo factum repetit. Solonem vero credibile est compescuisse luxum, qui unguentarios produxit Plutarchi sententia De vitando ære alieno. Quod Athenæus quoque lib. IV. opinatur. Nec alia de causa idem Romæ factum. quod cum Plinio lib. XIII. cap. III. Solinus cap. XLIX. (aliis LIX.) prodidit. Quapropter Plinius Iunior lib. II. Ep. XI. non minus vere quam argute memorat Hostilium Firmium *accepisse sestertium decem millia fœdissimo quidem titulo, nomine unguentarii. qui titulus à vita hominis comti & pumicati non abhorrebat*. Omnia tamen non deliciis, sed valetudini plura etiam excogitata. Ideoque nec omnia pretiosa, verum & plebi communia; Indis certe unctiones ex medicamentis maxime placuisse narrat Strabo lib. XV. ut mirum sit, cur Plin. lib. XIII. cap. I. Iliacis temporibus eas negauerit: nisi quod isti populo nondum innotuerint. Quidquid sit, unguentorum compositio velut ad odorum conseruationem plane comparata est, sententia Theophrasti lib. de Odor. Inter quæ singulis partibus corporis apta Hieronymus Mercurialis de Decoratione cap. IX. recensuit. Apollodori de Vnguentis & Coronis Librum Athenæi indicio desideramus.

LXVII.

Ad anginam] Nonius Marcellus: *Angina genus morbi, eo quod angat, & Græce Συνάγχη appellatur*. Ango vero ab Ἄγχω, quod est *strangulo*, satis ingeniose deriuat Iulius Guastauinius de loc. med. sel. lib. I. cap. XI. Quo malo quum Romani adfligerentur, Angeronæ Deæ festa Angeronalia dicata memorat Festus.

Prodest & sanguinis detractio,] Marcellus Burdigalensis cap. XV. *prodest sanguinis detractio*. Sic etiam H. Steph. Quod magis arridet: nisi legendum: prodest s. d. e. c. a.

Admissio] *Adhibitio*. Marcellus. Quidni admotio, si accuratioribus admissio displicet. Est enim apud Celsum lib. III. cap. XIIX. XXIII. & XXVII. itemq; lib. IV. cap. IV. XII. & XXII. lib. V. cap. XXVI. *cucurbitulas admouere*. quod lib. VII. cap. II. *accommodare*.

Medicamenta autem S. q. h. f.] Marcellus cap. XV: *Medicamenta autem simplicia hæc recte faciunt*. Sententia nihil variat.

Laser Cyrenaicum,] *Laser*, ὀπὸς Λασάριον: Glossa vetus: Auicennam qui exposuerunt, corrupta, ut videtur, voce *Laser*, *Asa* reddunt. Ὀπὸς κυρηναικὸς Palladio de re rust. lib. III. Tit. XXIX. Silphii nempe liquor est, collectus è radice eius caulibusque incisis, teste Dioscoride lib. III. cap. XCIV. Σίλφιον autem σίρφη, σίρφι, & σίλφι à Cyrenensibus appellatum indicat Salmasius in Solinum, atque inde *Serpe*, & *lac serpitium*, ex quo *Laserpitium*; quod Colum. rei rust. lib. VI. cap. XVII. vulgo nostra consuetudine sic appellari notat: nempe Romano idiomate. In Cyrenaica prouincia repertum affirmat Plin. lib. XIX. cap. III. Scylax Caryandensis in Periplo ait etiam in Cyrenensium regione loca, quibus

bus Laserpitium producitur. cuius lacrima siue succus est Laser apud Autorem Libri de Simpl. med. ad Paternianum, qui Galeni scriptis accensetur. Modum clarius quam Theophrastus Histor. plantar. lib. III. cap. II. tradit Plin. lib. XVI. cap. XXXIII: *Imbres plerumque semina adferunt, & certo fluunt genere, aliquando etiam incognito: quod accidit Cyrenaicæ regioni, quum primum ibi Laserpitium natum est.* Solinus cap. XXIX. accuratè: *Apud Cyrenenses Syrpe gignitur odoratis radicibus, virgulto herbido magis, quam arbusto. Cuius è culmo exsudat æstatis tempore pingue roscidum, idque pascentium hircorum inhæret barbulis. Vbi tum arefactum inoleuit guttis styriacis legitur ad usum mensarum, vel medelæ magis. Dictum est primum lac Syrpicum, quoniam manat in modum lacteum, deinde usu deriuante Laser nominatum.* Ad locum natalem allusit Catullus Carmine VII.

Quam magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpiciferis iacet Cyrenis,
Oraclum Iouis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum.

Exstinctum vero Cyrenaicum scribit Plin. lib. XXII. cap. XXIII. E Perside seculo restitui posse autumat insignis naturæ consultus Marius Schipanus, qui humanissime perhibuit Petrum de Valle patricium Romanum post diuturnam in ea regione moram inter varia medicamenta peregrina è Persarum regia Spahan ipsi maiorem pollice plantæ ferulaceæ radicem foris nigram odoris gratissimi attulisse; quæ situ cariosa in puluisculum pluribus annis fragrantissimum abiit. Caulem porro eius à Ioanne Parkinsono pridem in Appendice Theatri Botanici effigiatum nummus quidam argenteus Cyrenaicus exhibet; cuius hæc è pinacotheca mea species elegantior.





Si poterit inueniri:] Raritatis occasionem indicat Strabo Geogr. lib. XVII: *Cyrensis finitima est regio, quæ laserpicium producit, & Cyrenaicum succum, quem Silphium expresso & coagulato succo dat. Id propemodum defecit, quum aliquando barbari impressione facta radices pene omnes odio impulsi emisissent.* Sunt hi Nomades. Quidam Arabibus in Africam irrumpentibus Heraclio imperante id etiam contigisse tradunt. Aliam Plinius adfert lib. XIX. cap. III: *Multis iam annis in Cyrenaica prouincia non inuenitur: quoniam publicani, qui pascua conducunt, maius ita lucrum sentientes depopulantur pecorum pabulo.* Palladius igitur lib. IV. Tit. X. quando suadet modicum laseris cum vino tritum per summa arboris cacumina infundi, illud forsan intellexit, quod in Perside, aut Media, vel

Arme-

Armenia nascitur. Syriacum sua ætate usitatissimum fuisse, Parthicum deterius, Medico tamen melius refert Plinius lib. XXII. cap. XXIII. Medicum vero & Syriacum minus Cyrenaico pollere viribus, Dioscorides loco laudato autor est.

Cum aqua dilutum,] Anginis etiam ex aqua mulsa utilissime gargatizari notat Dioscorides.

Euphorbium aqua dilutum.] Hoc modo scribendum ostendi Comp. XXXIIX. Marcellus significanter addit: *similiter impositum.*

LXIIX.

Compositorum autem medicamentorum hæc sunt apta.] Marcellus: *Compositionum autem hæc sunt apta.* Rectius: *Compositionum autem hæ sunt aptæ.* Melius tamen autor, qui iam simplicia nominauerat, ut ut mens utriusque eadem.

Fellis taurini,] Dioscorides lib. II. cap. XCVI. de Felle: *Priuatim taurino anginæ cum melle perunguntur.*

Miscere] Marcel. *misceri.* Nihil tamen muto.

Perfricare] Foris. Quod antecedens Compositio indicat. Nam vomitio secus excitaretur, etiam innuente Scribonio Composit. CLXXX. qui heic periculosus.

Fauces diutius.] Marcellus adiungit, *laborantes.* Frustra. Malum enim acutum. Scribendum itaque, laborantis: quanquam & hoc in re manifesta superfluum.

LXIX.

Git] Hoc etiam modo Celsus lib. II. cap. XXXIII. & lib. IV. cap. XX. *Gith* Plinius lib. XX. cap. XVII. Pallad. de re rust. lib. X. Tit. XIII. & Latinus Dioscoridis interpres lib. III. cap. XCIII. ubi Μελάνθιον: Columellæ de re rust. lib. VI. cap. XXXIV. *Melanthium, Nigella.* Hinc Marcellus cap. I. *Git Græci Melantium vocant*, & cap. XXII. *Melanthium, id est, Gith.* Glossa vetus pariter: *Git, μελάνθιον.* Gith vero Piper olim dictum, ex antiquo Glossario Arabico-Latino refert Barthius Aduersar. lib. IV. cap. XIV. Satiuum procul dubio Plinius intelligit lib. XIX. cap. IIX. ubi ait: *Gith pistrinis, anisum & anethum culinis & medicis nascitur.* Nam seruis illud aptum satis condimentum. Anginæ confert, quoniam vetustos tumores discutit indicio Dioscoridis: duritieş quoque soluit, ut ad Paternianum Autor monet de Simpl. facult.

Sagapeni] Sagapenum herbæ ferulaceæ in Media nascentis liquor est calidus, tenuium partium, ac detergens testimonio Dioscoridis lib. III. cap. XCV: qui post Gal. de simpl. medic. facult. lib. IIX. notante Gasp. Bauhino Pinac. lib. XII. sect. VI. improprie retinuit nomen plantæ, quam Panaci similem affirmat Gal. de Antid. lib. I. cap. XI. Optimum, quod pellucidum, extra fuluum, intus candidum, monitu Orib. Collect. lib. XII. Ad Ammoniaci lacrimam accedit, Galeni autoritate lib. IIX. de simpl. med. facult. Quod se neque ignorasse Plinius demonstrat lib. XX. cap. XIX: *Sacopenium, quod apud nos gignitur, in totum transmarino alienatur. Illud enim Hammoniaci lacrimæ simile, sagapenum vocatur.* In quem locum notat Iacobus Dalechampius ferulæ nostratis succum esse, qui caule ad radicem vul-

vulnerato fluit. Maturat & discutit. Quo nomine Actuarius Meth. med. lib. v. cap. v. ad palpebrarum hordeola rectè proponit.

Trita.] Vtendi modum bene subdit Marcellus: *& ita faucibus adhibentur.*

LXX.

Succus cucumeris siluatici] Planior Galenus de Simpl. fac. lib. IIX. fructus ipsius succus, Gaspari Hofmanno de medicament. Offic. lib. I. cap. x. maxime probatus, calefacit ordine secundo, & digerit: qui ex radice & foliis debilior. Ex semine quoque fieri elaterium, patet apud Theophrastum Hist. Plant. lib. IX. cap. X. Scammoniæ instar vacuare prodit Ægineta lib. VII. cap. IV. Cuius ætatem Saracenus in Dioscor. lib. IV. cap. CLV. erudite persequitur præter Theoph. Hist. lib. dicti cap. XIV.

Cachryos animati] Celsus etiam lib. v. cap. XIIX. habet *Cachryos*: quod in omnibus MSS librariorum inscitia corruptum. C. Marius Caboga in suo codice Ruelliano Dioscoridis, qui nunc meus, notauit alios legere *Canchrys*. Nec male. Nam Dioscoridi lib. III. cap. LXXXVII. Κάγχρυς & Κάχρυς appellatur. Theophrasto tamen lib. IX. hist. Plantar. cap. XII Roris marini fructus Cachrys vocatur: & Libanotis hæc dicitur καχρυφόρα Nicandro in Theriacis, quæ καχρυφόρος. Plin. lib. XVI. cap. IIX. & lib. XXIV. cap. XI. *Cachrys*. Est autem Dioscoridi semen libanotidis frugiferæ, siue rorismarini resinaceum, autore Plinio lib. XXIV. cap. XI. quod calefacit & exsiccat. Fructum libanotidis ait Oribas. coll. medic. lib. XI. quem inter adurentia reponit lib. XIV. Nam calefacit vehementer, nec emollit, sed tantum digerit, ut scribit Galen. de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. VI. non abnuente de caus. Plantar. Theophrasto lib. IV. cap. XVII. cui subscribit Galenus ipse de Simpl. fac. lib. VII. Ideoque Anginæ satis conuenit. Nec tamen solius esse rorismarini satis monstrat Plinius lib. XVI. cap. IIX: *Ferunt robora & cachryn. Ita vocatur pilula in medicina vim urendi habens. Gignitur & in abiete, larice, picea, tilia, nuce, platano, postquam folia cecidere, hieme durans*. Et lib. XXVI. cap. IIX. de Crithmo: *habet intus nucleum candidum, quem aliqui cachryn vocant*.

Vehementissime prodest. Item] Hæc si omittantur, sententia sic erit integra. Soluit enim ventrem: & ita hoc medicamentum vehementissime prodest. Multos enim à summo discrimine mortis liberauit.

Hirundinum pullorum] Galenus de Simpl. facult. lib. XI. qui de Comp. med. sec. loca lib. VI. cap. II. ex Asclepiade refert modum comburendi: cuius autorem populum facit Corn. Cels. lib. IV. cap. IV.

Pondo Sextans.] Ald. P. VI.

Semuncia] Rectè, sicuti Columella etiam lib. XII. cap. XXI. & XXIII. Non *semiuncia*, velut Plin. Valerian. lib. I. cap. II. & P. Veget. mulomed. lib. I. cap. LIV. & LIX. Marcellus piperis denarii semissem ponit, laseris p. ✱ XI. quæ mixtura erit minus ingrata.

His tritis cretis, mellis] Lego fine distinctione: vel, quod magis placet; his tritis, & cretis, ut Comp. CCXXII. thus minutum & cretum.

Et hoc autem ceteris] Scribe. Et hoc ut ceteris m. f. f.

Costi, apii,] Horum vice Rutæ silvestris semen est apud Æginetam, Ætium, & Alex. Trallianum. Costum vero intellige amarum: quamvis unicum duntaxat Costi genus cum Garcia ab Orta statuat Iacobus Bontius Animadvers. in cap. xxxv.

Schoeni] σχοῖνος, Iuncus rotundus, odoratus interpreti Pauli Æginetæ, ceterisque medicis. Cuius flos moderate calefacit, minus adstringit, & partium est tenuium; ut placet Oribas. Coll. med. lib. xv. cap. I. præter Ægin. lib. VII. cap. III. Indis ad omnes fere affectus muliebres familiaris observatione Iac. Bontii ad cap. xxxiv. Garc. ab Orta.

Casiæ rufæ] Huius meminit Galen. de Compos. med. sec. loc. lib. VII. cap. II. quæ Dioscoridi lib. I. cap. XII. ἔγκιρρος *fulvescens*, & κοραλίζουσα *coralli æmula*. Quem sequitur Ætius Tetrab. I. Serm. II. cap. CXCVI. Qua ratione procul dubio autoti rufa. Calida & sicca est ordine tertio, acris & moderate adstringens, ut ait Ægineta lib. VII. cap. III.

Amomi] De hoc scriptores valde dubii. Dioscorides quidem lib. I. cap. XIV. describit aliena fide, quum Indiam non lustrasset, nec ipsum vidisset; forsan & Plinius identidem lib. XII. cap. XIII; Autor etiam libri de Simplic. medicam. qui Galeni putatur Plinius vero quemadmodum est diversus à Dioscoride, ita & ipso diligentior. Nec veterum quisquam præter Theophrastum Hist. Plant. lib. IX. cap. VII. idque ex aliorum narratione, Indiæ adscribit; imo Garcias ab Orta huic sententiæ aperte reclamat. Quod vero Cechinus Martinellus rei medicæ diligentissimus investigator Malaca Indorum misit, Cardamomum Indicum videtur: tametsi grana cardamomi sunt oblonga, non rotunda velut amomi. Quid igitur mirum, si Salmasius censet nos eo destitui, nec ἄμωμον veteribus Græcis aliud, quam sincerum aroma. Sicne Maro Bucolicor. Ecloga IV.

Vulgo nascetur amomum.

Vbi Servius in III. Eclogam obscure satis: *Amomum flos est Assyrius.* Nec apertius in IV: *Amomum herba est suavissimi odoris, quæ tantum in Assyria nascitur.* Forsitan & Martialis Ep. LXV. lib. V:

Pinguescat nimio madidus mihi crinis amomo;

Nisi Dioscorides tradidisset immisceri pretiosissimis unguentis. Quamobrem Matthæus Raderus Vnguentum ex amomo verius exposuit, quam Domitius Calderinus Vnguentum. Amomi certe plantam floresque & folia nostro ævo ignota fassus omnino Nicolaus Maronea, quo in hunc diem nemo de Amomo copiosius & accuratius disputavit. Eius delectum tradidit Ioannes Ruellius de Nat. Stirp. lib. I. cap. XXXI. In usum ducamus interim aroma, quod hoc titulo ex India Orientali in sinum Persicum, mox in Mediam, Armeniam, Pontum, atque inde in Græciam, & Italiam fertur: cuius racemos acceptæ elegantiæ aliquoties conspexi. Etenim singularis ipsius heic usus, quandoquidem Galeno autore de Simpl. medic. fac. lib. VI. acoro simile maiorem concoquendi vim obtinet, atque ut idem animadvertit de Comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. II. cum modica adstringendi facultate vehementer exsiccat. Quod pituitosæ in primis anginæ convenit.

Zeæ, quod est semen,] Dionysio Halicarnass. lib. II. etiam Ζεία. Inde Plinius lib. XIIX. cap. X. *Apud Græcos est Zea: semenque appellatur:* lib. cit. cap. LIX. Ga-

III. Galeno in expoſitione vocum Hippocraticarum Ζειὰ eſt ὄλυρα. Ipſe tamen de Victu Atten. Com. cap. VI. ſe fatetur ignorare, quod veteres Zeæ nomine ſemen appellarent. Plinio autem lib. XIIX. cap. IIX. diſtincta ſunt genera; Zea, olyra, typhe: ut ut Hadriano Iunio Olyra & Typhe confunduntur. C. Bauhino Pinac. lib. I. ſect. IV. poſt Halicarn. lib. II. & Io. Petrum Arlun. de faciliori Alim. Comment. II. fol. XXVI. Zea idem valet quod Far, quemadmodum & Mario Nizolio Galeni interpreti, ſimiliter Spelta. Plinius loco memorato ſecus: *Qui zea utuntur, non habent far.* Quod uberrime confirmat Alicæ præparatio peculiaris apud Dionyſium Vtinenſem Agric. lib. III. cap. VII. Dioſcorides lib. II. cap. CXI. oti gratam ſignificat, mediamque inter triticum ac hordeum Ætius Tetr. I. Serm. I. Nimirum magis nutrit quam hordeum, minus quam triticum, ſuffragante Dioſcotidi Onbaſio Collect. medic. lib. XI. leuiuſque edulium præbet Actuarii ſententia lib. de Spirit. Animal. nutrit. cap. V.

Gallæ mediæ magnitudinis,] Marcellus: *gallæ quod eſt medium magnitudine ciceris pilulas numero* V. Quidni, gallæ mediæ magnitudinis numero V? Quo modo in vulgatis omnibus ſcribendum.

Cinnami] Ioannes Baptiſta Montanus Conſilio CLXXXIII. negat nobis verum eſſe cinnamomum. Idque caſiam ligneam putat; ſecus quam Salmaſius in Solinum. Petrus Caſtellus etiam uniuerſæ medicinæ atque in primis rei herbariæ eximie peritus cinnamomum ad nos verum non adſportari memorat in Antidotatio Meſſanenſi, & Horto Farneſiano celebratiſſimus Tobias Aldinus. Dioſcoridis quoque ſeculo ſatis rarum fuiſſe, conſtat lib. I. cap. XII. de Caſſia: *duplo pondere medicamentis mixta cinnamomi vicem ſupplet.* Huic enim ob eandem vim cognata eſt, iudicio Galeni de Comp. med. ſec. loca lib. IIX. cap. VII. Choul etiam lib. de veteri Balneis ratiſſimum notat. Cinnamomum tamen verum Cannella præſtantius obſeruauit Proſper Alpinus de Medicina Ægypt. lib. IV. cap. XI. quod in Ægyptum vel Syriam ratius aduehitur; quandoquidem tenuiſſimus ex eiuſdem arboris ſurculis cortex vi odorifera in diuturno itinere facile deperdita vileſcit, nec ſine difficultate delibratur. Dioſcorides lib. I. cap. XIII. ei vim calefaciendi, emolliendi, & concoquendi tribuit, ac tertio quodammodo gradu calidum affirmat Galenus de Simpl. facult. lib. VII. Dioſcorides ceteris album præfert: cuius mihi Venetiis copia fuit.

Hirundinum ſiluestrium pullorum cineris] Dioſcor. lib. II. cap. LX. idem remedium tradit. Horum quoque meminit Galenus de Comp. med. ſec. loca lib. VI. cap. III. Sed & mattum Atpocration περὶ χελιδόνων Dioſcoridi lib. II. cap. LX. prope ſimilis. Vrendi modum affert Galen. de Comp. med. ſec. loc. lib. VI. cap. I. pariterque Æt. Tetrab. II. Serm. IV. cap. XLVII. Plinius item Valerianus lib. I. cap. LII. ubi nec domeſticos improbat.

Pondo] *Pondus*, Marcell. Vtrumque bene, ut ex iis conſtat, quæ in Lexico notaui.

Hæc omnia ſiue contuſa ſiue creta] Hæc omnia contuſa & creta. Vid. Compoſ. LXXI. LXXV. & CXX. Columel. lib. XII. cap. XX: *contuſa & cribrata.*

Auguſta] *Liuia Auguſta* Marcello ſignificantius. Quod ſupra indicaui.

L X X I.

Vuam] Martialis lib. x. Epigr. LVI:

Non secat & tollit stillantem Fannius uvam.

Huius à columella discrimen tradit Aretæus de cur. morb. acut. lib. I. cap. IIX. Ægin. pariter lib. VI. cap. XXVI. Optime Ætius Tetr. II. Serm. IV. cap. XL: *Gurgulionem quidam etiam columellam appellant: uvæ vero nomine accipienda est quædam in eo affectio, quum scilicet uvæ acino simile summum gurgulionis apparet.* Archigenem promiscue accepisse notat Galenus de Comp. med. sec. loca lib. VI. cap. III. Apertius Hippocrates Prognost. lib. III. Aph. XV. apud Ioannem Heurnium: ὁπόταν δὲ ἀποκριθῇ ἤδη πᾶν, σταφυλὴν καλέουσι. *At vero quum iam tota* (columella) *abscesserit* (à palato) *uvam vocant.*

Diu iacentem] Ætius loco memorato de Gurgulione: *Euenit aliquando, ut citra inflammationem nimium humectus laxior fiat: velut in destillationibus continuis contingit.*

Galla] Columellæ fluxiones cohibet: quia vehementer adstringit & siccat, Dioscoride teste lib. I. cap. CLXVII. Secundi nempe ordinis in refrigerando, in siccando tertii, ut docet Galenus de Simpl. med. facult. lib. VII.

Ter] Impar numerus antiquorum in primis medicorum superstitione celebratissimus. Hinc Festus: *Imparem numerum antiqui prosperiorem hominibus crediderunt.* Et Plin. lib. XXIIX. cap. II: *Cur impares numeros vehementiores credimus? idque in febribus dierum obseruatione intelligitur.* Sed & extra medicinæ professionem. Ita Colum. lib. V. cap. X: *Mala Punica ne in arbore rumpantur, remedio sunt lapides tres, si cum seres arborem ad radicem ipsam collocaueris.* Palladius rei rust. lib. I. Tit. XXVII. monet supponenda gallinis semper oua numero impari lib. III. Tit. XXV iubet imparis numeri poma cydonia ponere. lib. IV. Tit. X. tria grana citri terræ mandantur. lib. V. Tit. IV. terna grana Zizyphi. lib. X. Tit. XIV. grana tria pomorum. lib. XI. Tit. XII. trium fontium humorem exigit pro cerasis. Apuleius etiam de vir. herbar. cap. LII. piperis & coriandri grana nouem præscribit; cap. LXXXIX. cymas nouem; item ter septenas: cap. XCIII. solenni formulæ addit: *ter nouies dicas.* Sextus Placitus, vel quod nonnulli malunt Platonicus, lib. IX. cap. IX. ter circum arborem sterilem ferre præcipit vermem caninum. Mitto innumera propemodum aliorum testimonia.

Cyclamini succus] Galenus de Simpl. med. facult. lib. V. cap. XIV. ait aperire. Dioscorides tamen lib. II. cap. CXCIV. tradit prociduam sedem restituere. Cuius hæc vera lectio: ἕδραν προπίπτουσαν καθίστησι.

Ad uvæ tumorem] Inflammatur enim frequentissime, Aetii monitu.

Siccum] Quidam legendum opinantur, *sic est.* Nihil autem Scribonio clarius, etiam dum Metonymia delectatur.

Menarum sine ouis] Scribo, mænarum, sine ouis. Nam Dioscoridi lib. II. cap. XXXI. Μαινίς, Plinio lib. XXXII. cap. IIX. *Mana.* Quo etiam modo scribendum apud Catonem de re rust. cap. LXXXIIX. ubi *Mena arida.* Italis *Menola.* Piscem marinum colligo ex Plin. lib. IX. cap. XXVI Qui hodie Venetis in mensas venit. Minutum fateor cum Annæo, ut putatur, Cornuto in Persium. Ioanni tamen Mellero Palmerio in Specileg. vix assentire possum, qui forsan plebeium

prodit,

prodit, quoniam Tullius de Finibus lib. II: *Qui voluptatem ipsam contemnunt, his licet dicere se acipenserem mænæ non anteponere*. Huius nomine falsamenti quoque genus indicari à Persio Satyra III. tradit Pseudo-Cornutus ille, quem non ita dudum Mediolani antiqui codicis Ambrosiani autoritate Acronem detexit Henricus Emstius nunc Regius in Lyceo Daniæ Sorano Iuris Professor. Ad uvam diu iacentem recte commendatur à Scribonio. Enimuero Galenus de Simpl. med. facult. lib. XI. memorat quendam mænarum salitarum capitibus ad columellam diu induratam fuisse usum, earumque vim esse desiccatoriam, non admodum acrem. Qua fortassis ratione probantur quæ sine ouis, quandoquidem ex mullo hæc non obscuro acrimoniæ documento aluum turbant, velut & piscis Gallis in Prouincia idcirco *Cagarel* vocatus. Dioscorides lib. II. cap. XXXII. totidemque ferme verbis Arpocration, quem Iulio Capitolino teste audiuit Verus Imperator, ait ipsius garum putrescentia oris ulcera collutione sedare. Ad Scribonii mentem Plinius lib. XXXII. cap. IIX: *Anginas mænarum salsarum ex capitibus cinis ex melle illitus abolet*. Quæ verba Marcellus in cap. XV. sui libri traduxit. Nam capita mænularum salsarum adusta siccant, sententia Oribasii Synops. lib. II. cap. XIII. nec vis eorum admodum acris, ut ex Galeno procul dubio animaduertit idem Collect. medic. lib. XV. cap. II. attamen exulceratoria censentur eiusdem operis lib. XIV. cap. IIIX. imo exedentia in dicat Ærius Tetrab. I. Serm. II. cap. CLXXXIV. & ante ipsum Plinius, qui lib. XXXII. cap. X. ait: *capitis mænarum cinis cum allio tritus ad thymia crudis utuntur*. Vbi cum Gul. Rondeletio de Piscib. lib. V. cap. XIII. pro *crudis* malim *sedis*, cetera nihil mutans; quandoquidem allium summam corporis cutem exulcerat apud Dioscoridem lib. II. cap. CLXXXII: ut ut Chiffletius *cum oleo* rescripserit. Mænas in Lipara optimas capi prodit Hieronymus Columna in Ennium.

Digito humido] Id est, melle mixto.

Sursum versum.] Lego, sursum versus. Quod recte monet autor. Vua enim gurgulionis tumor est inferne crassus ac rotundus, uvæ similis, ut videre est apud Æginetam.

myrrhæ ↄ S] ↄ auersū, Demetrii Alabaldi, & Volusii Metiani indicio, itemq; Pet. Ciaconii ex tabula ærea calculatoria, Sicilici nota est, perperam apud Henr. Stephanum 9, quæ nouenarium indicat numerum: quanquam & ab Henrico Glareano lib. de Asse & eius partib. cap. IV. 9 sinistrorsum caudato signatur. Sicilicus autem singulariter est unciæ quarta pars, in qua sunt scrupula sex, nisi nos fallit Colum. de re rust. lib. V. cap. I. Drachmas quippe binas pendit, ut autor est Didacus Couarruvias. Ideoq; Festus rite dictum putat, quod semunciam secet.

Sandaracæ] Sandarachæ. Vid. Comp. LXI.

ↄ Γ.] f. ↄ S, ut in aliis. Nam Γο Græcis unciam significat. Drachmæ vero pondus huic miscellæ sufficit. Aldus minus recte Scripuli notam posuit.

Intunduntur.] Ruel. & Stepb. in unum tunduntur.

Digito mundo] Ad euitandam nauseam, quam sola etiam fricatio excitat.

Præter hæc subtilissimum succini albi puluerem per pinnam faucibus inspiratum sæpius efficacem deprehendi: quin etiam syrupo de rosis siccis & myrtino temperatum uvæ bono euentu admoui. Piper vulgo minus tuto admouetur, maxime ubi inflammatio adest.

LXXII.

Commis Alexandrina,] *Gummi Alexandrinum*. Marcel. Vtraque lectio bona. *Cummi* etiam Donato, & Charisio lib. 1. Græcum, veteribus genere neutro monoptoton fuisse cum Alcuino & Valerio Probo indicat Non. Marcellus, & *Cummis* femininum; qualiter Scribonius forsan exarauerat: quod P. Consentius *Gummis* dicit; Columella pariter lib. XII. cap. L. *crassa gummi liuerunt*. Malo tamen *Commis*, quandoquidem Græcis Κόμμι appellatur. Vide quæ ad Nonium obseruauit Paulus Leopardus Emendationum lib. XIIX. cap. XXX. Gummi vero optimum ex Ægyptia Spina, Plinio teste lib. XIII. cap. XI. Ideoque Alexandrini cognomen iure meruit, siquidem condita in Ægypto Alexandria Romam aduehebatur. Fateor equidem Acaciam seu spinam Ægyptiam à Dioscoride lib. I. cap. CXXXIV. descriptam ab Arabica, cuius meminit idem lib. III. cap. XV, longe diuersam. Gummi tamen Alexandrinum asseuero Arabicum. Etsi enim in Ægypto nascitur, in Arabia tamen petrea Ægypto contermina luculentius prouenit; unde in portum Alexandrinum conuehitur. Quod autem vulgo prostat, è diuersis quoque fruticibus Ægypti spinosis collectum Alexandriam transmittitur.

Tragacanthum] *Tragacanthe* Plinio lib. XIII. cap. XXI, veluti Comp. CX. *Tragacantha*. Τραγάκανθα Dioscor. lib. III, cap. XXIII, lacrima, quæ vulnerata radice Tragacanthæ manans concreuit. Vsus ad exasperatas fauces: linguæ subdita liquescit. Sed in principio inflammationis, ut præcipit Galenus de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. I. cuius etiam iudicio de Simpl. facult. lib. IIX. acrimoniam hebetat, & siccat velut gummi. Ad pectoris vitia è tragacantho Antidotum extat apud Actuarium lib. V. cap. VI. itemque apud Myrepsum Sect. I. cap. XCIIX. & cap. CIV.

LXXIII.

Deest compositio.] Ruellii hæc animaduersio nulla est, modo verba hac ratione constituantur. Compositio autem hæc est, ad tumorem arteriæ. Papaueris siluatici iam maturi &c. Quam coniecturam Marcellus cap. XIV. verbis paululum diuersis roborat. Possent etiam postrema præcedentis Compositionis verba interrupto numero uniri, ut autoris more simplicia Compositis prætermittantur, nisi subderet ipse: Hoc medicamentum ad arteriæ tumorem, & ad tussim facit. Itaque peculiaris ei locus debetur.

Ad tumorem arteriæ,] Aliorum scriptis atque in primis veterum aliquid attentare ita mihi fuit religio, ut nunquam id nisi animo pene suspenso coner, urgente sententia, vel medicorum consensu, quorum prima virtus antistitis naturæ vestigia legere. Subuerebar autem initio, ne heic reponendum fuisset *humorem*. Asperæ quoniam arteriæ ulcera se quidem vidisse indicat Galenus de locis affect. lib. IV. cap. IIX. probat etiam præter Ætium Tetr. I. Serm. I. cap. LXIV. Oribas. de loc. affect. curat. lib. IV. cap. XXXV: at nemo eius tumorem exposuit. Ab inflammatione gulæ compressam arctari scio eius tunicam, quæ car-

cartilaginum ipsius partes extremæ sigmoides iunguntur; atque tunc respirationem ac vocem lædi: quod neque magister siluit de loc. aff. lib. IV. cap. VI: qua mente Cælium Aurelianum Chronion lib. II. cap. VI. dixisse puto vocis amputationem fieri ex nimio tumore. Nullus tamen ei tumor insidit; sed musculis ipsam tegentibus, quos Iulius Casserius accurate delineauit. Is profecto si maxime deprehenderetur; ratione ligamentorum, quæ cartilagines connectunt homini paulo carnosiora musculisque perexiguis ferme similia, id fieret. Nisi & in perexiles intrinsecus ipsi insertos tenuis forsan humor flueret musculos, Casserii dexteritate notos. Tumor autem primum obseruatur, postquam humor fuerit impactus. Quo tempore medicamento ex papauere nihil proficitur; quandoquidem id potius densat & cogit, quam discutit, secus quam vitii postulat indoles. Nihil igitur mirum, si dictantis forte celeritatem negligentiori calamo sequuti scriptores una literula dissidentes inter se voces commutauerint: quod & Comp. LII. accidit. Humoris certe subtilis in asperam arteriam è capite destillationem nihil æque moratur ac præsens medicamentum. Nec autoris hunc animum obscure manifestat proxima Compositione fluor: cui etiam Comp. LII. hyoscyami semen imperatur. At vero diligentius rem ponderanti subuenit arteriæ tumore significari posse Bronchocelen siue gutturis ramicem à fluore humoris ad caput asperæ arteriæ, quem raucitas consequitur. Huic tamen vitio papauer nihilo magis confert.

Papaueris siluatici] Sic etiam Plin. lib. XX. cap. XIX. Diacodion tamen Dioscoridis lib. IV. cap. LXV. è papaueris satiui capitibus conficitur.

Demadescant,] Barthius Aduers. lib. XL. cap. IV. interpretatur, exsiccescant. Quidni, madescant omnino? Sic Ouidius Trist. lib. V. Eleg. V.

Et te flente suos demaduisse sinus.

DE namque Priscianus lib. XIV. non modo priuatiuum, sed etiam intensiuum ostendit. Sueton. Ner. cap. XXX. *deparcus accepit*. Hanc autoris mentem patet ex Comp. XLI. CXI. & CLIX. Qua etiam sententia Galenus de Comp. medic. sec. loca lib. VII. cap. II. notat coquenda, dum flaccescant. Adde siccis non exprimi succum. Hinc autor bene papaueris viridis capita exigit, id est, nondum indurata, ut Galeno placet. Hoc pacto de Brassica M. Cato rei rusticæ cap. CLVI: *coquito usque donec ea commadebit bene*.

Modum] Id est, mensuram, quæ musicis propria. Scribonius autem proportionem innuit.

Mellis] Hoc tamen vitandum in fluore admodum tenui præcipit Galenus, quandoquidem & ipsum attenuat.

Duplex vas] Δίπλωμα Galeno de Comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. II. & lib. IV. de sanit. tuenda cap. IIX. post Dioscor. lib. II. cap. XCV. cuius rationem Hermolaus Barbarus & Marcellus non videntur satis percepisse. Nihil seplasiis hodie familiarius: eamque vocem adhuc Latini retinent. Plinium lib. XIII. cap. II. idem plumbeis vasis indicasse confirmat Scribonius Compos. CCXXX. ubi pyxis plumbea in ampliorem stagneam mittitur. Plin. Valerian. lib. II. cap. XVII. XXX. & lib. III. cap. XXVI. in vase duplici coquere. Theodorus Priscianus cap. XIX. Diplangio coquere. Procul dubio voce gemina corrupte in unam contracta. Legitur enim in Dioscoride διπλῷ ἀγγείῳ. Id fit, quum in lebete magno, in

quo

quo aqua feruens, exiguum vasculum inseritur, ut Galenus autor de Compos. med. sec. loc. lib. VII. cap. II. & de Sanit. loco pridem dicto. Melius idem lib. III. cap. V. de Comp. med. per gen. quum in cacabo, qui aquam calidam habeat, (prunis enim incumbit præustis, aut lignis fumū non edentibus) vas alterū consistit. Nos etiam laboris compendiū fornaculæ lychnuchis ex oleo exploravimus.

Ad arteriæ] Ita legendum apud Marcellum cap. XIV. ubi perperam *auriculæ*; quamuis fide satis bona Largum in ceteris plerunque descripserit.

LXXIV.

Arteriace] Sine adiectione, ut monet Gal. de Comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. I. Qua etiam formula Celsus lib. V. cap. XXV. Actuar. Meth. med. lib. VI. cap. VII. Iulio Alexandrino interprete *Arteriaca*, veluti & Plinio Valeriano lib. I. cap. LIII. Æt. Tetr. II. Serm. IV. cap. LI. *Arteriaca, quæ arteriæ vitiis dicata sunt medicamenta*. Cælius Aurelianus Chronion lib. II. cap. VI. dixit *Arteriaca medicamina*. Galeno libri dicti cap. II. placuit *Arteriaca Compositio*.

Item ex ea ad tussim,] Scriptum forsan erat: Item & ex ea ad tussim. Magis placet: Item ad tussim. vel: Item & ad tussim, &c.

Abscissum] Marcellus *adspissum*. Scribonium tuetur lemma Compositionis XXXII. itemque Compositio centesima.

Commis Alexandrinæ ✱ P. v.] Ita libri omnes. Ruell. ✱ P. VI.

Cariotarum] Caryotarum. Qualiter scribendum etiam Comp. CXLIX. Item apud Plin. Valer. lib. III. cap. XX. & Apul. de vir. herbar. LXXVII. Καρυώτιδες Diosc. lib. I. cap. CXLIX. Ioanni Antonio Saraceno *Caryotæ*, faucium asperitati medentur. Plin. lib. XIII. cap. IV: *caryotæ maxime celebrantur, & cibo quidem, sed & succo, uberrimæ. Ex quibus præcipua vina orienti, iniqua capiti, unde pomo nomen*. Nimirum ἀπὸ τοῦ κάρου, a sopore cum grauedine, ut Dalechampius heic addit. Strabo lib. XVI. de Syria: *Palmetum, quod palmam caryotam fert, alibi nullum est, excepto Babylonio & ulterioribus orientem versus*. E Syria quoque in Italiam inuectas tradit Varro de re rust. lib. II. cap. I. Eas cum Caticis confundit Stephanus Forcatulus Penus Iuris ciuilis cap. XVII. cui parum fauet Nasonis illud Fastorum lib. I.

Quid vult palma sibi rugosaq; carica dixi.

Distincta quippe utriusque heic mentio est.

Pulpas medias,] Galenus de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. II. Phœnicobalanorum carnem nominat.

Interioribusque venis,] Similitudo perquam elegans, qua fibræ seu filamenta pulpæ notantur. Plinio lib. XXII. cap. XXII. uno verbo est *emedullare*. Istæc ab aliena fortassis manu, nec Marcello satis probata. Non minori tamen venustate de lactuca Plinius Valerianus lib. III. cap. IV: *medium thyrsum & venas tollas*.

Vel uvæ passæ] Marcellus particulam disiunctiuam omisit. Scribonii autem lectio melior. Vua enim passa cariotarum est ἀντιβαλλόμενον siue succedaneum. Quod Galenus præteriit passi Cretici loco adsumens πρότροπον, Iano Cornario interprete *passum protropum*: certo argumento Scribonium Latine scripsisse; quem ille homo Græcus non recte adsequutus alienis quandoque ver-

bis

bis reddidit. Nisi ex communi fonte suo uterque heic ingenio abundauerit] Πρόποτον ἐν ᾧ enim Plinio lib. xiv. cap. ix. *protropum*; quod Colum. lib. xii. cap. xxvii. *Mustum lixiuum, hoc est, antequam prælo pressum sit, quod in lacum musti fluxerit*: vel, autore Plinio, *mustum sponte defluens, antequam calcentur uvæ*.

Commis] Confer quæ ad Comp. lxxii dixi.

Pila &c] Marcello desunt: non tamen superuacua. Vtriusque enim Compositione sequenti mentio. Pila vero ligneum vas, in quo prisci frumentum contundebant.

Admiscete. Inde date] Marcellus: *dari debet fabæ magnitudinis globulus, & sub lingua teneri, & deuorari statim quod liquefactum fuerit*. Scribonii mens eadem erit, ubi sic legatur: admiscete: inde date fabæ magnitudine globulum; sub lingua tenere deuorantem, quoad liquefactum fuerit. Huius vero magnitudinis pilula incommode sub lingua tenetur. Plinius Valerianus lib. i. cap. lix. Eclegmadium quidem in modum auellanæ sub lingua tenendum præscribit. Hoc tamen præterquam quod mollius, minoris etiam est molis. Globulus igitur eius generis rectius lupini magnitudine, sex nempe vel octo granorum pondere, imperatur: nisi supra linguam tenendus; ubi & quantum faba conuenit; sed Græca verius meo iudicio, quam Ægyptia. Illa enim scrupulum pendit, atque sub lingua quodammodo liquescere poterit. Qualiter & Celsum lib. iv. cap. iv. interpretor.

Quoad] *quod* Marcellus magis integra sententia.

Puxide] H. St. pyxide. Incertus quidam u in y mutauit. Sed frustra, quandoquidem mutuus harum vocalium apud veteres usus.

Buxea.] Non solum ad medicinæ decus, verum ad conseruationem. Nam, ut scite Plinius lib. xvi. cap. xvi. *In primis vero materies honorata buxo est, duritie ac pallore commendabilis*.

L X X V.

Arteriace, qua melior non est, refertur] Sic interpunge. Arteriace, q. m. n. est. Refertur a; a. A. nostro. Facit a. o. s. d.

Ab Asclepiade nostro] Cuius doctrinam Celsi exemplo Scribonius probauit. Sed & Scribonium Asclepiades apud Galenum aduocat. Quem vero is huius operis initio maximum medicinæ autorem vocat, dubio procul est philophysicus Galeno de Comp. med. sec. loc. lib. iix. cap. v. quem Plin. lib. xxvi. cap. iii. refert Pompeii Magni ætate à Rhetorica ad medicinam transiisse.

Vitii est: constat] Scribo. vitii est. Constat n. h.

Tragacanthi candidi ⁎ p. xxiix.] Marcellus cap. xiv. denar. xxxiix.

Glycyrizæ radicis] Posterior vox redundat, nec de glossemate suspecta, nisi addatur dulcis, ut Comp. lxxxvi. Qua expositione post Celsum lib. v. cap. xx. & autorem Compos. clxx. usus interpres Dioscoridis lib. iii. cap. vii. ubi γλυκύῤῥιζα. Ex quo heic & Comp. lxxxvi. reponendum, glycyrrhizæ.

Terebinthinæ veræ ⁎ p. xiix.] Marc. denar. xxxvi. Denarii nota utrobique in numerum perperam transmutata. Cuiusmodi errorem in quibusdam libris

Celsi scriptis aliquoties notaui. Pondus autem Scribonii concinnius videtur.

Tragacanthum sicut est contundere.] Sine dissolutione, aut additione veluti Comp. CIIX.

Per cribrum tenuibus foraminibus] Cribri perforati meminit Compos. LXI. Angustissimum etiam cribrum nominat Galenus de Comp. medic. sec. loc. lib. VII. cap. VI.

In pilam] Cato de re rust. cap. X. Pilam ligneam poscit. Plinius lib. XIIX. cap XI. scribit zeæ granum in pila lignea tundi. Herbam trissaginem, draganthum & rosas in pila lignea pistare iubet P. Veget. art. veterin. lib. I. cap. XXXII. scribe, *tragacanthum*; item *pinsare*. Marcellus etiam cap. XXVI. ait componi remedium in pila lignea, & pilo ligneo. Sed Largus, unde ista habuit, non pilæ ligneæ, verum solius pili meminit, veluti Palladius de re rust. lib. I. Tit. XLI. pilæ. Cato autem pilum fabarium, farrearium, & seminarium exigit.

Omnium unitas] H. St. omnino unitas.

Tritam sensim] Tritam, sensim a. o.

Pilulas faciant] Quiricus de Augustis Lumine Apothecariorum eiusmodi formam probat, quoniam caloris contactu qualibet sui parte in ventriculo dissoluitur. Vero autem similius ad faciliorem deglutitionem, maximeque palati gratia ad euitandum amarorem excogitatam: quamquam & verior subest ratio, quod à partibus remotis validius attrahant.

Fabæ] *Viciæ* Marcell. cap. XIV. Recte, quamuis fabam paulo ante nominauerit. Minor enim pilula concinnior, ut pridem aduerti. Galenus tamen de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. II. fabæ Ægyptiæ magnitudinem admittit, quæ Æginetæ sententia Victoriatum seu Drachmæ semissem valet.

L X X V I.

Ad suspirium] Malum hoc apud Græcos ἆσθμα nominatum indicat Celsus lib. IV. cap. IV. Cæl. Aurelianus Chron. lib. III. cap. I. recte: *Anhelatio, siue suspirium ab accidenti nomen sumsit.* Qua mente Seneca Epist. LIV: *uni morbo quasi assignatus sum: quem quare nomine Græco appellem, nescio. Satis enim apte dici suspirium potest.* Hinc Plinio lib. XX. cap. IX. & lib. XXX. cap. VI. *suspirium*; itemque lib. XX. cap. VI. *suspiriosi*, qui eo torquentur. Hieronymus Mercurialis tamen Var. lect. lib. VI. cap XVI Ὀρθόπνοιαν putat. Medici vero summa cum ratione mortis meditationem appellarunt; siquidem vita consistit in respiratione, qua cessante lucis usura desiit, quemadmodum Galenus vere docuit de loc. aff. lib. IV. cap. VII. Sed & animum heic integrum, quotidianis experimentis adeo notum est, ut doctissimus vir noua interpretatione Senecæ verba nimis argute in dubium vocauerit.

Acetum scillites; quod vocant,] Acetum, scillites quod vocant. Huius descriptio à Dioscoride traditur lib. V. cap. XXV. Quod Salmasius in Solinum inter embammata reponit ex Columella. Hic vero de re rust. lib. XII. cap. XXXIII. Vinum scillites ad concoquendum, & ad corpus reficiendum ponit, non acetum; idque ut medicamentum, non ut alimentum, nisi qua medicamenti fortassis naturam referat. Qua etiam ratione oxymel Plinio Valeriano lib. V. cap.

VII. lau-

VII, laudatum, quod ſanè Columella lib. XII, cap. LVI. cum exiguo oleo ſiferis radici ſuperfundi præcipit. Locus tamen ille cap. XXXIV. à ſummo viro ingenioſè correctus.

Scilla] σκίλλη Dioſcor. lib. II. cap. CCII. σκίλλα, vetus gloſſa. Plinio lib. XX. cap. IX. duplex eſt: maſculus, quæ alba; fœmina nigra. Candidiſſima eſt utiliſſima, urinam cit: ideoq; ſplenis affectibus utilis apud Galenum de Comp. med. ſec. loca lib IX. cap. II. Suſpirioſis etiam confert lib. VII. cap. VI. Quia moderate calefacit, eiuſdem autoritate de Simplic. facult. lib. V. cap. XIII. Secundo etiam ordine ſiccat, de ſimpl. fac. lib. IIX. Secandi vim ei tribuit Ægineta lib. VII. cap. III. Correctionem ejus habet Oribaſius lib. XII. Collect. & de virt. ſimpl. lib. II. cap. I. cuius inuentio ad Pythagoram refertur lib. III. cap. CCV. de medic. facile parabil. qui Galeni creditur.

Fumo cocta] Vt vim acrem deponat.

Mellis duabus partibus Attici] Traductio ſic emendanda: mellis Attici duabus partibus &c.

Cochleario,] Cochlearium, veluti Comp. XCIV. hic inſtrumentum videtur, non menſura. Demto autem inciſo, quod magis placet, menſuram vt ante indicat. Quam Galenus etiam documento de puero epileptico præcipit.

Sumtum profuit multis, Pulmo] ſumtum. Profuit multis pulmo &c. Gal. de Simpl. fac. lib. XI: *Pulmo vulpinus, ſi bibatur reſiccatus, aſthmaticos iuuat.* Addit Celſus lib. IV. cap. IV: *Eſt etiam non vana opinio vulpinum iecur, ubi ſiccum & aridum factum eſt, contundi oportere.*

Pulmo certi] Autor lib. de med. fac. parabil. cap. XXVII.

LXXVII.

Opium diluitur] Opium iterata ſpiritus vini, vt dicitur, diſtillatione correctum longe tutius eſt ſuſpirioſis: nec tamen ſatis ſecurum, niſi tenuis forte pectoris deſtillatio vitium foueat. Quo in caſu Aſthmaticis opiata quandoque profuiſſe procul dubio adfirmauit Leonhardus Doldius vir ſua ætate acutiſſimus in Reſponſione, quæ apud me ſeruatur MS, ad C. V. Iacobi Zuingeri de Opii Qualitatibus diſputationem nondum editam. Quid quod Proſper Martianus in Hippocr. Pag. 76. ſtatuit opium concoquere; quatenus impedit diſſolutionem fluxionis cauſam. Alumen vero adſtringit, opium dolorem ſedat, Gal. teſte de Comp. med. ſec. loc. lib. III. cap. I. Fateor equidem aceto diſtillato noxam opii plerumque tolli. Scio tamen & vini ſpiritum non minus efficacem, maximeque in caſu iam propoſito. Cuius aliquot abhinc annis primum debeo indicium viro memoriæ celeberrimæ Iacobo Vallenſi, Sereniſſimi Principis Auraici medico. Idemque mihi poſtea confirmarunt alii non infimi nominis chymiatri. Adeo veriſſimum Scribonii illud: *in eiuſmodi rebus potentior uſus ratione eſt.* Sed nec ratio forſan experimentum deſtituit. Enimuero ſpiritus vini ſulfur opii narcoticum promte adlicit. Periti iudicent, & prudenter experiantur.

Trito, fiunt] Sic diſtingue: trito: fiunt g. c. amplitudinis. Dantur i. a. c. &c.

Globuli] Theophr. σφαιρία. Turnebus Aduerſ. lib. xx. cap. xvi. & lib. xix. cap. xxvii. ex Dione globulos ſiue pilulas exponit.

Qui purulenta exſcreant.] Tales ἔμπυοι Galeno in Hippocr. Progn. lib. ii. Aph. lx. aliis liix. nobis ſuppurati.

LXXIIX.

Sulphuris] Malo ſulfuris: quemadmodum & Comp. xcv. & ccxxi, itemque ccxlvi. Vox enim iſta nihil habet Græcis affine: ut vere hanc quoque ſcriptionem in Varrone de Ling. lat. lib. iv. retineat Ioſeph. Scaliger: quam & in Columella, nec non Palladio, melioris editionis paſſim obſeruo.

Vini] Dioſc. lib. v. cap. cxxiv: *Sulphur optimum exiſtimatur viuum, quod ἄπυρον vocant.* Plin. lib. xxxv. cap. xv: *Vivum, quod Græci apyron vocant, naſcitur ſolidum, hoc eſt glebosum: eo ſolo ex omnibus generibus medici utuntur: viuum effoditur.* Celſus lib. iv. cap. iv. *ignem non expertum* dixit. Quam circumſcriptionem laudat Georgius Agricola de nat. foſſil. lib. iii. Probat quidem Dioſcorides, & cum eo fere omnes ad pectoris vitia ſulfur vivum. Noſtra tamen ætate ſublimatum, quod ſulfuris flores appellamus, longe iucundius experimur. Imo Galenus de Comp. med. ſec. loc. lib. vii. cap. iii. laudat Andromachum, qui ſulfur viuum damnat ad ſanguinis reiectionem. Huius autem portio ſincerior & unguinoſa ignis vi elicitur, relicta impuriore ac terreſtri, quæ acritudinis domicilium.

Nitri p. ⚹ ſelibra,] Vox poſtrema omnino tollenda, & reſcribendum ⚹ S. Qualis enim proportio ſelibræ ad ⚹ i. ſulfuris? Irrepſit ea procul dubio per librarii inſcitiam, qui S, cuiuſque ſemiſſis notam, putabat ſelibram ſignificare. In Marcello etiam ⚹ i. reperitur: quanquam nitri dimidium magis placet ad rationem ſulfuris, cuius vires heic potiſſimæ; quandoquidem calidum ac tenue Galeni experimento de ſimplic. fac. lib. ix: calefacit, diſcutit, & coquit, ſicut illud detergit eiuſdem monitu Meth. med. lib. iix. cap. iv.

Abrotani] Dioſc. lib. iii. cap. xxix. Celſ. lib. iv. cap. iv. Calidum & ſiccum ordine tertio, digerit ac incidit Galeni ſententia de ſimpl. fac. lib. vi. Pulmonem expurgat, & facilem reddit ſpirationem Æliano teſte lib. ix. de Animal. cap. xxxiii.

Aceti calidi] Ad efficaciorem penetrationem. Ait enim Galenus de Comp. med. ſec. loc. lib. iix. cap. iii: *Vbi profunda humiditas, craſſa, & glutinoſa, opus eſt miſtura pharmaci attenuantis, & ſi ita dicere libeat perroſiui, quale eſt acetum.* Mihi vtique acetum mulſum pectori gratius videtur: quod Galeno etiam placuit de Comp. med. ſec. loca lib. ix. cap. ii. velut aqua mulſa Scribonio Compoſitione ſequenti.

LXXIX.

Ad lumborum dolorem] Feſtus: *Lumbago, vitium & debilitas lumborum.* Plinio itidem lib. xxiix. cap. iix. & xiii. lib. xxx. cap. vi. *lumborum dolor.* Quem nonnulli Iſchiadicum interpretantur.

Lie-

Lienosos.] Id est, qui durum iam diu habent lienem, vt autor Galenus Com. VI. Aph. XLIII.

Bryoniæ, id est albæ vitis] Galenus tamen Vitem nigram proprie vocat Bryoniam. Quod suo etiam æuo factum scribit Plin. lib. XXIII. cap. I. Sed nigram vitem à quibusdam Nigram Bryoniam, vitem albam simpliciter Bryoniam fuisse appellatam tradit Dioscorides lib. IV. cap. CLXXXIV. & CLXXXV. Albæ radix cit urinam pota. Difficulter spirantibus prodest.

Iris Illirica:] H. St. iridis Illyricæ. Ita passim. Nostras enim purgat. Quod monet Alphonsus Lopez in Galenum.

Scyllæ] Scillæ, vt Comp. LXXVI.

Bulbi crudi] Quid si fuerit scriptum, non crudi? Scillam certe furno coctam postulat Scribonius Comp. LXXVI. assatam quoque Galenus de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. II. vt vehementiam exuat. Eamne retinendam censuerit autor, periti iudicent, quando addit, ex interiore parte, id est, purgatis exterioribus putaminibus, vt Comp. LXXVI. Folia vero imbecilliora tradit Galenus de Alimentor. facultat. lib. II. cap. LXI. Inde Marcellus cap. XVII. non male, *tenerum ex interiore parte*.

Aqua mulsa] Marcell. *aquæ mulsæ*. Vulgata vero lectio satis proba.

LXXX.

Radix cucumeris siluatici] Hæc omnem veterem tumorem discutit autoritate Dioscoridis lib. IV. cap. CLIV. etiam Galeni experimento de Compos. med. sec. loc. lib. I. cap. IIX. qui simul emollire partim in oleo partim in aqua decoctam tradit lib. V. de Simpl. facult. cap. IX.

Ebiscum] Vocabulum hoc Romanum indicat Dioscorides lib. VI. cap. I. ἀλθαία, ἣν ἰβίσκον ὀνομάζουσι Ῥωμαῖοι. Post Galenum de Simpl. fac. lib. VI. Suidæ quoque ἰβίσκος, ἀλθαία. Latinorum sane poetarum principi *Hibiscus* est Bucol. Ecl. II. & X. Celso pariter Medicorum Latinorum primo lib. IV. cap. XXIV. Plinio seniori lib. XIX. cap. V. *Hibiscum: alii Ibiscum vocant*, ait Apuleius de vir. herbar. cap. XXXIX. ubi Aldina editio, *Latini vocant.* Sic Pallad. de re rust. lib. XI. cap. XIV. *Althea, hoc est ibisci folia.* Inde forsan Germanis *Ibisch.* Ad Græcos magis accedit Plin. Valer. qui lib. I. cap. VI. lib. II. cap. XXXI. & lib. III. cap. XIII. *Euiscum* nominat. Macer hanc non usque veram fortassis quam ingeniosam de Malua rationem addit:

dicunt euiscum, quod quasi visco
Illius radix contacta madere videtur.

Quid igitur dubii, quin Scribonius Latina consuetudine opus hoc pertexuerit? Dioscoridi lib. III. cap. CLXIII. est in genere siluestrium maluarum, qui affirmat strumis efficaciter imponi, siquidem discutit, & excoquit. Laxat præterea, & siccat Galeni obseruatione.

Marini lepores] Qui valde penetrant, etiamsi terrenæ substantiæ, quemadmodum Galenus docet de Simpl. fac. lib. IV. cap. XIX.

Oleo vetere] Hoc enim calidius Galeno de Simpl. fac. lib. VI. ac tenuium partium, de Comp. med. per gen. lib. I. cap. IV. rarefacit, de Simpl. fac. lib. V.

cap.

cap. XIV. & vehementius digerit.

In plumbea] Sic Galen. de Comp. med. sec. loc. lib. I. cap. II. Item de Comp. med. pergen. lib. II. cap. XIV.

Pyxide] Omnes Steph. pyxide.

Alligatam] Ne vires exhalatione perdat.

Ex ea, pinna] Incisum exteratur.

Pellis lanata] De hac Vlpian. in L. *si cui lana.* XXX. §. *Lanæ appellatione.* D. Legat. III.

Tegendi gratia,] Numquid focale innuit, quo veteres adversus aetis frigorisque iniuriam fauces muniebant? Huius exquisitam rationem ab Octauio Ferrario V. C. propediem exspectamus. Non dissimili ratione Vatinius dibapho strumas texit. Id Celso lib. III. cap. XXII. *fauces velare*: qui lib. IV. cap. II. in destillatione præcipit, *lana fauces circumdare*. Vsum eius fuisse minus familiarem indicat Quintilianus Institut. Orator. lib. V. cap. III. *focalia & aurium ligamenta sola excusare potest valetudo*. Germanis hodie receptum est.

Præcipere] Lepus enim marinus insigniter est virulentus, vt patet Comp. CLXXXVI.

LXXXI.

Ad strumas & ad duritias mammarum m. f.] Distingue. Ad strumas, & ad duritias mammarum, m. f. a. s. e. p. f. nihilo minus, h. m.

Olei veteris p dua,] Ruel. & Crat. St. pondera duo, Ald. pond. duo.

Mannæ thuris] Μάννα λιβάνου; *Manna thuris* Dioscor. lib. I. cap. LXXXIV. Glossa vetus: *Thuris pollen*, ἡ μάννα. Galeno de Comp. med. sec. loca lib. IV. cap. IV. Manna thuris proprie appellatur id, quod ex cussum est à thure circa magna onera confracto. Auferuntur enim simul ab ipso fragmenta quædam parua corticis thuris. Hinc vere Plinius lib. XII. cap. XIV: *micas concussum elisas mannam vocamus*. Ioannes Nicolaus Loensis Miscell. lib. IX. cap. XV. ait: *Thus manna recent oribus maiores & subrussæ thuris lacrimæ*. Huic vero adstringendi vis est ex cortice.

Galbani] Galbanum, Theodoro Gazæ apud Theophrastum histor. plantar. lib. IX. cap. VII: *chalbanum*; χαλβάνη Dioscoridi lib. III. cap. XCVII. *Succus nascentis in Syria ferulæ*, ut addit Plin. lib. XII. cap. XXV. *resinæ modo*.

Cerati spissi] Ceratum medium est inter unguentum & emplastrum temperamenti. Illo nempe spissius, hoc liquidius. Ex hoc tamen loco patet, veteribus diuersam eius fuisse temperaturam. Aliud nempe spissum; aliud tenerum. Posterius indicatur Comp. CLXXIII. & CCIX. Liquidi etiam Celsus meminit lib. VI. cap. XIIX. & lib. VII. cap. XXX. mollis itidem lib. IIX. cap. X. Sicut & Galenus de Comp. med. per gen. lib. III. cap. IV. & lib. VII. cap. XII. qui spissius etiam nominat de Comp. med. sec. loca lib. IIX. cap. V.

Aluta cum opus est,] aluta, cum opus est. Gaspar Barthius Aduersar. lib. V. cap. XVII. notat olim chirurgos alutæ illeuisse unguenta, quæ hodie linteolis. Verum consuetudo ista etiamnum perdurat. Ea pellis alba Galeno de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. II.

Aper-

Apertæ] id est exulceratæ Plinio lib. xxx. cap. v.

Hieme alternis, æstate cotidie.] Vt fanies detergatur. Hippocratis enim decreto, lib. de Vlceribus, *Vlcera non purgata non committi solent*. Et vere; quandoquidem, ut venusta similitudine de Alimento idem, *pus ulceris alimentum*.

LXXXII.

Malagma] Asclepiadi, & Andromacho quævis pharmaca exterius imposita fuisse malagmata memorat Galen. de Compos. med. sec. loca lib. IIX. cap. v. Sed improprie. quandoquidem talia proprie partes præter naturam indurat as emolliunt, inter humectantia & siccantia exacte media, ut docet idem de Comp. med. per gen. lib. VII. cap. I. Quod vel ipsa nominis ratio significat Græci sermonis etiam leviter peritis. Eius discrimina Oribasius habet Coll. med. lib. x. cap. XXVII. Emplastri nomen ei quidem indulgere quoque videtur Galenus de Compos. med. per genera lib. VII. cap. v. Sed temperamenti forma id factum patet Comp. CCLXVI. Ausonius Popma lib. II. de diff. verbor. *Fomentum* interpretatur.

Idem ad] Rectius. Item ad m.

Mammarum muliebrium] Naturæ portento viri quandoque mammosi. Qualem mihi adolescentulo sub Philosophiæ mitiorisque litteraturæ tirocinio Cantabrigiæ hospitem videre licuit ætatis mediæ, fuscum, ac trossulum. Viros etiam lactantes in Ægypto conspexit Veslingius, dum Cairi quinquennium commoraretur.

Duritiem] Ald. duritiam.

Paniculas] Vid. Comp. CCLXIII.

Tubera] *Tuber*, Ἀπόσημα Glossa vetus. Quod à Græco τῦφαρ Salmasius dictum putat. Abscessus è corpore in rotundum erumpens. Seneca de Benef. lib. II. cap. XIX: *Tuber quidam tyranni gladio diuisit*. Plinius lib. VII. cap. v. idem nartans de Iasone Pheræo Vomicam nominat; ἔγκωμα Vegetius Artis Veterin. lib. II. cap. XXX: ubi in vulgatis libris *intomata* ex emendatione Ioannis Sambuci *antomata*, verius ἐγκώματα: quod ferme à lapsu factum putat Hadrianus Turnebus Aduers. lib. XVI. cap. v. Salmasius φῦμα credit, quod Furunculo maius opinione Celsi lib. v. cap. XXVIII.

Quæ subito adnascuntur.] Id est tumores, qui fluxu, non collectione fiunt.

Ceram sacram] Iacobus Hollerius memoriæ lapsu de Mater. Chirurg. lib. I. cap. II. adfirmat à Scribonio virgineam appellari. Huius enim nulla in Scribonio fit mentio. Antonius Chalmeteus Enchir. chir. lib. I. cap. x. ceræ nouæ ex prælo fecem intelligit. Cognomen hoc à sacra via accepisse opinor. Sic enim de propoli Varro tei rust. lib. III. cap. XVI: *Medici utuntur in emplastris. Propter quam rem etiam carius in sacra via quam mel venit*. Sacræ autem viæ meminit idem de lingua Lat. lib. IV. De cuius appellatione varie Festus. Dioscorides lib. II. cap. CVI. notat vehementer calefacere & attrahere.

Visci

Visci de quercu] Officinis est *Viscum quercinum*. Hæc enim arbor eius ferax, autore Theophrasto Histor. Plant. lib. III. cap. IX. quanquam & in malo, pyro, & plerisque aliis nascitur, teste Dioscoride lib. III. cap. CIII. quod in Ilice pariter obseruauit Theophr. lib. nominati cap. XVII. Hederæ foliis id simile perperam tradidit Ioannes Philoponus, interprete Petro Corcyræo, in lib. I. Aristot. de generat. animal. cap. I: cetera glutinum eius candide vulgauit. Nec folia Buxi maioris usquequaq; refert: quicquid scribat Dodonæus Histor. Stirp. Pempt. VI. lib. IV. cap. III. Plinius autem lib. XVI, cap. XLIV. ait: *Nihil habent Druidæ visco & arbore in qua gignatur (si modo sit robur) sacratius*. Inde lib. XXIV. cap. IV. *viscum è robore præcipuum diximus haberi*. Emollit, discutit, extrahit; parotidas, tubercula, ceterasque collectiones maturat; Dioscoridis indicio: Strumas siccat apud Plinium. Proinde Paul. Ægineta lib. VII. cap. III. ad glandularum tumores commendat. Substantiæ nempe magis aereæ ac humidæ, quam terrenæ, instituto Galeni de simpl. facultat. lib. VI. calefacit cum acrimonia, trahitque fortiter ex profundo, etiam crassiores humores, sed temporis diuturnitate, ut præter Galenum aduertere Oribasius de Vir. simpl. lib. II. cap. I. & Aet. Tetr. I. Serm. I.

Cypiri] Huius à Cypero discrimen ostendi Comp. LXI. At *Κύπειρον* Theophrasti & *Κύπερον* Dioscoridis figura viribusque nihil discrepate Salmasius indicat in Solin. cap. LII. Quam Ioannis Ruellii quoque fuisse mentem supra notaui.

Gladiolum] Gladiolus, Xyris, Iris agrestis. Oribas. Coll. med. lib. XII. Dioscorides lib. I. cap. I. ait radices coctas & illitas emollire strumas, veteresque duritias. Autoritate quippe Galeni de Simpl. fac. lib. IIX. attrahit, digerit, & siccat. Intrinsecus quoque efficacem constat insignis quondam medici Ioannis Preuotii fide, qui radicem gladioli vulgaris drachmæ pondere subtiliter tritam quatuor ante cibum horis præbuit. Memini etiam Marpurgi, quum sacris initiarer Apollineis, mulierculam radice quadam collo appensa contra strumas, quas Medicorum vulgus appellat scrofulas, mira promisisse. Atrei medicæ non vulgariter peritus Nicolaus Braunius doctor meus hanc gladioli credidit, ut ut ipsa studiose occultaret.

Ferulæ] Ita P. Vegetius mulomed. lib. II. cap. XXVI. Scribendum forsan feculæ. Quod indicant, quæ sequuntur valide attenuantia, è fossilibus depromta, pariter Compos. CCXXVI. CCXXVIII. & CCXXX; itemque P. Veget. lib. III. cap. (XXII.) XXV. & lib. IV. cap. XVI. Autori etiam Introductionis, quæ Galeni titulo innotuit, cap. XIV. fecula est adurentium materia.

Aphronitri] *Ἀφρόνιτρον* Galeno de Comp. med. per gen. lib. VII. cap. VI. Vitruuio Archit. lib. VII. cap. XI. *Flos nitri*, Dioscoridi lib. V. cap. CXXXI. *Ἀφρὸς νίτρου*. *Spuma nitri*. Qualiter & *Ἀφρόνιτρον* exponit Phrynichus in Ecloga dictionum Atticarum, quasi *λίτρου ἀφρόν*; qui addit exsoletum esse, ac Æolice *νίτρον* dici, quod *λίτρον* Atticis. Hinc vere Martialis lib. XIV. Epig. LVIII.

Spuma vocor nitri, dicor & Aphronitrum.

Galenus tamen de Simplic. facult. lib. IV. cap. XXI. & apertius lib. IX. hæc discernit. Nitri nempe spumam triticeæ farinæ similem; Aphronitrum esse congelatum. *Proxima ætas Medicorum aphronitrum tradidit in Asia colligi*. Recte

ete Plinius lib. xxxi. cap. x. Nam & ex Philadelphia Lydiæ adferri scribit Dioscorides. Optimo consilio heic additur, quoniam attenuat ac incidit, Galeno teste lib. iii. cap. ii. & lib. vii. cap. vi. de Compos. med. per genera, qui & siccare docet, lib. ii. cap. v.

Asii lapidis florum] Melius forsan Assii. Ioannes Brodæus quoque Miscellan. lib. vi. cap. xi. mavult s geminare: quia ex Asso Troadis fissili vena scinditur, Plinio teste lib. xxxvi. cap. xvii. Quo etiam modo in melioribus libris exstat; Galeno itidem lib. vii. de medic. Simpl. facult. λίθος Ἄσιος, ut librariorum negligentia omissum S alterum curiose monuerit Georgius Agricola de natura fossilium lib. x. Dioscoridi tamen lib. v. cap. cxlii. est Ἄσιος λίθος. Æginetæ lib. vii. cap. iii. Ἀσία πέτρα, Iano Cornario interpreti *Asia petra.* Qualiter & Celsus lib. iv. cap. xxiv. in vetustissimo bibliothecæ Mediceæ codice, cui omnes consentiunt: *in Asia lapidi Asio gratia est.* Aetius quoque Tetr. i. Serm. ii. cap. xxiii. quamuis ratione paulo diuersa: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλος λίθος γεννώμενος ἐν Ἄσῳ, ὃν δὴ τοῦτο καλοῦσιν ἄσιον. Iani Cornarii versione: *Est & lapis Asius in Aso nascens, unde & nomen inuenit.* Pati lumine ad verbum; *Est & alius lapis natus in Aso, quem sane ob id vocant Asium.* Assius proinde lapis ab Asio nihil discrepat; vereque in Dioscoridem notat Hermolaus Barbarus uno s fere scribi apud autores. Plinio post Celsum appellatur Sarcophagus lapis: ad mammarum vitia, strumas & panos efficax. Quem Galeottus Martius de doctrina promiscua cap. xii. credit carnem non qualitate, sed proprietate consumere. Acris tamen, & ex Cadmia constat attamentosa Georgii Agricolæ sententia de Nat. Fossil. lib. i. & x. Nostra ætate vix notum opinatur Boetius à Boot de Lapidib. & Gemmis lib. ii. cap. ccxx. Neapoli tamen in museo Fer. Imperati conspicitur. Obseruatu quoque dignissimum est, in Ilua Hetruriæ insula nasci colore in facchari modum candido luteis maculis distincto, sapore subadstringente, linguamque leuiter mordicante, ut autor Andreas Cæsalpinus de Metallicis lib. ii. cap. lvii. Ad pedum vitia laudat Celsus, ubi dolor & inflammatio se remiserunt. Dioscorides ex lapide Asio cataplasma lomento fabæ mixto fieri scribit. Podagricos etiã iuvari pedib. in solio ex eo lapide cauato indiris. Aetius Tetrab. ii. Serm. iii. cap. xxxiix. inter attenuantia fortissima recenset, partiumque adeo tenuium opinatur Ægineta, ut flaccidas carnes sine morsu reficcet. Ei quod innascitur farinæ tenuissimæ simillimum flos appellatur, aphronitro minus calidum, lapide tamen vehementius apud Galen. de Simpl. fac. lib. iv. cap. xxi. Floris quidem Actuarius Meth. Med. lib. vi. cap. v. meminit. cui Galen. de med. simpl. facult. lib. ix. tribuit vim sine morsu eliquandi carnes molles ac fluidas: quæ lapidi remissior est. Nec sane cum doctissimo Gifanio de sarcophago audiendum crediderim Lucretianum illud lib. iii. *in summo cubat æquore saxi.* Nisi forte speciei synecdoche, quandoquidem Poetæ incumbit usitatiora quæ defunctis persolvuntur officia exponere. Horum autem corpora non solum terra, sed arca etiam fuere condita, Lucanus lib. iix. versu dcccxxxvi. sic Fortunam compellat:

Da vilem Magno plebeii funeris arcam.

Eam tametsi Theodorus Pulmannus non immerito Sandapilam interpretatur; quandoquidem & Horatius Sermon. lib. i. Sat. iix:

T Huic

Huc prius angustis eiecta cadauera cellis
Conseruus vili portanda locabat in arca.

Caius tamen L. VII. D. *De relig. & sumt. fun.* Arcam lapideam nuncupat: Hanc vero tumuli rationem non postremis tantum seculis in pretio fuisse putandum est, quod in Italia passim eiusmodi clarorum hominum spectentur monumenta; sed primis etiam suadent Plinii verba, qui lib. XIII. cap. XIII. ex Cassio Hemina vetustissimo autore Annalium refert, *Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem offendisse arcam, in qua Numa, qui Romæ regnauit, situs fuisset.* Marcianus lib. III. Institut. L. *Diui fratres*. XXXIX. *de relig. ac sumt. fun.* mobilem fuisse indicat. Inter ciuium Veronensium sepulcreta lib. IIX. Antiquitatum Veron. elegantem quoque refert Onuphrius Panuinius ex æde cathedrali huius generis titulum.

P. IVLIVS. APOLLONIVS
SIBI. ET
ATTIAE. VALERIAE. CONIVGI
OBSEQVENTISSIMAE
VIVVS. PARAVIT. EIVSQ.
CORPVS. IN. ARCA
CONDIDIT. ET. LOCVM
SERVIO. DEDICAVIT

Vbi Ianus Gruterus satis forsan apposite pro SERVIO rescripsit SEPVLC. si qua Caii verbis autoritas erit.

Opopanacis] Opopanax, quasi ὀπὸς τοῦ πάνακος. Nam ex Panace Heracleo post Dioscoridem lib. III. cap. LV. colligi tradit Ægineta lib. VII. cap. III. quod radicibus caulibusque excisis fieri affirmat Galenus de Simplic. facult. lib. VIII. calefacere tertio ordine, siccare secundo, simulque emollire.

Vbi temperatum est] Sic interpunge. Vbi temp. e. m. m, subigitur. Linitur, cum opus est, aluta.

Auctarii vice subiicere libet necdum vulgatum Herculis Saxoniæ summi viri strumis efficax pharmacum. Lacertæ centenæ curatæ, capite, cauda, interaneisque reiectis, in aceto vini albi acerrimo per se sine pipere facto horis viginti quatuor macerentur; exemtæ alio aceto eluantur, atque in sole siue umbra siccati in puluerem terantur. Cuius uncia mellis quatuor unciis temperata pueris duarum drachmarum pondere per dies quadraginta datur. Sunt qui hodie probant licium purpureum, quo strangulata fuerit vipera. Quod veteribus etiam placuisse refert Plin. maior lib. XXX. cap. V. Itemque Galenus de simpl. fac. lib. VI. Ægin. lib. III. cap. XXVI. & Plin. Valer. lib. III. cap. XXIX. Hadrianus Spigelius vir sane diligens strumis suppurandis hoc familiare habuit. Fermenti triti sescunciæ addebat panis siliginei triti unciam, vitellum oui, croci drachmam semis, & olei communis quantum satis. Cataplasma, ne indurescerer

sceret in orbe stanneo tepide inducebatur brassicæ foliis, donec ad ignem flaccescerent.

LXXXIII.

Ad sanguinis eruptionem,] Sic *αἱμοῤῥαγίαι* Hippocrati 1. Prorrhet. largo significatu.

Ex arteriis] Marcell. cap. XVII. *arteria*. Quod in primis Scribonii libris fuisse credo; etiamsi Burdegalensis postea *ex arteriis*, præter Scribonii auctoritatem. Neque enim credibile est autorem intellexisse pulmonis arterias, à quibus nutritur Galeno autore de usu part. lib. VI. cap. XVII. quandoquidem eius mox mentionem iniciat. Asperam vero arteriam ulcerati notauit Galenus de loc. aff. lib. IV. cap. VIII. qui & sanguinis è pulmone & pectore eruptionem accurate distinguit eiusdem libri cap. V.

Sympbyti radix,] Dioscor. lib. IV. cap. IX. *Symphytum petræum*, addit interpres, *id est*, *Alus*, *decoctum in aqua mulsa & potum sanguinem reiicientibus datur.* Sic Ægin. lib. VII. cap. III. & Aet. Tetr. I. Serm. I. Symphytum petræum ad sanguinem spuentes conducit. Nam siccat & contrahit, Galeno autore de Simpl. facult. lib. IIX. Sed rusticis quam herbariis notius aduertit Ioannes Ruellius de nat. Stirp. lib. III. cap. LXXXI.

Quidam] Sed minus accurate. Nam à Symphyto siue consolida plane discrepat Inula, præterquam acuminatis foliis nonnihil similibus. Quo nomine Scribonius excusatione dignus, qui hoc ex aliena sententia protulit. Galenus vero Symphytum magnum indicat.

Inulam] Glossa vetus: *Inula, Λαμψάνη, ἢ Ἑλένιον*. Vbi λαμψάνη Dioscoridi lib. II. cap. CXLII. distincta plane species perperam inseritur. Cetero bene: quoniam Helenium est nostrum vulgare: quod Græce dictum scribit Marcellus Burdegalensis cap. XXII. *Inula* Columellæ lib. XII. cap. XLVI. & Plinio lib. XIX. cap. V. *Hinula rustica* Apuleio de vir. herbat. cap. XCVII. editionis Aldinæ. H vero, ut sonus esset vegetior, exemplo linguæ Atticæ à veteribus additum tradit A. Gellius lib. II. cap. III. *Enula campana* vulgo, quia campestris vulgari præponitur, Salomonis Gesneri iudicio; quam rusticæ cognomine autor innuit. Quæ pharmacopolis autem vocatur Enula, rusticis appellari campanam iunctisq; nominibus Enulam campanam perhibet Ruellius de nat. Stirp. lib. II. cap. XII. Quare nominis hanc rationem à Campania deriuatam non ita recte sugillat Marcellus Vergilius in lib. I. cap. XXXI. Dioscoridis. Huius radix ad cruentas exscreationes efficax est Dioscoridis testimonio lib. I. cap. XXVII.

Alum Galicum] Quo modo legendum apud Marcellum cap. XVII. ubi vulgo *allium Gallicum*; etiam in MS Vossii. Rembertus Dodonæus Histor. Stirp. Pempt. I. lib. V. cap. XV. apud Scribonium legit *Alum Gallicam*. Recte, si herbam intelligit. *Alum* Plinio lib. XXVII. cap. VI. Marcello cap. XXVI. *Alum Gallicum*, & cap. XXXI. *Halus Gallice dicitur*. Ita Plin. lib. XXVI. cap. VII: *Halus, quam Galli sic vocant*. Quapropter in Cæl. Aureliano Chron. lib. V. cap. II. pro *argallici* conuenit *Ali Gallici*. Pub. Vegetius Artis Veter. lib. II. cap. LIV. & LVI. etiam corrupte habet *anagallici*. Legendum namque *Ali Gal-*

lici demonstrat hic locus eiusdem argumenti. Vulgus Patauii vocat *Alun*, & oleribus in mensas admiscet. Gasp. Bauhinus Pinac. lib. VII. sect. II. Consolidam maiorem intelligit.

Cultello eburneo vel osseo] Sic etiam Columella de re rust. lib. XII. cap. XII. mala & pira cultello osseo; itemque arundine, vt Pallad. lib. XII. Tit. XXII. oliuas calamo acuto diuidi præcipit. Plinius item lib. XII. cap. XXV. non superstitione, sed causa urgente, de Balsamo: *inciditur vitro, lapide, osseisue cultellis: ferro lædi vitalia odit: emoritur protinus*. Nec aliter accipiendus Histor. lib. V. Tacitus: *Balsamum modica arbor: ut quisque ramus intumuit, si vim ferri adhibeas, pauent venæ; fragmine lapidis aut testa aperiuntur*. Quod Paulus Iouius quoque notauit Histor. lib. XVII. eburneis cultellis fieri; osseis Rabanus ad Ecclesiastæ cap. XXIV. versu XX. Verum in adulto secus fieri monuit Veslingius ad Alpin. de plant. Ægypt. cap. XIV.

P. sextantis,] Adde, libræ, Marcelli indicio cap. XVII. quod omnino erat necessarium. Duarum nempe unciarum.

Deuorare, neque e. a. e.] deuorate. Neque e. a. e. Marcellus gratis: *deuorare, cui opus est. Neque enim amara est.* Quod rectissime autor notauit. Vnde etiam Dodonæo ἄποιος, quoniam frigida, & humida. Tale vero symphytum alterum Dioscoridis lib. IV. cap. X. quod Galeno Magnum de Simpl. fac. lib. IIX. qui petræum dulce & odoratum tradit: quamuis re vera ei radix subamara. Vis tamen eadem utrique.

Oportet] Animaduersio diligentiæ plena. Quamuis enim acetum sanguinis fluxum adstringendo cohibeat Galeni præcepto de Simpl. med. facult. lib. I. cap. XIIX. incidit nihilominus eiusdem autoritate de Comp. med. sec. loca lib. I. cap. IIX. Vnde radicis huius, quæ viscosa, effectum facile resoluit. Naturæ consulti experiantur ac iudicent.

Polygonii] Est etiam polygonium Comp. II. Magis placet polygoni: quod & Marcello.

Solani] Hortensis: quod innocentis gustus affirmat Dioscorides lib. IV. cap. LXXI. ac refrigerare. Nihil itaque causæ, cur id Marcellus omitteret.

Cretæ Samiæ] Theophrasto præeunte lib. de Lapidibus. Terram Samiam appellat Corn. Celsus lib. VI. cap. VI. exemplo Dioscoridis lib. V. cap. CLXXII. qui ait sistere sanguinis reiectiones.

πολὶον] Scribe πόλιον ex Dioscorid. lib. III. cap. CXXIV. Salmasius πόλιον & πολιὸν mutato accentu herbas quidem diuersas monet: πόλιον scilicet τριπόλιον, πολιὸν Saliuncam. At πολιὸν nusquam occurrit. Polium quoque Plinius lib. XXI. cap. VII. & XX. à Saliunca separatim proponit. Sed & Dioscorides Saliuncæ siue Nardo Celticæ lib. I. cap. VII. eandem vim tribuit quam Syriacæ, quæ cap. VI. putatur calefacere & siccare: quod ab autoris instituto est alienum. Adde Tripolium & Polium plane discrepare. Illud nempe Dioscoride autore lib. IV. cap. CXXXV. per aluum aquam ducit & urinas. Rectius, quam Ruellius interpres: *aquam urinamque per alvum extrahit*. Eius enim verba sunt: κατὰ κοιλίας ὕδωρ ἄγει, καὶ οὖρα. Hoc alvum quidem ac menses ciet, illitum vero vulnera conglutinat, veluti notat idem lib. III. cap. CXXIV. Sed quod magis est, figura differunt. Horum autem neutrum ad sanguinis eruptionem intrinsecus confert.

Malim

Malim igitur autoritate Marcelli cap. XVII. reponere Polygonum, quod etiam Henr. Stephanum recte fecisse animaduerto. Hoc enim, ut ait Dioscorides lib. IV. cap. IV. cruentæ exscreationi prodest; eiusque succus potui datus spissat & refrigerat. Hinc Marcellus vere ipsum heic laudat: qui cap. x. herbæ coronam capiti impositam naribus profluentibus mirabiliter mederi tradit. Sic autem Sanguinariam, non Tiniariam, legendum crediderim. Quo nomine Italis insignitam scribit Apuleius de virtut. herbar. cap. XIIX. Marcellus etiam cap. I. *Sanguinariam*, & cap. IX. cum Celso lib. V. cap. I. *Sanguinalem* vocat. Quapropter (*nos, ut opinor, tiniariam*,) à recentiori quodam adscripta: nec in Marcello reperiuntur. Taceo rariorem huius vocabuli usum; quem Dodonæus Histor. Stirp. Pempt. II. lib. III. cap. XXVI. Stoechadi cittinæ adscribit. Polium vero sanguinis eruptioni quomodo conueniat, iam ex Dioscoride patet. Nec de externis heic agitur. Mirandos etiam Polygoni ad hoc malum effectus deprehendi.

Fasciculus quantum] Marcellus, *quantus*. Vulgatæ vero lectionis plutima in Scribonio exempla. Hac ratione δέσμας χειροπληθεῖς apud Dioscor. lib. I. cap. VII. interpres dixit *fasciculos manuales*.

Redactus] Lege, redactis.

Cyathos tres dederit per triduum.] His enim Hemina Pauli tredecim unciarum & semis accurate respondet, quoniam duodenæ drachmæ cyatho adequantur.

LXXXIV.

Oportet] Sententia hæc satis manifesta, modo sublatum post *vulnus* incisum verbo *mutare* subdatur, eaque deinde ita continuetur; *noceat; & vetare artus constringere: quod plerique medicorum faciunt ignorantes quod i. s. e. m. c.* Marcellus autem legit *constringi*. Quod vulgatæ lectioni nequicquam detogat. Nec adeo nouum est, vulnus extra sentiri, ut in multis tactu sæpius id non deprehenderim. Quapropter Marcellus, vel quod crediderim librarius, cap. XVII. ab ratione *interius* maluit. Ei spongia optime admouetur, quoniam per se siccat ulcera quæ fluxione laborant, aut cuniculatim exedunt, sanguinisque profluuium sistit, ex Dioscor. lib. V. cap. CXXXIIX. Aqua recens etiam modice refrigetat. Vnde & alto ulceri linteum frigida madens & spongia mollis alligatur, imo aqua frigida idipsum pertigatur consilio Galeni de Comp. med. per gen. lib. IV. cap. V. Sed acetum quoque repellit simul, attenuat, & discutit, tanquam quod tenui frigiditate præpollet, eiusdem sententia de Comp. med. sec. loc. lib. II. cap. I. admistam quoque sibi aliquam caliditatem habet. Præterea corpora, quæ contingit, siccat, quamuis ad imaginationem humidum, ut vere Meth. med. lib. X. cap. IX. Prudenti autem consilio præcipit frequenter mutare. Cuius rationem adduxi Composit. I. In quem modum etiam Cæl. Aurelian. Chron. lib. II. cap. XIII: *erunt hæc iugiter commutanda, ne naturali corporis vapore tepescant*. Porro thoracis dolorem facilem percipi, docet Galenus de loc. aff. lib. IV. cap. V. quia multi ab internis & externis partibus nerui accedunt.

Incitatur sanguinis eruptio] Hoc vero neutiquam metuendum, vulneratis partibus remotis aut interioribus. Ideoque Galenus de remed, par, facil, cap. IX. sanguine è naribus fluente iubet manus ac pedes vinculo constringere. Hippocrates de morbis lib. II. consulit etiam venas & in brachiis, & in temporibus, (spleniis suppositis deligare. Nec Herophilus capitis constrictionem damnauit, uti memorat Aurelian. Hæ tamen longe viciniores.

Exiget æque subiectam materiam,] Distingue: materiam. Sic ut utrem &c. Marcellus: *exprimit venam.* Sed autor noster satis perspicuus, ut ut ratio parum valida. Marcellus itaque digressionem, quæ mox sequitur, planè omisit. cuius bona quidem pars videtur à Scribonii seculo aliena. Integram tamen ipsi nolim abiudicari. Hæc enim animaduersio eius prudentia neutiquam indigna: *Et hoc per se quidem f. n. v. m.* utcunque clausula recentioris ingenium refert ea verborum forma, quæ Christianam disciplinam sapiat. Secus de Simpl. med. fac. Galen. lib. v. cap. XXV. *Per Deos immortales.*

Artus exprimentes, sanguinem] Scribe: artus, exprimentes sanguinem v. f. Etumpi] Quidam substituerunt, erumpere. Sed autorem non destituunt exempla vetustatis, ut in Lexico patet.

Super laqueum] *Supra, quod substratum aliquid habet:* Agroetius de Orthographia. Sed leviuscula hæc notatio, siquidem promiscuus utriusque vocis obseruatur significatus. Hoc autem placitum si respondet experientiæ, V. C. Guilielmi Haruei subtilissimæ De motu sanguinis inuentioni uberior nascetur cogitatio. At enim iniecto vinculo par utrinque sanguinis copia nequicquam subest, sed confertior sub laqueo, quo sanguinis refluxus quodammodo cohibetur. Eius tamen eruptio artuum constrictione valida producitur, non quod sanguis æque in utramque partem actus; sed verius, quoniam vinculo motus ipsius ad extrema impeditur. Quod non ita facile contingit, si vinculum sensim soluatur. Hanc Scribonii ex Asclepiade sententiam Ioannes Heurnius de Morbis Narium cap. x. recte interpretatur de locis laqueo proximis: quoniam ronico sanguis tunc motu consistit; remota vero loca vinculis tentata in se sanguinem prolectant. Vnde Cælius Aurelianus De Sanguinis fluxione Chronion lib. II. cap. XIII: *Conuenit etiam articulorum tenacior ligatura, si vehemens fuerit. Densitati enim articulorum patientes consentiunt partes.*

Asclepiades] In libris Paraceuasticis ad Erasistratum, indicio Cælii Aureliani, qui suæ etiam sectæ principes, puta Methodicos, id approbasse scribit. Asclepiadem vero Dogmaticis accenset Galenus de Venæs. aduersus Erasistratum cap. v. & Comm. lib. I. Aph. I; sed contentionis adeo studiosum, ut omnia ferme priora dogmata lacessiuerit, neque alicui prioris seculi homini, imo ne Hippocrati quidem pepercerit.

In hac re: neque e. q. c.] Scribe: in hac re. neque ei quisquam contradixit, Quis e. a. v. h. p?

Ad propositum] De Compositis, quorum ratio in hoc libro maxime exigitur.

LXXXV.

Faciunt enim] Marcellus cap. XVII. euidentius: *Faciunt & composita medica-*

dicamenta ad sanguinis eruptionem, quorum hoc est præcipuum ℞. ʒ. &c. Legendum itaque. Faciant etiam c. m.

ὑποκιστίδος] ὑποκισίδ@.

Qui est succus rosæ siluaticæ, quam caninam quidam vocant,] Hæc non esse Scribonii ostendit sequens Compositio, quæ Hypocistidis succum laudat: quamuis Æginetæ lib. VII. cap. III. Hypocistis succum quoque ipsum connotet. Rosis quidem cistus à nonnullis adnumeratur; ab Hypocistide tamen, quæ ipsius radici adnascitur, diuersus est; pariter à Rosa canina seu siluestri, etiamsi parum ei dissimilis Cistus mas primus Caroli Clusii, cuius meminit Histor. plantar. lib. I. cap. XLV. Quid ὑποκιστὶς ostendit Dioscorides lib. I. cap. CXXIIX. φύεται παρὰ τὰς ῥίζας τῦ κίςυ, *nascitur iuxta cisti radices*. Rectius quam Plinius, qui lib. XXIV. cap. X. indicat, *sub cisto* nasci; atque inde nomen lib. XXVI. cap. IIX. Galenus de Simplic. facult. lib. VII. ait efficax remedium ad sanguinis reiectiones. Hinc Plin. lib. XXVI. cap. IIX. *Pota tribus obolis sanguinis exscreationes emendat*. Quia modice adstringit Galeni sententia de Comp. med. sec. loca lib. IV. cap. I. Cuius confecturam tradidit Oribas. Coll. medic. lib. XII. Legendum igitur: ὑποκισίδ@ succi p. unciæ.

Balaustium,] Siluestris Punici flos. Vis ei adstrictoria, eadem efficiens quæ Hypocistis, & Cytinus, Dioscoridi lib. I. cap. CLV. At Plinio lib. XXIII. cap. VI. Cytinus est primus mali Punici partus, huius flos Balaustium lib. XIII. cap. XIX.

Victoriati denarii] Posterior vox redundat, quæ Compos. XC. deest: nec tota opere Victoriatus hac adiectione occurrit. Qua sententia Marcellus cap. XVII. *quidam ad Denarii semissem*: quamuis apud ipsum de Mensuris & Ponderibus *Victoriatus denarius* extiet ad Hippocratis mentem: quo longe posterius lege Claudia signatus perhibetur. Imo Scribonius Compos. XCII. Victoriati pondus imperat. Nec ullus aliorum ponderum Denarius. Quamobrem Scribonio sententiam ex hoc loco sic restitues: Quidam p ✱ I. quidam victoriati, dantur ad ætatem cuiusque ex aquæ frigidæ remissæ cyathis tribus aut duobus. Marcellus non habet quidem *remissæ*. Bene tamen addi, liquet ex Compos. LXXXIII. & LXXXVI.

Ad dysentericos,] De balaustiis Plinius lib. XXIII. cap. VI: *Prisci inuenerunt tusorum farina dysentericos à morte reuocari*.

LXXXVI.

Ceræ Ponticæ] Marcell. *rutæ Ponticæ*. Verior Scribonii lectio. Vt enim sileam, huius rutæ nullam esse memoriam; alterius quoque nullus hic usus est. Vtraque enim tam hortensis, quam montana, urit, calefacit, exulcerat, monente Dioscoride lib. III cap. LII. Cera vero Pontica, cuius mentio Comp. CLVI. CLXXV. CCXIX. Dioscoridi lib. II. cap. CV. Itemque Plin o lib. XXI. cap. XIV. & Galeno Meth. med. lib. X cap. IX. laudata, non solum pastillis fingendis necessaria est, verum & sanguinis eruptioni, ut Dysentericis, videtur pingui substantia conferre, quam ei iure tribuit Galenus de Simpl. fac. lib. VII. etiamsi sua natura adeo sit amara, ut nulla prorsus lotione corrigatur, veluti curiose aduertit idem lib. VI.

Est

Est autem radix dulcis] Marcellus neglexit. Et certe glossa est. Neque enim res adeo facilis interpretationem postulabat: ersi, quæ Dioscoridi lib. III. cap. VII. γλυκυῤῥίζα, Theophrasto Histor. Plant. lib. IX. cap. XIII. est γλυκεῖα ῥίζα, & σκυθικὴ, non tam fortassis, quod Scythæ famem eius esu in plures dies extraherent, ut Hadr. Iunius cum Eresio censuit, quam propter insignem ipsius in Ponto prouentum, quem Dioscorides prodidit. Vnde & glycyrrhiza Pontica Galeno de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. II. Creticam nihilominus optimam statuit ipse Antidot. lib. I. cap. XII.

Commis] Marcell. *gummis*. Vide quæ ad Comp. LXXVI. dixi.

ὑποκιστίδος] ὑποκιστίδος, ut pridem.

Aluminis liquidi] De quo Dioscor. lib. V. cap. CXXIII.

Passi meconii] Non *myconii*, ut Marcellus habet cap. XVII. editionis Aldinæ, ac Henrici Stephani. Quia Μήκων papauer. Ex nigro autem fit succus, qui pet excellentiam Opium appellatur ab Ægineta lib. VII. cap. III. quod & Meconium Compos. CLXXX. Galenus tamen de Antidot. lib. II. cap. VII. ait Opium papaueris lacrimam, quam a succo discernit, cum Dioscoride lib. IV. cap. LXV. Opium vetus eligendum suadet Alexander Trallianus lib. III. cap. XII. ad vitandum torporem insignem. Hinc passum meconium, id est, siccum recte sumitur. Ita Lucilius Satyr. lib. IX. apud Nonium Marcellum: *Rugosi passique senes eadem omnia quærunt*.

Quod satis erit] Scio quidem Opio etiam addi posse meconium, si vera, quæ post Dioscoridem prorulit de Papauere Plinius lib. XX. cap. XIIX: *Cum capita ipsa & folia decoquuntur, succus Meconium vocatur, multum opio ignauior*: attamen miror magnæ ceteroquin cautelæ remedium medici arbitrio relictum, maxime post opii mentionem. Vt verba hæc mihi non parum fuerint suspecta, nisi exturbata Meconii voce demum retinenda. Nam & Comp. CXXI. medicamentum ad sanguinis fluorem diuetsum passo temperatur, ad Scribonii normam pariter apud Galenum de Compos. med. sec. loca lib. VII. cap. II. & V. Ceterum Plinius vere succum dixit, qui Dioscoridi ὀπὸς, interpreti Ruellio parum accurate *Opium*, quod autori δάκρυον.

Miscebitur, fiunt] miscebitur. Fiunt Pastilli, alii p. ✱ I. alii. victoriati. Dabuntur e. a. t. &c. ut Comp. proxima.

Cyathis duobus & dimidio.] Promde. Aqua enim tepida humores acres & mordaces mitigat, ex quibus non raro huius vitii origo. Nec ullum ab hac mensura metuendum nauseæ periculum, quo nullum heic grauius propter vomitum, quem eiusmodi aqua largiore haustu sæpius excitat.

LXXXVII.

Deuoratur,] Catapotium quippe ἀπὸ τοῦ καταπίνειν, à deglutiendo, appellationem habuit, veluti Pilula à Pila. Nec satis causæ Guilielmo Insulano, cur Obseruat. histor. Pag. CCXXXI. hanc vocem minus probet, pilulamque malit. Etsi enim Hadrianus Iunius hæc non distinguat, Scribonius tamen à Globulis & Catapotiis videtur discernere. Imo idem Celso fere significat, quod medicis hodie Bolus. Sic enim is lib. V. cap. XXV: *quod digito excipi potest, deuorandum est.*

est. Ex quo etiam Catapotii temperaturam facile colligere licet.

Crocum] Marcel. cap. XVI. bene addit *siccum*: quo facilius tundatur.

Aqua exigua dilutum.] Sic etiam Comp. LXXVII. & XC.

Ervi magnitudinis.] Ciceris amplitudinis Comp. LXXVII. viciæ magnitudinis Comp. LXXXIIX.

LXXXIIX.

Ad tussim aridam.] In qua tussiunt ægri, nihilque educunt, monente Galeno ad Aphor. LIV. Sect. IV. & Com. I. in I. Epid. ubi Hippocrates ipse: *βήσσουσι καὶ οὐδὲν ἀνάγουσι. tussiebant, & nihil reiectabant*, Iano Cornario interprete; Foesio, *nihil educebatur*. quo nomine ξηραὶ βῆχες ipsi non solum *aridæ tusses*, verum & *inanes*. Optime. Hippocrates enim Sect. IV. Aph. LIII. Cornario (LIV. Foesio) ait, *βῆχες ξηραὶ βραχεῖα ἐρεθίζουσαι, Tusses siccæ parum irritantes*. Editio Parisiensis anni MDLVII. apud Guil. Morelium, & Foesius, *leuiter*: Ioan. Heurnius, *raro, & leuiter*.

Storacis] Composit. sequ. & Marcell. cap. XVI. Styracis. quo etiam modo Stephanus optime. Nam & Styrax Celso est lib. III. cap. XXI. & lib. V. cap. III. quemadmodum Dioscoridi lib. I. cap. LXXIX. *Στύραξ lacryma arboris malo cotoneæ similis*. Salmasius in Solinum arborem & succum esse indicat; in Syria gigni Plinius lib. XII. cap. XVII. & apertius cap. XXV. Plurimum in Tauro monte quoque nasci, cuius liquor exsudat arbore à verme derosa, narrat Strabo lib. XII. Sed in Creta etiam insula se testatur vidisse Prosper Alp. de Plant. Ægypt. cap. XLIII. Nonnulli calamitam cognominant, quoniam in calamis aduecta melioris notæ putatur.

Tritæ ceteris] tritæ, ceteris contusis, æque admiscentur.

Huic simile catapotium sub Scribonii nomine habet Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. V. cui immorandum præcipit.

LXXXIX.

Iris] Sic etiam Comp. CXXVI. &c. ut in Lexico patet. Item Marcellus cap. XVI. ac Theodorus Priscianus lib. I. cap. XIV. pro Iridis Comp. CCXX. H. St. iridis. Quod probat Charisius Institut. Gram. lib. II: *cum constet omnia Græca figuræ Nominatiuo singulari IS. syllaba terminata, Genitiuo singulari IS syllaba crescere*. Idem tamen ex Marone Æn. IX. *Irim* pro *Iridem* admittit: imo rationem addit lib. I: *cum Latine declinari possint, non est necesse consuetudinem ratione reformare, præsertim cum adsit autoritas. Nam & Varro de vita sua, non tantum huius Serapis declinauit, sed & Isis, quod paulo est durius. & Virgilius Irim dicit, & Parim, & Tygrim*.

Irim] Ita Plin. Valerian. de re med. lib. I. cap. X. & lib. III. cap. XXVI. Quem modum antiquitus fuisse receptum, suo exemplo monstrat Plinius maior lib. XV. cap. VII. & lib. XXII. cap. XXII. attamen altero usus lib. XX. cap. XXII. Item Plautus Captiu. Act. I. sc. II; nisi cum Iosepho Scaligero & Iano Douza legendum *Cir.m*: & Colum. de re rust. lib. XII. cap. XXVII.

Diſtentione] ſc. præcordiorum.

X C.

Sæpius & non ſine cruciatu urinam faciunt.]. Stranguriam ſiue urinæ ſtillicidium notat: cuius cauſas tum Iſchuriæ tum Dyſuriæ permixtas putat ſubtiliſſimus Ioannes Fernelius de Part. morbis & ſymptom. lib. v. cap. XIII.

Sanguinem per urinam reddunt.] Mictio cruenta Medicis.

Tormina.] Ad Dyſenteriam, ex mente Celſi lib. IV. cap. XV. & autoris Compoſ. LXXXV. atque CXII. quoniam inteſtina, ob exulcerationem, dolore admodum torquentur, veluti poſt Dionyſium Fontanonum de cur. morb. Intern. lib. III. cap. X. notat Hieron. Mercurial. Pract. lib. III. cap. XXVII. Dyſenteria enim proprie inteſtinorum eſt ulcus Galeno de loc. affect. lib. VI. cap. II.

Præterea capitis:] Marcell. *præter capitis*. Lego, præſertim capitis. Nam & grauedini prodeſt, quæ caput adficit. Cetera Marcello planiora: *Quin etiam ſi quando alicuius rei cauſa datum fuerit, aliæ rei non vitio erit hoc medicamentum.* Lectio tamen conſueta nihil offendet, modo ſic proferatur: præterea capitis quin etiam, id eſt, inſuper ad capitis etiam dolorem; & quæ ſequuntur in contextu.

Ad initia phthiſim habentes b. f.] Marcellus: *ad initia phthiſeos b. f.* Magis placet: ad initia phthiſis habentes, vel: ad initio phthiſin habentes.

Interdum] Non aſſentior iis, qui reponendum putant *interdiu*. Hoc enim medicorum conſuetudini aduerſatur, qui ſub horam ſomni opiata præbent: imo ipſi Scribonio, qui heic & ſequenti Compoſitione ait: Dantur in noctem. Marcellus etiam cap. XVI. cum Scribonio facit.

Paſtillus: recipit] paſtillus. Recipit hæc:

Myrrhæ Troglodytis] H. St. Troglodytidos. Dioſcoridi lib. I. cap. LXXIIX. omnium prima eſt, quæ Troglodytica appellatur, accepto cognomine à loco, in quo prouenit. De qua Plin. lib. XII. cap. XV. *petunt eam etiam ad Troglodytas Sabæi tranſitu maris*. Troglodytæ vero Ægypti ſunt populi, Arabes cognomine apud Strabonem lib. XVI. etiamſi Troglodytica verius Æthiopiæ pars eruditis, quam Arabiæ; qui, ut memorat idem lib. I. cauernas intrant, Homero non ignoti Odyſſ. IV: quos Iſraelitas demonſtrauit Ioannes Seldenus de DIS Syris Syntagm. II. cap. X. Turnebus tamen Aduerſ. lib. XXIV. cap. XLII. ex antiquis membranis legendum cenſet *Trogodytæ* pro *Troglodytæ*, quod τρώγαι Heſychio foramina: τρώγη vero idem quod τρώγλη: unde τρωγλῖτις σμύρνη apud Aetium, Oribaſium, Myrepſum, quæ Dioſcoridi τρωγλοδυτική. Hæc quidem curioſa, vix tamen digna quæ aliquid innouent: ut ſileam Heſychium à librariis peſſime habitum.

Alterci albi] Hoc genus mitiſſimum indicat Dioſcorides lib. IV. cap. LXIX. eiuſque ſemen tuſſi, deſtillationibuſque efficax. ubi Galenus etiam probat de Comp. med. ſec. loc. lib. VII. cap. IV. Hanc appellationem miror prætermiſſe G. Banhinum in Phytopinace omnium diligentiſſimo.

Apollinaris herbæ] Huius etiam Galenus de Antidot. lib. II. cap. VII. meminit, pariter Dioſcoridis interpres. Apuleius de vir. herbar. cap. XXIII: *Apol-*

lo

lo hanc herbam fertur inuenisse, & Asclepio dedisse. Vnde nomen imposuit ei Apollinaris. Fidem fabula meruit. Apollinem namque poscit medicina in totum temeraria, Plinii iudicio natur. histor. lib. xxv. cap. iv. qui Herculi eam quoque adscribi tradit, nec ab Hyoscyamo diuersam. Apuleius de vit. herbar. in lemmate cap. xxiii. edit. Parisinæ Anni MDXXIX. quam Ioan. Philippus de Lignamine dedit: *Apollinaris, id est Mandragora.* Quod ineptum recentioris additamentum, in Aldino codice recte præter missum.

Tenui cribro] Ita Galenus de Compos. med. sec. genera lib. iii. cap. vii. iubet cribris tenuibus secernere.

Alii] Alii tertia huius ponderis detracta. Dantur i, n. Vel: aliis t. ut Comp. xcii.

Catapotia facere: quidam] Catapotia facere. Quidam e. f. e. q. p. f. Verum n. m. i.

Potionem] In qua pastilli dissoluuntur.

Non multum interest.] Ad remedii efficaciam, sed ad palatum.

X C I.

Contemnendus, croci,] contemnendus. Croci.

Eiusdem ponderis.] veluti Comp. præcedente.

In noctem: licet] in noctem. Licet e. h. c. f. p. e. c. Sed t. aqua, non mel, adiicitur.

Propter eandem causam,] Nempe, ad palati gratiam.

Aqua,] Ne moles ipsorum nimis augeatur. Catapotium enim ad bolos nostros, plerumque maiores, accedere iam ostendi Comp. lxxxvii.

X C I I.

Stomachum solutum habentes facit,] S. s. habentes. Facit &c.

Apii semen] Galenus de Comp. med. sec. loca lib. vii. cap. iii. simile pharmacum Scribonio tribuit. Quod autem Crispi liberti recenset longe diuersum est, eique affine quod Comp. lxxxix. exstat.

Teritur:] Teritur, o. a. m. o. i. u. m. a. a. Fiunt p. v.

Victoriati] id est, Denarii semissis, ut Marcellus cap. xvi.

Aliis tertia] *aut tertia*: Marcellus. Sed autor ipse perspicuus est hac distinctione: Aliis tertia parte detracta, d. a. st. i. b. quemadmodum Comp. xc. Malo tamen cum Marcello: *dantur stomachum imbecillum habentibus, & sanguinem reueientibus*, &c. Sequitur enim: Cereris ex c. t. c.

X C I I I.

Dolorem. Proprie] dolorem; proprie a. a. tussim: item p.

Phthisicos: &] phthisicos, & vesica, r. l.

Sanguinem ad urinam] Marcellus: *sanguinem de urina.* Quid si fuerit scriptum, sanguinem ac urinam: siue, quod magis placet, urinam ad sanguinem r. c. d.

Casiæ] Ligneam intellige, ubi nulla opus deiectione.
Opii p. ✻ IIII] ✻ II. Marcell.
Vtraque ut debent,] Vtraque, ut debent, c.
Et aliis p. t. d. D.] Scribendum puto: & a. p. t. dettacta, dantur i. n. &c. ut Comp. LII.

XCIV.

Per cochlearium] Instrumentum est, non mensura. De quo Martialis lib. XIV. Epigr. CXXI:

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ouis:
Numquid scis potius cur cochleare vocer?

Ita Plinius lib. XXXII. cap. II X: *una medetur garum cochlearibus subditum.*
πλευριτικὸς] πλευριτικός, rectius. Sic Marcellus *pleuriticos.*

Apulei Celsi fuit, præceptoris Valentis & nostri,] Apuleii scribendum, quicquid censeat Ioannes Marius Mattius Opinion. lib. II, cap. XXI. Reliqua Marcellus ita digerit: *Celsi fuit, & præceptoris nostri Valentis.* Hanc lectionem confirmat Index Compositionum: quanquam lemma loco alieno positum in vulgari editione. At nihil absurde Scribonius. Æquales enim fuisse constat, siquidem hic noster Claudio domesticus, ut Messalinæ alter familiaris fuit. Vnde nec mirum fi eiusdem temporis fuerit horum condiscipulatus. Hoc igitur modo emendandus Index: Medicamentum q. c. f. a. t. a. e. l. d. c. f. Apulei Celsi. Miror autem Marcellum cap. XVI. sui temporis velut oblitum hoc ipsum sibi arrogare: nisi fortassis ab alio additum. Nam sibi parum congrua prudenter aliis in locis omisit. Erat quum dubitarem, hicne Apuleius Celsus esset ille, cuius elegantissimi de re medica libri hactenus Aurelii nomen ubique præferunt: quod initio unica litera A. Prænominis nota signatum diuersa ratione exprimi potuit. Inde quidam ad V. C. Caroli Moroni editionem Aldinam Celsi præfixit A V L I appellationem. Quod prænomen Valerius Maximus in Epitoma de Prænominibus ait sic dictum, quasi Diis alentibus nascetentur. Quis vero ille fuerit, quaue id factum autoritate, incertum est. Aldum Manutium characteris indicio putat multiscius noster Leo Allatius, qui emendationem cum aliis non minori fide quam diligentia suggessit. Iosephum Scaligerum idipsum vidisse commonstrat Celsi codex, quem Euerardo Vorstio claræ memoriæ patri ex testamento relictum inter cariora seruat Adolphus Vorstius interioris notæ amicus. Hoc tamen haut ab nulla ratione profecto videtur, siquidem Aurelii nomen gentis est, velut Cornelii. Cuius generis bina iungi, vetustatis exemplo caret. Cassium vero in limine operis Celso laudatum Scribonii temporibus vixisse Compos. XX. manifestum est. Hanc tamen cogitationem timidiuscule pressi, donec mihi istæc edituro verisimilem significasset summi vir iudicii & usus Marcus Aurelius Seuerinus Anatomicus & Chirurgus Gymnasii Neapolitani celeberrimus. Scio quidem Celsum Columellæ, viro ut fatetur ipsemet illustri, de re rust. lib. III, cap. XVII, inter clarissimos ætatis suæ scriptores haberi, non paucis eriam inter Quirites relatum; Apuleium vero Celsum Scribonii præceptorem Centuripis ortum: non video tamen Cornelium Celsum à Scribonio cur magis neglectum putem, quam Iul. Bassum,

Bassum, Cassium Valentem, quos non minus quam Scribonium Galenus nominauit omnes unius æui Medicos de Comp. med sec. gen. lib. VII. cap. XII. de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. II. & VI. lib. IX. cap. IV. & V. maximeque Cornelium: quem cap. V. dignatus videtur Medici cognomine, Plinius etiam lib. XX. cap. IV. post citatum Hippocratem aduocat. Sed in re adhuc dubia nihil pronunciauerim: de qua forsan aliquid accuratius eruditorum monitis, ubi Celsum, si diuina fauerint, paulo tersiorem in lucem protulero. Id certum, hunc Apuleiũ nõ esse rei herbariæ scriptorem, veluti Barthius Adu. lib. IV. cap. XIV. suspicatur. Seculi enim sequioris stilus declarat istum: nec sibi satis constat opus, quod à Ruellio & Aldo varie productum. Malim vetustissimas huius esse membranas, quas ad Solinum Salmasius nominat.

Valentis] Vectius, siue ut alii Vettius, Valens adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus, indicio Taciti Ann. lib. XI. pariterque eloquentiæ affectator, qui nouam instituit sectam, Plinio teste lib. XXIX. cap. I. inter eos à Seneca recensetur in Apocolocyntosi Claudii, quos Narcissus duci iusserat. Quod Tacitus ibidem confirmat. Scribonii sub Apuleio condiscipulum putat etiam Iulius Guastauinus Loc. med. sel. lib. I. cap. XI. Valentis quoq; meminit Cælius Aurelianus prior Galeno, qui etiam de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. VI. Valentem, & lib. IX. cap. IV. Terentium Valentem in testimonium vocat. Ex antiquo præterea monumento quidam VALENS AVG. LIB. A VESTE IMP. PRIVATA innotuit, idem forte qui in alio VALENS AVG. LIBERTVS.

Et nunquam ulli se viuo c. e. d.] Marcell. *nec unquam ulli viuus c. e. d.* Autor bene Comp. XCVII. ne hic quidem ulli, se viuo, c. e. d.

Piperis nigri electi & ponderosi granis duobus,] At horum ad eiusmodi cumulum vis nulla. Marcellus cap. XV. habet denarios duos. Ipsi tamen compositio est aliquanto auctior.

Cochlearia quina vel sena.] Ea itaque minimæ fuerunt mensuræ. Quod nec omisi Compos. XVI. Huic simile medicamentum legitur apud Galenum de Comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. V. quod sola mensura discrepat.

X C V.

Huic Pharmaco simile, quod Pamphilo Galenus adscribit. Cuius varietatem Cornarius scriptoris culpæ tribuit.

Nasturtii animati seminis] Ianus Cornarius in Galenum de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. III. putat heic legendum, Cardamomi inaniti: quod interpretis vel scriptoris lapsu pro καρδαμώμου positum fuerit καρδάμου. Scribonium vero hæc sua in Latinas literas retulisse iam pluribus confeci. Quapropter dicto Galeni loco potius καρδάμου scribendum, quam καρδαμώμου. Semen quippe Nasturtii, quod Marcello cap. IX. Cardamum, eleganter animatum dicitur, ut Cachry Comp. LXX. & Comp. IX. Sinapi non excattratum, hoc est, plenum, adeoque maturum & perfectum, non sole aut igne torrefactum: quod satum simile producat; seu viride ac vegetum: qua significatione Columellæ lib. III. cap. X. *alimentum virentis quasi quædam anima*; Palladius etiam lib. VI. Tit. V. dixit plantas rigationibus animari, seu viuificari, & vegetari. Hoc enim propter

aqueum

aqueum, humidum minus mordax colligo ex Galeno de Simpl. fac. lib. VIII. Item, si malis, metonymia effectus magnanimum: siquidem nasturtium animum exacuit Plinio lib. XX. cap. XIII. Nasturtium vero heic utile docet Dioscorides lib. II. cap. CLXXXV. hisce verbis: τὰ ἐκ θώρακος ἀνάγει ἐγκαθεψόμενον ῥοφήμασιν. Latinus interpres: *pulmonum vitia extrahit sorbitionibus incoctum*. Melius idem lib. II. cap. CXXV: *vitia pectoris extrahit*: & lib. IV. cap. XCIV. *thoracem expurgat*. Vel, quod mihi placet: *Quæ intra thoracem sursum educit sorbitionibus incoctum*. Nigrum autem huic usui aptissimum intellige, albo acrius, autori Compos. CXXIX. laudatum. Publ. Vegetius quoque lib. I. cap. X. de morbi humidi cura: *Nasturtii semen bibendum dabis ex aqua*. Nares irritare non inficior. Nomen quippe accepit à narium tormento, ut scribit Plinius lib. XIX. cap. IIX; qui & naturam nigrioris causticam refert lib. XX. cap. XIII. At vero melle temperatum devoratur, nec nares ferit. Secus enim cum Cornario pro *animati* facile admitterem *inaniti*, hoc est exenterati. Hoc autem foret minus efficax. Nec sane Galenus cetero diligentissimus tale quidpiam innuit de Simpl. fac. lib. VII. ubi de Nasturtio & Cardamomo continue disserit: quanquam non diffiteor de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. III. cardamomum ἐξεντερισμένον expeti. Est autem Dioscoridi lib. IV. cap. CLI. ἐξεντερίζειν, quod Plinio lib. XXII. cap. XXII. *emedullare*. Qua ratione semen non est proprie inanitum, sed curatum & cortice liberatum. Quamobrem Hofmannus de Med. Offic. lib. II. cap. XLIX. καρδάμωμον ἐξεντερισμένον Galeni optime λελεπισμένον interpretatur, idemque credit quod Scribonio & Marcello *Nasturtium animatum*. Plinius tamen lib. XXV. cap. V. de elleboro: *cortex remanet, hunc inaniunt: medulla cadit*. Quid si *anima* Scribonii ætate plebeio more, quemadmodum Italis hodie, idem fuerit quod pars interior Comp. LXXIX? Scio quidem Cardamomum etiam tussi prodesse apud Dioscoridem lib. I. cap. V: clarior tamen prior locus in rem nostram, & incorruptus, annuente Galeno de Simpl. fac. lib. VII. pariterque Ætio Tetr. I. Serm. I; eumque Dioscoridis germanum testatur alius ei plane similis lib. II. cap. CXXV. & lib. IV. cap. XCV. Optimo igitur consilio Cornarius Marcellum Scribonio consentientem reliquit intactum, imo hoc ipso ad Galenum commentario primam lectionem demum approbat. Cuius insignem libertatem in emendandis libris hodieque ostendunt peranitquæ Marcelli membranæ in bibliotheca V. C. Isaaci Vossii, ubi deletis versibus integris ad libitum plurima reposuit. Quamobrem Scribonius ad hunc autorem à Cornario editum prudenter exigendus.

Fabæ Ægyptiæ magnitudine] Id est Victoriati pondere, cui bina respondent scrupula. Strabo autem lib. XVII. memorat ex faba Ægyptia fieri pocula, quæ ciboria dicuntur: fructum nostræ fabæ persimilem, magnitudine solum & gustu differentem: folia adeo magna, ut cavitate poculorum & catinorum usum præbeant: ideoque Alexandrinas officinas iis plenas. Nec mirum, si cum Petro Bellonio Colocasiam intelligamus. Altera enim leguminosa nostræ parum dissimilis. Alexandrina tamen sescunciam pendit; Græca, scriptoribus rarior, obolos duos. Ægyptia nihilominus Græcam seu vulgarem magnitudine superat. Oribasius enim & Adamantius de Ponderibus ferunt verum Ægypti legumen duplo pondere Græcum excellere. Ægyptia nempe quatuor obolos,

quem-

quemadmodum Syra Ioanni Serapioni bina ſcrupula pendebat, Alexandrina tria, Græca duo. Adiicit Soranus Epheſius Iſag. Med. cap. XXIV: *Latina habet ſcrupulum dimidiatum*. Sententiam Galeno adſcriptam iure damnat H. Mercurialis Variar. lection. lib. II. cap. VI.

Cœliacos, qui ſubito uniuerſa deiiciunt.] Comp. CXI. Subito & multa. Horum Plin. Valeriani. lib. II. cap. XXVI. lib. IV. cap. XL. XLII. & XLV. meminit: qui Cælio Aureliano Chron. lib. III. lemmate cap. II. *Ventriculoſi* appellantur, & paſſio ipſa Ventriculoſa ſeu *Cœliace*. *Venter enim*, ait Plinius ille lib. II. cap. XXVI. *patitur, quem Græci* Κοιλίαν *appellant*. Celſi iudicio lib. IV. cap. XII. in ipſa ventriculi porta conſiſtit, qui Κοιλιακὸς à Græcis nominatur. Sed alvus nihil reddit; contra Scribonii aliorumque medicorum ſententiam. Affectio non ſpernenda. Nam, ut inquit Autor Finit. medicar. quæ Galeno adſcribuntur, *eſt alui fluxio non recens, ſed diuturna cum verminibus multiſque excretionibus corpore ſimul marceſcente*. De qua uberius Galenus de loc. aff. lib. VI. cap. II. & Actuarius Meth. med. lib. I. cap. XX. Huic igitur opium vere commodum cenſuit Scribonius. Et ſane miram eius in ventris fluxu efficaciam obſeruarunt plures. Dyſentericis præcipue plurimum contuliſſe memini Aurelis Virum experientiſſimum Claudium Maillardum pilulis familiaribus: quas eo libentius publici iuris facio. Opii optimi drachmæ quinque in mortario tepido diſſoluantur: caſtorei, croci, cuiuſque drachmæ tres, piperis albi drachmæ duæ, ſeorſim terantur, ac deinde in vitro omnia excipiantur aqua cinnamomi quantum ſatis eſt. Affuſa poſtea ſpiritus vini libra ſemis, macerentur quinque diebus, ac quotidie ter quaterue moueantur. Quod limpidum eſt per linteolum tenue coletur, additoque, ut prius, vini ſpiritu colatura iteretur, donec eliciatur tinctura, quæ tandem leni calore euaporet: cui ſub finem olei cinnamomi diſtillati ſcrupulus adiiciatur, & fingantur pilulæ. Dentur duobus aut tribus granis, ea qua opus cautela.

Prodeſt & dolentibus] Marcellus cap. XV. *Prodeſt & dolenti*: ut *denti* reſpondeat. Quidni dolentibus; nimirum, quibus dentes dolent. Itaque ſic ſcribendum. Prodeſt & dolentibus, ſuperpoſitum & circumdatum denti: &c.

Infertur.] Concinnius forſan, inſertum. ut legatur: circumdatum denti, & ſi exeſus eſt, in cauernas eius inſertum. Sic Plinius de morbis Gallinarum lib. X. cap. LVII: *penna per tranſuerſa inſerta nares*. quanquam & autori tritam ſermonis conſuetudinem libens concesserim.

Horrores] Medici ſequioris æui, quos vulgus barbaros cenſet, Rigores dixere.

Circuitum] Periodum. Galen. contra eos qui de typis ſcripſerunt cap. I.

ἀλεξιπύρετος] Sic omnes, etiam Henr. Stephani editio. Scribo, ληξιπύρετος, ἀπὸ τοῦ λήγειν τοὺς πυρετούς, quod febres finiat, ut poſt Galenum de Compoſ. med. ſec. loc. lib. VII. cap. II. & per gen. lib. VII. cap. II. monet Hermolaus Barbarus in Gloſſemat. Plin. Quo modo Marcellus cap. XVI. *lexipyretos*, & Nicol. Myrepſus Sect. I. cap. CCCLIX. ληξιπύρετος. Vtroque genere profertur. Plinius tamen maior lib. XX. cap. XIIX. Lexipyretas dixit, intelligens forte compoſitiones, quas medici plerumque Febrifugas vocant. Ita Plin. Valeriano lib. III. cap. III. *Lyxoperita Ambroſia*. Reſcribe. *Lexipyreta*. Cælius item Aurelianus Chron.

Chron. lib. III. cap. IV. *Lexipyreton*; scilicet medicamentum; & Gal. de Antidot. lib. II. cap. VI. ληξιπύρετα.

XCVI.

Interaneas vomicas,] Marcellus: *interanea, vomicas*. Rectè, nec difficile fuit inciso arctius iuncto librariolum in hunc errorem labi. *Interanea* certe autor ipse bis nominauit Compos. CLXXVI. itemque CXCIV. & CCLXIV. At Plinius natur. histor. lib. XX. cap. XI. *tormina* dixit *interanea*. Sicne vomicæ interaneæ? Nisi legendum fortassis apud Plinium: *tormina interaneorum*. In veteri tamen codice Vaticano legitur: *torminibus interaneis medetur*.

Supputationes, lini feminis,] Supputationes. Lini feminis, &c. Hoc autem vitia pectoris educit, referente Dioscoride lib. II. cap. CXXV. Galenus quoque de Aliment. facult. lib. I. cap. XXXII. notat blande urinam mouere.

Vrticæ feminis] Dioscorides lib. IV. cap. XCIV. ait cum melle delinitum orthopnoeæ prodesse, thoracem expurgare: adiicit Galenus de Simpl. fac. lib. V. cap. XII. meatus purgare. Nec male: quoniam modice siccat, Oribasio teste Synops. lib. II. cap. XII. & valide digerit, ut autor idem Coll. med. lib. XV. cap. I. Imo Galenus Vrticæ femine ac Iride lentis & pituitosis thoracis pulmonisque humoribus aut puri, incidendis, extenuandis, & educendis, aptiora medicamenta negat; quæ & vehementiora statuit Meth. med. lib. XIII. cap. XIX. Eius proinde folia ferculis addita in suspirio iure laudat Ioan. Petrus Arlunus Comment. de Asthmate.

Oportet, & cum melle] Rectius: oportet cum melle despumato q. s. f. e. f. e. d. Prudenter cum despumato. Nam crudum tussim lacessit monitu Dioscoridis lib. II. cap. ●I.

XCVII.

Ad lateris dolorem sine febre] Lateris hic dolor non est Pleuritis, verum ex hypochondriorum flatu.

Pacchio Antiocho] Sic etiam Galenus nominat de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. IV. At sine aspirationis nota Πάκκιος. Scribendum igitur Paccio. Nec aliter inscriptiones antiquæ.

Ab antiquiotibus] Eius enim inuentio Apollonio tribuitur à Galeno de Compos. med. sec. loca lib. IIX. cap. II. itemque Asclepiadi post Andromachum, ac Themisoni, ut tefett idem cap. III.

Philenidis Catiniensis] Marcell. cap. XX. Philonidis Catiniensis. Recte. Philonides enim Siculus à Galeno memoratur de Differentiis pulsuum. lib. IV. cap. X. Catina vero urbs Siciliæ, quæ Ptolomæo ac Straboni Catana, hodie Catania, ad Æthnæ radicem sita. Inde Silius Italicus lib. XIII. *Catina ardenti nimium vicina Typhæo.* Malo tamen Catinensis, ut Iulius Solinus cap. X. *Catinensis regio*: qui etiam Catinæ meminit.

Cæsari] Sententia hiulca. Marcellus cap. XX. plenius: *Cæsari per libellum scriptum ad eum data est, & in bibliothecis publicis posita*. Nisi legeris in Scribonio *positum*. Bi-

Bibliothecis publicis] Romæ quippe plures erant : inter quas templi Augusti apud Plinium lib. xxxiv. cap. viii; domus Tiberianæ nominatur ab A. Gellio lib. xiii. cap. xiix. quæ fortassis hoc loco indicatur. Suos etiam libros in Palatii bibliothecam translatos memorat Galenus de Comp. med. per gen. lib. i. cap. i. Carmina itidem Quintilianus de Orat. perhibet à Cæsare ac Bruto in bibliothecas relata. Compositionem pariter ex commentariis Augusti Cæsaris tradit Plinius Valerianus lib. i. cap. xiix.

Venit in manus nostras, quam] Scribe : venit in manus nostras. Quam a. n. m. e. potuimus, quamuis o. f. Ex quibus insignis harum usus patet.

Ipse enim clusus] Illiberale factum, si ex liuore ad quæstum, & rei medicæ monopolium. Sin ad artis elegantiam, ne seruis aliisue à medica professione remotis innotescerent arcana, Coi Senis voluntati nihil utique accommodatius putabitur.

Committebat: plura enim] Melius: *committebat. Plura etiam q. r.*

Etenim] Marcell. *Est enim.* Librarium heic labi facile fuit. Scribe. Est enim non ignota. Ponderibus tamen a. a. a. a. d.

Ad antiquas.] Nimitum compositiones.

Numero] Sc. res.

Habeat.] Hinc laudatissimum Senecæ consilium Epist. lxiv. *Relicta nobis medicamenta. Non opus est alia quærere. Hæc tantum morbis & temporibus aptanda sunt.*

XCIIX.

Hæc & quæ sequuntur eundem utique orationis contextum postulant usq; ad Compos. cvii; numerum tamen receptum mutare nolui, quanquam remediis iure conueniat.

Ad lateris dolorem,] Marcellus : *ad stomachi & lateris dolorem.* Bene quidem. Scribonius tamen meliori iudicio. Nam Comp. xcvii. de lateris dolore tractatur : Stomachi vero dolor Comp. civ. proponitur.

Magna ex parte] magna parte. Steph. Prudenter Scribonius. Neque enim semper euentus respondet. Quod operis initio monuit.

Expertus sum.] *Sicut enim citra naturalem methodum medicamentum componere, ita vim illorum certe & accurate cognoscere sine experientia, nemo potest:* Galen. de Comp. med. per gen. lib. iv. cap. v:

XCIX.

Sanat ergo] Hæc iungenda præcedentibus, ut nouæ sententiæ principium sit. Item sanat, quibus s. t. o. o. Quod Index Compos. xcix. manifestum facit.

Ἐπιληπτικοὺς] Suidas: ἐπίληπτος, ὁ νοσῶν τὴν ἱερὰν νόσον, καὶ λυόμενος ὑπὸ τοῦ βασιλέως Θεοδοσίου. Æmilio Potto interprete : *qui sacro*, id est caduco vel comitiali *morbo laborat, & qui ab Imperatore Theodosio liberatur.* Hesychius: ἐπιληπτικός· μανιχὸς· κατεχόμενος. ἐπίληπτος καταφανὴς καὶ ὁ τῇ ἱερᾷ νόσῳ συνεχόμενος. Locus Hesychii iure suspectus, quandoquidem seculi vitio à barbarie numquam re-

pressa integre non pauca huius autoris male affecta. Nec meliori fide Phauorinus, qui utrumque ferme descripsit: Ἐπιληπτικὸς, παχικὸς, κατεχόμενος, ἐπίληπτος, καταφανής, ὁ καὶ τῇ ἱερᾷ νόσῳ συνεχόμενος. Quid enim καταφανής? Non defuit, qui maluit καταφανὲς, hoc est *clarum*, ad explicationem eorum, quæ præcedunt. At Lucas Holstenius flos Attici leporis non minus verè quam ingeniose legendum opinatur καταφερής. Epilepsia nempe similis somno, si credendum Aristoteli de Somno & Vigilia cap. xxx. Ἐπίληψιν tamen arbitrarer intellexisse defectionem, nisi Autor libri de Vtilitate respirationis Galeni titulo vulgatus ex Aristotele referret Epilepsiam esse quendam somnum. Repositam à viro clarissimo vocem proinde mecum laudauit Leo Allatius, qui natale ius Græcis illustrauit literis. Si quid vero mutandum, addidit non displicere sibi: Ἐπιληπτικὸς πάθει τινὶ κατεχόμενος: nec minus probari παχικὸς, quam πταχητικὸς. Verba nihilominus vulgata leui distinctione sic retinenda censuit. Ἐπιληπτικὸς· παχικὸς, κατεχόμενος. Ἐπίληπτος καταφανὴς, ὁ τῇ ἱερᾷ νόσῳ συνεχόμενος. Nimirum gemina heic notione Epilepticum usurpari: uniuerse, quouis morbo laborantem, qui παχικὸς, κατεχόμενος; proprie, parique autorum sententia, sacro morbo correptum, qui, dum coruit, quotidianis exemplis καταφερὴς, Iulio Firmico *caducus*, deprehenditur. Qua mente Q. Serenus:

membris atro languore caducis
Concilium populi labes horrenda diremit.

Alii non male, *acri languore*. Malum nempe acutum. Nisi ratione causæ atrum putemus; quandoquidem ex atra bile nonnumquam producitur, siue, quod Galeno placuit de loc. aff. lib. III. cap. VII. e succo melancholico. Quidni à tetro etiam colore, quo labentium facies non raro infuscatur. Vtcumque fuerit, vel hac forsan ratione Ἐπίληπτος seu Ἐπιληπτικὸς haut inepte καταφανὴς, quandoquidem ab omnibus talis conspicitur. Sagaciores iudicent, numquid sic seruanda communis lectio.

μαινομένους] μαινόμενοι, ἐνθουσιωδῶς κινούμενοι, ex mente Hesychii. De quibus Theodorus Priscianus lib. II. cap. IV.

Vertigine, σκοτωματικοὺς] Vertigine. Σκοτωματικοὺς h. G.

κεφαλαργίαν] Ita libri omnes editi: quemadmodum & Plinius Valerianus lib. I. cap. III. Henricus Stephanus reposuit κεφαλαλγίαν, ut Compos. CCVI. Quo modo legendum procul dubio cum Hippocrate Sect. III. Aphor. XIII. sicut ex Indice quoque constat. Phauorinus tamen Scribonii lectionem tuetur: Κεφαλαλγίαν ἀντὶ τῆς κεφαλαργίαν λέγουσιν Ἀττικοί. Quapropter Æmilius Macer de Acidula bene:

Eius cum roseo succus permixtus oliuo
Dicitur antiquo capitis prodesse dolori,
Qui dictus dolor est lingua cephalargia Græca.

Sic P. Vegetius Art. Veterinar. lib. I. cap. XXV. *Cephalargicos* dixit *equos*: ideoque non inepte Quiricus de Augustis Lumine Apothecariorum affirmat Mithridatium prodesse cephalargicis.

Dara p. ✱ II.] ad drachmas tres, Galen. de Comp. med. sec. loca lib. IIX. cap. III. Oribas. Coll. med. lib. IIX. cap. XLVII. ait ad summum: mox tamen subiicit drachmas quatuor.

Anti-

Antidotos Hyera: hoc nomen] antidotos Hiera. Hoc n.e.t. Actuario Meth. med. lib. v. cap. I. *Antidotus est medicamentum, quod cum melle in pila subigitur*. Hic autem vocabuli usus nimis tritus. Rectius de Antidotis lib. II. cap. VI. Galenus: *Mos iunioribus medicis est Antidotos appellare, non modo quæ adversus mortifera medicamenta, quæque ad morsus ictusque venenosos exhibent; sed etiam quæ contra malas corporis affectiones præsertimque diutinas valent, ex aliquo viscere aut abscessu consurgentes.*

Ne eius nomen verum dicendo ostenderet quæ esset.] Nemini enim eius compositionem dedit, ut notat Scribonius Comp. XCVII.

πικρά] Actuarius lib. v. cap. IX. De qua consule omnino Galenum de Sanit. tuenda lib. VI. cap. X. *Hieram & picram* diuisim nominat Galenus de Præcognitione ad Postbumum cap. XI. Ἱερὰ πικρὰ Medicis *sacra dosis* interprete Erasmo ad Senecæ Epist. LXXXIII.

Dicitur &c. διακολοκυνθίδος.] Hæc parenthesi circumcludantur. Scribe præterea διὰ κολοκυνθίδος: veluti Gal. de reméd. paratu facil. cap. VI. διὰ κολοκυνθίδων, sic dicta, quod colocynthidos sit particeps: tametsi H. Steph. διακολοκυνθίδος. Ipsius ætate pariter *Diacolocynthis*, & usitato nomine *Hiera*, hoc est sacra vocabatur, ut videre est Lib. De iis quos purgare oportet. Hiera igitur Scribonii temporibus duplici appellatione circumferebatur: Galeni autem seculo ex colocynthide præcipue Hiera fuit, quemadmodum antea ex aloe, & colocynthide, id est cucurbita siluestri, ut fatetur ipse de Comp. med. sec. loca lib. IIX. cap. II.

Quotidie] omnes. Ruell. cotidie.

Sub tanta specie nominis] Ἱερὰ enim, h.e. sacra vocabatur; seu velis, magna, ceterisque præstans, & insigniter utilis:

Ptisanæ] Ita omnes quidem scribunt. S tamen Græcorum more geminandum aduertit Ioannes Fungerus Etymolog. trilingui. Dioscoridi lib. II. cap. CIIX. πτισάνη: quam Dipnosoph. lib. X. Athenæus deriuat ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, quod est *pinsendo decorticare*, & ἀνεῖν, quod Hesychio significat ἀνακαθαίρειν, *expurgare*. Huius cremorem à ptissana hordeacea diuersam indicat Galenus comment. I. Hippocr. de rat. vict. in acut. sect. XIII. qui comm. III. sect. XXXV. ait sorbitionem, cuius beneficio corpus alitur & roboratur. Quam Hieron. Mercurialis Var. lect. lib. IV. cap. XIIX. Hordei aquam, non succum putat. Hoc autem loco recte additur, quoniam sine calfactione vacuat, ut placet Galeno Meth. med. lib. XI. cap. IX: mordaces etiam intestinorum succos eluit, eodem authore in lib. VI. Epidem. Hipp: comm. VI. Aphor. V. At si vires validæ, aquæ hordei parum conuenientius fuerit.

Olera lenia] Marcell. cap. XXX. *leuia*. Scribe: olera lenia, ex urtica, lapatho, & malua facta, corp. I. admixta, e. c. e. pane, a. p. Olus ab olla deducit Varro de ling. Lat. lib. IV. Athenienses omnia communi nomine appellasse, veteresque nullum nomen ipsorum speciebus indidisse, autor est Galenus de atten. vict. rat. cap. III. Scribonius vero eadem forsan intellexit, quæ Celso lib. II. cap. XXX. sunt *minuta*. Horatio Serm. lib: II. Sat. VI. itemque Iuuenali Sat. XI. ni fallor *oluscula*. Ferculum heic notari, certum est. Quo modo apud Cæl. Apicium lib. III. cap. XV. *Olus molle* Gabriel Hummelbergius interpretatur pul-

mentarium oleraceum cum substantia, tum effectu molle ac tenerum, quod ventrem subducit. Plinius enim lib. xxvii. cap. iix. de Chrysolachano: *coctum estur, ut olus molle*. Sicne Varroni libro iam dicto *Lactuca olus*? In hanc sententiam Ἀρνόγλωσσον λαχανῶδες Dioscoridis lib. ii. cap. clIII. Ioanne Antonio Saraceno interprete, *Plantago in oleris usum apta*; melius, quam Ruellio *oleracei generis*. Olera utique Celso lib. ii. cap. vii. mediæ materiæ cibi heic plurimum conferunt, præcipue dum mollem aluum præstant, ut monuit Galen. Docum. de puero epileptico cap. iv. D. Hieronym. ad Furiam Ep. x. magis temperantiæ, quam valetudini commendat. Succi enim tenuissimi sunt, nec satis boni, si Galeno credendum de Alim. fac. lib. ii. cap. ei.

Ex urtica] Germanorum ea mensis hodieque experita. Quam Galenus de Aliment. fac. lib. ii. cap. liv. ait utilem ut obsonium, ac medicamentum, quod aluum deiicit, ut ut aduertit neminem ea, præterquam in maxima fame, pro alimento uti. Recte apud Hippocratem scilicet autor Libri de Affectionibus: *Ex oleribus coctis secedunt, quæ ex natura humidissima & acerrima sunt*. Cuiusmodi heic nominata. Subdit usum. *Danda autem sunt hæc tepidiora & flaccidiora. Sic enim ad secessum commodant*. Nec mirum ea confestim aluum subire, quum nitrosæ sine calidæ sint substantiæ, & aqueæ. Totius etiam substantiæ familiaritate id forsitan efficiunt, quandoquidem celerius digeruntur.

Lapatho] Dioscor. lib. ii. cap. cxl. de Lapathi generibus: *omnium decocto olere aluus emollitur*.

Torpedine] Galenus de Alim. fac. lib. iii. cap. xxxvi. piscibus cartilagineis accenset, cuius caro mollis & iucunda, coctu facilis ac moderate nutriens: maximeque caudam versus. Cui subscribunt Ægin. lib. i. cap. xciii. Ætius Tetr. i. serm. ii. cap. cxlvii. & Oribas. Coll. med. lib. ii. cap. lvi. eamque fere solam epilepticis ex cartilagineis concedit Galenus cap. v. de puero epilept. quemadmodum & solito calidioribus sicciotibusque laudat, Meth. med. lib. iix. cap. xi: quales utique furiosi. Hinc Athenæo Dipnos. lib. vii. *Νάρκη ἑψητή, Torpedo lautissima*. Cuius conditurum tradit Apicius de re culin. lib. ix. cap. ii. Nec hodie plebs Romana ipsam aromatibus castigatam fastidit. Rondeletius tamen de Piscibus lib. xii. cap. xix. eam in mensas vix admittit.

Exiguo pane] ut aluus liberior fluat.

Aquamque] Vino enim prorsus abstinendum est, ubi mens læditur, præcepto Hippocratis de vict. acut. Comm. iii. Aph. xli.

C.

Abscissionem] Sic in antiquis libris esse, contra Lambinum ostendit à verbo *Abscido* pro *Abscindo* Gerardus Vossius de Analogia lib. iii. cap. xxvi. quod Obertus Gifanius in Lucretiano indice deriuat ex *abs* & *cædo*. Ita in membranis Plaut. Amphitr. Act. ii. Sc. i. *Istam tibi scelestam scelus linguam abscidam*: etiamsi libri omnes editi habeant *abscindam*. Qua etiam ratione idem in Obseruat. linguæ Lat. apud Claudianum lib. in Eutrop. i. legit: *Inguinis & reliquum Phrygius abscidere cultris*. Quod & duo codices Medicei, atque S. Saluatoris Bononiæ agnoscunt. Hanc scripturam è MS. veteri de S. Germani vi-

ta

ea confirmat Gaspar Barthius Adu. lib. xxv. cap. v. sed & Corn. Cels. MS. cœnobii Tolentinorum Venetiis cap. IIX. *abscidere*. lib. VII. cap. VII. de Encanthide; & cap. XIX. *abscidat*. Item de Vngue codex Salisburgensis, & de Ancyloblepharo uterq; *abscidatur*. & lib. IIX. cap. XXIV. *abscidendum*; cui etiam lectioni concors V. C. Caroli Sponii medici Lugdunensis codex; itemq; lib. VII. cap. XIX. XXII. XXIX. XXXI. & lib. IIX. cap. X. secus quam in libris editis. Idem Ioannes Caius celebris Britanniæ medicus in suis quoque emendationibus notauit; quas piis Illustrissimi Christiani Frisii manibus acceptas refero. Nec aliter Rouillii editio lib. VII. cap. XXI. *abscidendæque membranæ sunt*. Ita Glossatium vetus MS. bibliothecæ Vaticanæ: *Cæsus*. *Abscisus*. Et: *Abscidens*. *Abrumpens Virgil.* In libris tamen editis Georg. II. est *abscindens*. Plinius etiam Valerianus lib. III. cap. VI. itemque Lucanus lib. VII. versu DCXXIIX. *abscisum caput*.

Ab incubone] ab incubo. Cælius tamen Aurelianus Chron. lib. I. cap. III. *Incubonem* appellauit, eumque imitatus Actuarii interpres Iulius Alexandrinus Meth. med. lib. I. cap. XVI. *ab incubando*. Macrobii autoritate in Somn. Scip. lib. I. cap. III. ἐφιάλτης dicitur, quasi insultor. Quæ appellatio vetius ab imaginatione insultuæ, quam à viro quopiam originem traxit. Incubum Fauni specie Antonio in desertis comparuisse narrat in vita Pauli Eremitæ D. Hieronymus. Et sane Plinius lib. XXV. cap. IV. hoc malum Faunorum in quiete ludibria nominat. Quam veterum fuisse opinionem non obscure indicat Cæl. Aurelianus, quando ex Sorani sententia scribit, neque Deum, neq; Semideum, neque Cupidinem esse. Ætius quoque Tetr. II. Serm. II. cap. XII. ex Posidonio Dæmonem aperte negat. Verum ea imaginationis fuit deprauatio. Vnde Scribonius vere: existimantur deludi. Nam quidam imaginantur etiam audire se eum, qui in ipsos irruit, teste P. Ægineta. Proinde Macrobius vere: ἐφιάλτης, *quem publica persuasio quiescentes opinatur inuadere, & pondere suo pressos ac sentientes grauare.*

Præfocationes ex qualibet causa] Non ab inopia substantiæ aeris, ut vere ostendit Galen. de utilit. respitat. cap. II. Idque malum incubo vexatis in primis graue. Inde Themison decimo epistolarum Libro πνιγαλίωνα vocauit, à suffocando, ut refert Ægineta lib. III. cap. XV. & Dioscorides eadem sententia lib. III. cap. CLVII. ὑπὸ ἐφιαλτῶν πνιγμὲς, quas Plin. lib. XXVII. cap. X. *Suppressiones nocturnas* dixit, eumque sequuti Dioscoridis interpretes. De his beue Æmilius Macer, aut quisquis ille posterioris æui fuerit:

Pressuras, inferre solent quas somnia nocte,
Pæoniæ semen bibitur si sæpius, arcet.

Eius grana nigra seligit Dioscorides; Ætius post Plinium quoque numero quindecim.

Deludi. Vsque eo] Scribe: deludi; usque eo t. v. u. i. v. p. adeant. Est enim v. n. c. u. in processa ætate. Marcellus legit *illudi*; &, *in processu ætatis*. Quod eleganter Celsus lib. VII. cap. XX: *si ætas processit*. Nihil tamen muto. Sic enim post Plautum in Pseudoli Prologo *successa bona* apud Cicer. lib. XVI. Ep. XXI. ad Tir. exstat, & *excessa moderatio*. Legi forsan posset *progressa ætate*, ut apud Suetonium Claud. cap. II. quandoquidem ista potius alterius, quam Ciceronis. Adde, si libet, Henr. Stephan. lib. II. Schediasm. XXIV. Magni autem mo-

menti

menti est Scribonii animaduersio. Incubus enim Epilepsiæ tentatio, ut Aureliano placuit, clarius Ætio præludium. Quin etiam Aristotelicus ille, sub Galeni nomine De utilit. respirat. quandam epilepsiam putat, quæ fit in somno. Hinc Ægineta, qui Rufi hieram heic dilaudat, cum Ætio monet incubo oppressos ea dormientes perperi, quæ interdiu comitiales. Nec inepte recentiorum quidam nocturnam Epilepsiam vocant. Imo diutius perdurans malum in Epilepsiam & Apoplexiam non raro definit. Quibus malis ætate prouecti facile opprimuntur: siquidem omnia iis oblæsa & vitiose affecta indicat Galenus de Temperam. lib. II. cap. II. Alexandrum Massariam medicum præcellentissimum à Ioanne Preuotio accepimus aliquot annis extra somnum quoque hoc malo correptum, eo in Apoplexiam transeunte sublatum Patauii; postquam acriter disputasset meram esse somnii affectionem. Quod etsi plerumque verum fateor; dissimulare tamen non possum, fuisse non ita dudum in meo contubernio Patauii iuuenem Germanum non minus ingeniosum quam assiduum, qui dum indefessis lucubrationibus Medicinæ Astronomiam coniungeret, à somno quoque excitatus de hoc vitio conquerebatur. Sed hanc validæ imaginationis crediderim fuisse memoriam: tametsi non ignotem, ubi grauior affectus, à somno corporis tremorem, seu suum stuporem, cordis palpitationem, oris & oculorum irrigationem superesse. Itaque cerebrum etiam uniuersum laborat; quod contingit in essentiali incubo, materia in capite collecta non in substantia cerebri, siquidem illæsa memoria: quæ dum digeritur, vapor crassus postremum cerebri ventriculum, adeoque influentes ad spinalis medullæ principium, spiritus animalis radios impedit aere frigido ambiente, non obstructione integra: nec, quod censuit subtilissimus Fernelius de part. morbis & Sympt. lib. V. cap. III. diaphragma solum pulmonesque premuntur, crassiore pituita siue melancholia turgente, quæ circum præcordia hæret; cuius vapore in fauces & cerebrum exspirante vox supprimitur; quanquam & hoc plerumque fiat: quoniam sensus adest suffocationis, ubi septum transuersum non sufficit respirationi propter auctum usum, remeante sanguine ac spiritu. At præter impeditam respirationem imaginatio etiam spiritus animalis agitatione deprauatur. Quod salua imaginatione in Orthopnœa & Apnœa non contingit. Porro quemadmodum peccante pituita Hiera diacolocynthidis, sic etiam Veratrum bene præparatum ad bilem adustam plurimum conducit.

Post horas tres quatuorue] Hæ vero purgationi sufficiunt.

C I.

Τετανὸν] τίτανον alii. Sed uterque modus iam receptus.

Musculi maxillares] Sic Aretæus de caus. & sign. acut. morb. lib. I. cap. VI. Tetanum ait musculorum qui in maxillis sunt ac tendinum distentionem. Melius Synops. lib. IIX. cap. XVI Oribasius partium corporis rectam inter utramque partem intensionem; vel, æqualem in utramque partem tensionem Ægineta lib. III. cap. XX. Est enim totius corporis siue omnium corporis partium perpetua conuulsio, ex Galeni sententia de Symptom. differ. cap. III. & de locis aff. lib. III. cap. VII. Aretæo de acut. lib. II. cap. III. neruorum labes;

quæ

quæ Corn. Celso lib. II. cap. I. neruorum rigor, & lib. IV. cap. III. morbus, qui neruorum quodam rigore immobilem & rectam ceruicem intendit. Nimirum omnes quatuor ceruicis musculi simul tenduntur, ut notat optime Galenus de musculor. dissect. cap. XVI.

κυνικὸν σπασμὸν] Huic enim canes admodum obnoxii. Vitii caussam indicauit Galenus de musculor. diss. cap. I.

Deprauatam] Vereor ne legendum fuerit, prauam. Quo etiam modo scriptum fuisse initio, non obscurum est ex Indice Compositionum. Sic Lucretio lib. IV. *praua regula*, quæ aliis distorta.

Portatione] Marcellus cap. XX. *portati.* Vtrumque recte.

Gladiatoribus] Hi olim quanti fuerint, ex Galeno patet, qui de Comp. med. per gen. lib. III. cap. II. miratur se iuuenem à ciuitatis suæ Pontifice ipsorum valetudini præfectum. Abrogatis autem ludorum mancipiis, nomen hoc in carnifices translatum, ex Rudolpho Ardentino curiose ostendit Barthius Aduersl. lib. XVI. cap. XII. Adi Lipsium Saturnal. lib. I. cap. VII.

Luctationibus] Marcell. *prælusionibus*. Scribonius longe melius. Nam *πυγμάχοι* in certamine pugillatu & lucta exercebantur. Quod in Heliogabalo Dio indicat: *Spectaculis Sardanapali adfuit Aurelius Ælix nobilis athleta, qui Olympiis lucta & pancratio certauit, & utriusque certaminis victor in Capitolino agone fuit. quod ante eum nemo Romæ fecerat.* Hos Laurentius Ioubertus vir doctissimus De Gymnasiis cap. IX. Pancratiastas opinatur. Sed longe amplior vocis notio. Sunt enim hi Iulio Polluci lib. III. cap. XXX. n. V. *παμμάχοι, in omni certaminum genere exercitati.*

Et eorum maxime sauciatis.] Legendum fortassis: in luctationibus eorum, & maxime sauciatis. Credo tamen hæc adscititia: quæ nec apud Marcellum exstant.

Excussus à rheda] Gallica denominatione, ut notat Quintilianus lib. I. cap. IX. Rheda Hadriano Iunio est leuis & expediti curriculi genus, à cisio non alienum, Suidæ *ῥέδιον*; cisium vero duabus rotis nitens vehiculum. Rectius forsan Isidorus Orig. lib. XX. cap. XII: *Rheda genus vehiculi quatuor rotarum.* Sed leue. Nonius Marcellus etiam currum interpretatur ex Varronis Marcipore: Neque enim credibile fuerit, Ciceronem extrema ætate cisio vectum, qui epistolam primam lib. VI. ad Atticum dictauit sedens in rheda; qui pro Milone quoque refert, ipsum cum uxore vectum in rheda. Imo, sequebatur cum lenonibus rheda, eodem teste. Itaque capacior ea fuit. Quod ex Plutarcho in Antonii vita Hermanno Cruserio IC interprete manifestius: *Cæsar rheda per Italiam vehens assidentem habuit Antonium, à tergo Brutum Albinum, & sororis suæ nepotem Octauianum, qui post Cæsar dictus est.* Adde, quod Rheda mille pondo subuectaret, carrus DC, quemadmodum notauit Iacobus Guitherus de Offic. domus Augustæ lib. III. cap. XIV. Eam vero ingeniose fabrefactam è Sicilia petendam tradit Pindarus carmine Pythico apud Athenæum Deipnosoph. lib. I. Quo pertinent Bigæ. De quibus Georgius Cedrenus Histor. Compend. pag. CXL: *Ῥωμαῖοι τὰ διζύγα ἅρματα βίγας ἐκάλουν.* Guilhelmo Xylandro interprete: *Romanis bigæ appellantur currus biiugi.*

Vel curriculo, atque ita tractis.] Marcellus: *vel curriculo tractis.* Verum &

Scri-

Scribonii verba satis clara. Nam curriculo etiam excussi non raro trahuntur, quemadmodum in ludis Circensibus Dio notauit in Heliogabalo. Inde apud Plinium lib. XXIX. cap. XVII. *quadrigis agendis tracti*. Aurigæ quippe habenis, quas manibus temperabant, simul per terga circumdati, quo tegendis equis pares forent, viribus inferiores à quadrigis pernicissimis facile trahebantur, & curriculo ad velocitatem leui ac nimis quam versatili potissimum excussi lorisque irretiti. Quam id fuerit graue, palam est indicio Suetonii, qui de Nerone cap. XXIV: *Excussus curru, ac rursus repositus, quum perdurare non posset, destitit ante decursum*. Plinius etiam lib. XXII. cap. XVII. *vehiculorum euersiones notauit*. Eiusmodi spectaculi argumentum præbet Romæ vetus monumentum Illustrissimi Cassiani à Puteo, quem omnigenæ antiquitatis peritissimum agnoscimus conseruatorem. Operis hoc testacei simulacris eminentibus in coronice inter patietinas petuetusti cænaculi repertum Romæ sub terra prope D. Virginis ædem, quæ cognomen à monte traxit. cuius ad maiorem perspicientiam exhibetur species. Reliqua circa emblemata Onuphrio Panuinio ceteroquin diligentissimo intacta Octauius Ferrarius V. C. aliquando expediet. Huic non absimile marmor in horto regiæ Fontis Bleii obseruauit Eques à Puteo, dum Vrbani Octaui Summi Pontificis ad Ludouicum XIII Gall. Regem legato Francisco Barberino Principi purpurato adesset. Aurigantis præterea habitum pari diligentia repræsentat apud me Thomæ Bartholini primæ notæ amici munere nummus æneus, cui numerosissime cuso non minus tribuerim, quam uni vel alteri saxo. Persimilem ipsi Petrus Stephanonius è gemma viri clarissimi Mattii Milesii Romæ prodidit. Effigiem vero circi ritu, non artificis libidine, productam congruentia indicat. Fascia etiam firmandis lateribus iniecta; quam Galenus de Fasciis cap. c. Aurigam vocat.

Manifesta causa] manifesta ex causa. Ruel. & Steph.

Aqua mulsa] Quam securiorem indicaui Composit. LXXIIX.

Neruorum tensionibus] id est, conuulsionibus. Celsus Distensionem appellauit lib. III. cap. XXIII. lib. V. cap. XXVI. XXIIX. lib. VII. cap. V. & XXVI.

Sideratione] Vitium hoc stirpibus proprium ad animantia scite transfertur. Galenus Comm. IV. Aph. XVII. Hipp. de Articul. Gangrænam interpretatur; Scribonius neruorum resolutionem, non Apoplexiam, ut refert Hadrianus Iunius, Hippocrates nempe Lib. de Glandulis Siderationem Apoplexiam vocat; qua correpti apud Celsum lib. III. cap. XXVI. *Attoniti* dicuntur. *Sideratio* autem proprie Paralysin denotat; qua velut infausti sideris afflatu mortales corripiuntur. Inde Martialis lib. XI. Epig. LXXXVI.

Sidere percussa est subito tibi, Zoile, lingua.

Quo Linguæ paralysis significanter indicatur. Nec inepte eadem notione Insubribus hodie *Percossa* intelligitur. Hetruscis autem *Assiderato*, qui Latinis *torpidus*.

Ex contractione,] Marcel. *cum contractione*. Quod magis consonum iis, quæ proxime sequuntur. Huius autem vitii post Celsum lib. II. cap. XVII. meminit Galenus Comm. IV. Aph. XLIX. Hippocratis, ubi ei partium peruersionem adscribit. Locum itaque Plinii Valeriani lib. III. cap. XVI. mendosum ita legas: *Sideratis vero, quibus manus, pedes, & facies euersa, remedium facies continuo*.

Net-



Neruorum conspicitur, παράλυσιν h. u.] conspicitur. Παράλυσιν &c.

Vtrumque] Sed præcipue remissionem, siue resolutionem. Quæ si totius corporis, Apoplexiam; si partium, Paralysin veteres nominauerunt, Celso teste lib. III. cap. XXVII. eiusque temporibus Paralysin tantum. Quam sibi licentiam quoque Scribonius adsciuit. Ab ea ratione Galenus de Symptom. caussis lib. II. cap. II. Apoplexiam totius corporis paralysin affirmat.

ἀρθριτὴν] Omnes. Recte H. Steph. ἀρθρῖτιν.

Ad spinam,] Maln. spinæ.

Ad podagram] Podagra pedum est vitium, inquit Galenus Meth. med. lib. II. cap. II. Idque summæ partis addit Introductionis autor cap. XVI. Aurelianus Tardarum Passionum lib. V. cap. II. dilucidius: *Podagram Græci etiam ab impedimento vel retentione pedum aiunt nominatam, vel à ferali dolore, siquidem omne quod immite fuerit abusiue agreste vocamus*. De quo eleganter Plin. lib. XXVI. cap. X: *Podagræ morbus rarior solebat esse, non modo patrum auorumque memoria, verum etiam nostra peregrinus & ipse. Nam si Italiæ fuisset antiquitus, Latinum nomen inuenisset*. Galeni tamen ætate satis innotuisse à luxu testatur ipse Comm. VI. Aph. XXIIX. De quo longe prior Seneca Ep. XCV. solita libertate conqueritur. Nec eam ignorauit Cicero, qui ad M. Marium lib. VII. famil. Ep. IV. iocose protulit. Quam eleganti quoque metonymia tardam appellauit Venusinus poeta Sermon. lib. I. Sat. IX.

Detractione ipsa leuat,] Galenus Lib. Quos purgare conueniat, se podagram & articulorum dolores inter initia evacuatione complures annos inhibuisse asseuerat.

CII.

Quid dicam?] Nota interrogationis ad periodi finem traducatur.

Consistenteis] H. St. consistentes.

Imperpetuum] Henricus Stephanus in perpetuum. Adi Compos. XI.

καρκινώματα] Celsus lib. V. cap. XXIIX: *Pessimum id genus est, fereque primum id fit, quod κακοήθες à Græcis nominatur: deinde ex eo id καρκίνωμα, quod sine ulcere est*. Phauorinus post Suidam: Καρκῖνος, τὸ νῦν καρκίνωμα λεγόμενον.

κακοήθες] Henricus Stephanus κακοήθη. Quidni κακοήθεις, quandoquidem autor duritias intelligit. Nam & Plin. Valerianus lib. III. cap. XXII: *duritias, quas κακοήθεας vocant, & euocat, & emendat*. id est mali moris, seu malignas.

Poteram] Hæc sententia sic distinctius scribitur: Poteram, n. h. f. q. a. e. h. m. sanauimus, nisi c. f. t. h. nobis: alioquin ipse t. i. d. Marcellus ita in suam personam transtulit: *Sed ego honestas feminas quasdam sæpissime hoc medicamento adfirmo sanatas*. Cetera omisit.

Feminas] Vid. Gal. lib. Quos purgare conueniat.

Ille,] Pacchius Antiochus.

CIII.

Illud vero] Idem adfirmat Comp. CVII.

Stomachicos] στομαχικὸς etiam nominat Dioscorides lib. IV. cap. XXXIIX.

Poten-

Potentior usus] Rem suam agit Scribonius laudando empiriam. Optime Tullus de Diuinat. lib. 1: *utilitate & ars est, & inuentor probatus.*

Intelligit] Marcellus: *intelliget*. Hent. St. intelligit. Scribonius tamen sibi Comp. cxxii. similis est hac scriptione, communem seruans Comp. cxciv: nisi quid librariis imputandum. Sed verus uterque modus: quem in ortographia veterum etiam deprehendit Mattius. Hoc enim verbum in eorum est numero, quæ διπλογραφούμενα Grammaticis appellantur.

C I V.

Affectus hypochondriacus heic suis exprimitur notis, ex Diocle etiam à Galeno memoratis lib. iii. cap. vii. de locis affectis. Eius tamen affinitate Melancholiam Hypochondriacam mox intelligendam censeo.

Inacescit] à frigiditate ventriculi, sententia Galeni Comm. iv. in lib. vi. Epid. Hipp. Aph. xxv. Quod biliosis raro contingere aduertit idem Meth. med. lib. ix. cap. v.

Inflationibus] Insertendum videtur, stomachi. Nec aliter Marcellus cap. xx. imo Scribonius ipse Comp. xcv. & cx. Id enim postulat particula *etus*. Quod præter Plin. Valet. lib. ii. cap. iv. indicant quæ sequuntur autoris verba.

Inedia] id est, atrophia seu nutrimenti defectu, iudicio Galeni de Ther. ad Pisonem cap. ii.

Varios liquores subinde respuant] Nimium saliuæ fluorem agnoscit Galenus de Remed. paratu facilibus cap. xv. Ea vero cerebri temperamentum indicari tradit de Tempetamentis lib. ii. cap. vi. unde caput recte in societatem venit.

Nullum genus cibi continere possint.] De hac affectione Galenus de Sympt. caus. lib. iii. cap. ii.

μελαγχολικώς] Melancholia enim nomen traxit à causa, Galeno teste Meth. med. lib. ii. cap. ii.

Oleo perunctis] Hoc enim ad celeritatem mollitiemque frictionis plurimum facit apud Galenum desanit. tuenda lib. iii. cap. ii. Quibus autem os ventriculi imbecillum, eos plurimum iuuat frictio, eiusdem monitu de Arte cur. ad Glauc. lib. i. cap. xiv.

Olfactariis] ita quoque Marcellus. Mihi magis placet, Olfactoriis. Quo modo Plinius lib. xxx. cap. xi. ait *Lethargum olfactoriis excitari*. Quæ Dalechampius Ptarmica interpretatur. Verius forsan odorata. Galenus enim de Compos. medic. sec. loca lib. iii. cap. iii. affirmat, *quemadmodum graueolentia omnia stomachum subuertere solent, sic odorata corroborare*. Idemque Scribonius præcipit. Qualia etiam Dioscorides lib. vi. cap. xvii. ὀσφραντικὰ nominauit, *Olfactilia* interpretes; nimirum, quæ olfactu excitant, nec raro ex aromatibus confecta nodulis includuntur. In quam sententiam Isidorus Origin. lib. xix. cap. xxxi: *Olfactoriola vascula sunt muliebria, in quibus odoramenta gestantur*. Clarius Isaiæ interpres ad cap. iii. versu x. *sunt myrothecæ siue pyxides perforatæ & ocellatæ, quæ odores suos & suaues halitus per foramina sua exspirant*. Hinc lucem accipiat Plinius, qui lib. xx. cap. ix. affirmat Catonis autoritate *brassicæ*

siluestris aridæ farinam in olfactorio collectam, vel odore tantum naribus rapto, vitia earum graueolentiamque sanare. Scribonius autem res intelligit odoratas peculiariter, quæ spiritus diffluentes recreant. Inde Misoponeti nomine Isaacus Casaubonus Satyrico: *Olfactoriolum peregrino munere diues.* Leuinus Lemnius de Complex. lib. I. cap. VII. tali quoque notione florum fasciculos naribus gratos dixit Olfactoriola: pariterque Aldus Manutius Tullium lib. III. Tuscul. Qu. exposuit.

Subrectos] Marcel. *Suberectos*. Scribonius recte. Nam *Subrigo* est erigo. Virgil. Æn. IV. *subrigit aures.*

Recubantes] Marcell. *recubantesque*. Melior altera lectio. Nam *recubare* est quiescere, non supinum cubare.

Varietate apta] De hac eleganter Macrobius Saturnal. lib. VII. cap. V. Quamobrem penendi ægro varii cibi, consilio Celsi lib. III. cap. VI.

Halica] Ita Cæl. Apicius passim, & interpres Æginetæ lib. I. cap. LXXIII. Glossat. vetus MS. bibliothecæ Vaticanæ, itemque à Bonauentura Vulcanio editum: ubi *Halica*, χόνδρος. Quem in modum Ianus Cornarius conuertit. Rectius, *Alica*, veluti Celsus lib. III. cap. VI. & lib. IV. cap. XXI. Plin. lib. XIIX. cap. XI. lib. XXII. cap. XXV. & Aldus in Orthographia, cui fauet Charisius lib. I. Lucillium tamen cum adspiratione protulisse monet. Addit Festus: *Alica dicitur, quod alit corpus.* Æt. quoque Tetrab. I. Serm. II. cap. XCVII. & CCXLI. Priscis ex Zea & Chondro fiebat, ut Nicolaus Leonicenus autor in Bonomino; quamuis & Domitius Calderinus præstantissimi tritici genus, Pompeii ætate ignotum, putet ad Martial. lib. II. Epigr. XXXVII. At Plinius lib. XXII. cap. XXV. *Alica res Romana est, & non pridem excogitata.* Galenus utique lib. I. de Aliment. cap. VI. nomen eius apud antiquos rarum significat, triticique genus agnoscit, quemadmodum & Dioscorides lib. II. cap. CXIIX. ex Zea paratam, sed ex deglubita, Hadriani Iunii sententia. Chondrus autem videtur Far nostrum Victori Trincauellio De curat part. lib. VII. cap. IIX. Alexandro Massariæ de Febribus cap. VII. potius farris succedaneum. Æginetа lib. I. cap. LXXIIX. tamen à Chondro distinguit, quando ait: *Alica in ceteris quidem Chondro similis est, sed aluum intensius moratur.* Sed & Chondrum à tritico Galenus de Simplic. facult. lib. IIX. qui Comm. I. Aph. XIIX. Hipp. de victu in acutis veteribus etiam Hippocratis temporibus innotuisse tradit, suaque natura ἐπικεραστικὸν de Simpl. fac. lib. II. cap. XIII. *Dari vero potest alica*, inquit Celsus lib. III cap. VI. *ex aqua mulsa, si firmus est stomachus, & compressa aluus: si vel ille languet, vel hæc profluit, ex posca.* Confecturam eius ex hordeo tradidit Pallad. lib. VII. Tit. XII. & Apicius lib. V. cap. V. apud quem & elixata lib. II. cap. I.

Succo facto] Marcellus posteriorem vocem omisit, quæ tamen ea mente retineri potest, qua præparatum, veluti Comp. LXXVI. & LXXX.

Apala] *Hapala* Cæl. Aurelian. Chron. lib. II. cap. VII. atque Theod. Prisciar. lib. II. cap. X. ex Heremanni lectione. Marcellus etiam cap. XX. Recte. Græcis enim sunt ἁπαλὰ, quæ Galeno de Aliment. facult. lib. III. cap. XXI. τρομητὰ *tremula*; latinis *Mollia*. G. Barthius Aduersar. lib. LVI. cap. V. tenera, sorbilia interpretatur cum Hadr. Iunio: quæ tamen Celsus lib. IV. cap. III. à

mol-

mollibus, pariter Galenus à tremulis discernit, sequutus Dioscoridem, qui lib. II. cap. LIV. ait: Ὠὸν τὸ ἁπαλὸν τροφιμώτερον τοῦ ῥοφητοῦ, καὶ τοῦ ἁπαλοῦ τὸ σκληρόν. *Ovum molliculum plus alit, quam sorbile; itemque durum plusquam molle*. Itaque pro *à pullis* in Celso verius *hapalis* reponendum, quam cum R. Constantino *apalis*: ut ut Hadrianus Turnebus Aduers. lib. X. cap. XI. apud Ausonium admittit *Apalaria*, quæ putat vasa, in quibus oua liquamine seu garo seruantur.

Intubi] Glossa vetus: *Intubus, Intubusina*, ἰντύβιον. Dioscor. lib. II. cap. CLX. Σέρις, *Scariola* officinis: Latino-Græco apud Bonauenturam Vulcanium Onomastico *Intybus*: Plinio lib. XIX. cap. IIX. *Intubum*: cuius vim refrigerandi, adstringendi, stomachoque utilem Dioscorides indicat.

Decocti] Sic enim magis alere notat Dioscorides lib. II. cap. CLXV.

Conchula marina] Omnes fere conchulæ alvum mouent autore Celso lib. II. cap. XXIX. De marina Rondelet. de Testac. Asseuerantius Oneirocr. lib. II. cap. XIV. Artemidorus: λύει τὸν γαστέρα πάντα τὰ ὀστρακόδερμα, πορφύρα, κήρυξ, ὄστρεον, &c. *Solvunt ventrem omnes testacei pisces, purpura, murex, concha*.

Purpuræ] πορφύρια Aristoteli Histor. Animal. lib. V. cap. XV. πορφύραι Athenæo Deipnos. lib. III. itemque Philosopho. Duram earum carnem affirmat Ægineta lib. I. cap. XCI. Athenæus tamen censet facile distribui, & vitiosos corporis humores ad iustam temperationem reduci. Elixi per se purpurarum tracheli ventriculo male affecto prosunt.

Murices] Murex, concha Veneris, Plinio lib. XXXII. cap. VII. idem quod conchylium, qui lib. IX. cap. XXV. à Purpura omnino distinguit, cap. XXXVI. & LI. separatim proponit, quemadmodum & Plin. alter de re med. lib. II. cap. XLI. Sed errore ceteris Latinis communi à rerum & vocum confusione; quam obseruauit ipse, dum lib. XXXII. cap. VII. affirmat Muricis nomen pluribus accommodatum. Inter Græcos hæc nomina diuisit Artemidorus loco pridem laudato. Nec minus Ægineta lib. I. cap. IX. & lib. VII. cap. III. discretim de iis egit. Voces etiam hasce distinctas eiusdem esse significatus, multis veterum rationibus declaravit Fabius Columna de Purpura cap. I. Nec dissentit vetus Glossa: *Murices*, Κήρυκες, πορφύρια. Ideoque mihi verisimile est, à recentiori quopiam priorem vocem alterius velut interpretamentum fuisse additam, atque à librariis parum circumspectis postea adscriptam ceteris, non aliter quam in Cornelio Celso, cuius quotquot sunt libri formis descripti de re medica lib. II. cap. XXIV. eiusdem prope argumenti, cuius hoc Scribonii, habent: *Murices, purpuræ*; itemque cap. XXIIX, euidenti glossa: argumento, quod notior appellatio alteram pluribus aptam uberiorisque significationis sequatur. Hinc in Codice MS. Cœnobii Tolentinorum Venetiis hoc loco inter utramq; vocem, quisquis fuit, particulam *siue* non male inseruit. Plinius etiam Valerianus lib. I. cap. V. de ulceribus in capite manantibus: *Testarum muricumue purpurarum cinere ex melle illinuntur*. Malo veluti lib. II. cap. XLI. & lib. III. cap. XXVI: *Testarum muricum vel purpurarum* &c. At *purpuræ* loco in vetustiori codice Florentino Celsi est *turtures*, cui ad vulgatæ lectionis modum aliquid attentatum animaduerti. Sed antiquam hanc quoque lectionem ex codice, ut opinor, Lazari Bonamici, MS. in libro illustris Vincentii Piuelli restituit Paulus Aicardus, nihil immutans cap. XXIIX: quod ex hoc tamen loco fieri æquum fuit. Imo Marcellus Largi ex-

scriptor

ſcriptor cap. xx. purpuras plane omiſit, quamuis eadem poſtea, quæ in Celſo, nihil maioris fidei lectio occurrat. Autoris vulgata ſi retinebitur, voces interpunctione ſeparentur. Conſultius tamen alterutra eliminatur. Quod enim Cælius Calcagninus apud Ariſtotelem de coloribus cap. IV. vertit: *purpureus color purpura, quæ inter murices cenſetur;* præter autoris mentem acceſſit. Cuius hæc ſolum verba: τὸ ἁλουργὲς τῇ πορφύρᾳ.

Pelorides] Harum quoque meminit Celſus lib. II. cap. XXIX. Plin. lib. XXXII. cap. IX. & XI. Athen. Deipn. lib. III. à voce πέλωρος, quod eſt ingens, dictas notat, quoniam chamis ſunt maiores. Hinc Varro de lingua Lat. lib. IV: *In conchyliis aliqua ex Græcis: ut Peloris, Oſtrea, Echinus.* Oſtreis, quæ in ſtagnis ac paludibus reperiuntur, ſimiles refert Oribaſius Coll. med. lib. II. cap. LIIX. concoctionemque iuvare. Carnem quidem ipſarum duram, multi nihilominus alimenti, notarunt alii. Et chelas quidem peloridum ſelectas meliores indicat Artemidorus Oneirocr. lib. IV. cap. XXIV. Lucrina peloris laudata Horatio II. Serm. ſat. IV. quam in deliciis fuiſſe conſtat ex Tertulliano De cultu feminarum lib. I. cap. VI. ubi ait: *nec peloride gratius de ſapore.* Echino marino ait Ælianus lib. XIV. de Animalibus cap. IV. omnium ciborum faſtidio laborantem in priſtinam valetudinem reſtitui. Cuius hiſtoriam Vlyſſes Aldrouandus De Teſtaceis lib. III. cap. XL. pertexuit.

Volua] Ioan Ruellius ad calcem primæ editionis Pariſinæ An. CIƆ IƆ XXIX Volema ſcripſit. Prior autem lectio ſatis proba. Volua enim integumentum Plin. lib. XXII. cap. XXII. Varroni etiam De re ruſt. lib. II cap. I. *Voluæ intimæ agnorum χόριον.* Qua ratione Hadrianus Iunius apud Scribonium interpretatur pomi medium, in quo veluti loculo ſemina latent. Huius autem quiſnam uſus? Hippocratis quidem ſententia lib. II. de Diæta poma ſeminibus referta magis alvum mouent; quæ melancholicis plerumq; ſuppreſſa, ob flatibus circa præcordia vagantibus, ut Ætius Tet. II. Ser. II. cap. IX. ex Galeno, & Rufo, monuit. Aptiora forſan Volema, ſed in locum paulo conuenientiorem traducenda. De quibus Plinius lib. XV. cap. XV: *Dixit Volema Virgilius à Catone ſumta.* Vbi notat Dalechampius volam manus implere, eademque cenſet quæ libri nominati cap. XI. Libralia amplitudinem ſibi ponderis nomine aſſerunt. Virgilii verba ſunt II. Georgicorum:

nec ſurculus idem
Cruſtumiis Syriiſque piris, grauibuſque volemis.

Horum apud Catonem De re ruſt. cap. VII. itemque apud Colum. lib. V. cap. X. & lib. XII. cap. X. fit mentio. Turnebus etiam Aduerſ. lib. XIX. cap. XIIX. in Lexico veteri *Volema pira,* κολοκυνθίδας ἀππίους, de cucurbitæ amplitudine recte intelligit. Autoris itaque verba ſic emendatius diſponantur: murices, pelorides; pomorum, ſorba, pira volema, mala orbiculata, ſcandiana, Cruſtumina, Signina, olla repoſita; i. u. e. o. Hæ ſcilicet ſpecies pomorum ſeu fructuum, quorum appellatione Columella lib. V. cap. XLI. perſica, dura cedria, uvas, mala granata ſignificauit. Porro Nicolaus Eryrhræus Indice Virgiliano in *Volema* ſcribendum ſuſpicatur *Orbiculana,* qua terminatione alia pirorum cognomina deſinunt. Varro tamen de re ruſt. lib. I. cap. LIX. habet *Orbiculata.* Cœlius etiam apud Ciceronem Epiſt. XVI: *noſtri milites malis orbiculatis eſſe paſti videntur.*

Cibos

Cibos delicatiores exponit Hadrianus Turnebus Aduerſ. lib. XII. cap. XVII. Celſus pariter hac formula uſus lib. II. cap. XXIV. itemque Columella lib. V. cap. X. lib. XII. cap. XLV. & Plinius lib. XXIII. cap. VI. lib. XXIX. cap. III. Quos imitari libuit Macrobio. Imo Athenæus Μῆλα ὀρβικάτα dixit. Latinorum autem nominationem confirmat Dioſcorides lib. I. cap. CLXIII: ῥωμαϊςὶ ὀρβικλᾶτα. Nominis rationem indicat Plinius lib. XV. cap. XIV: *Malæ orbiculata (e cauſis traxere nomen) a figura orbis in rotunditatem circumacti. Græci Epiroticæ vocant.* Breuiſſime Palladius lib. III. Tit. XXV: *Mala orbiculata, quæ rotunda, dicuntur. Scandiana* etiam legendum apud Marcellum cap. XX. ubi in vulgatis eſt *Scaurtana*: apud Cælium Aurelianum pariter lib. III. cap. II. Tardar. paſſ. ubi vulgo *Scaudiana*. Celſus enim inter ea quæ ſtomacho utilia *malum Scandianum* recenſet, Columella etiam lib. V. cap. X. nominat, itemque Saturn. lib. II. cap. XV. Macrobius, ubi & *Scantianum* diſtinctè additur. Poſt Catonem de re ruſt. cap. VII. etiam Varro Scantiana ponit. Plinius quoque lib. XV. cap. XIV. Nec male, ſi vera quæ de Scantio inuentore circumferuntur.

Cruſtumina] Cunctis gratiſſima notat Plinius lib. XV. cap. XV. aliiſque à colore *Teſtacea* fuiſſe appellata. *Cruſtumia* Virgilio II. Georgic. metri cauſa. *Cruſtumina* vocat poſt Celſum Columella lib. V. cap. X. & lib. XII. cap. X. quod Iunius Philargyrius etiam in II. Georg. probat; ab agro Cruſtumino, cuius Varro de re ruſt. lib. I. cap. XIV. meminit, vel à Cruſtumio oppido, cuius hodie nulla exſtat memoria. Cruſtumium vero amnis eſt, qui Piſaurum inter & Ariminum ſeſe in mare Hadriaticum exonerat, veluti notauit Vibius Sequeſter; noſtris temporibus *la Concha*. Venetis regia pira ſunt ſimilia, quæ vocantur *Bergomota*. Cuius generis Neapoli *Ghiacciuola*. Signina etiam vetius appellantur, quam *Segnina*, à Celſo loco nominato, & lib. IV. cap. XIX. itemque à Columella lib. V. cap. X. Plin. lib. XV. cap. XV. Iuuenale Sat. XI. verſ. LXXIV. ac Macrobio. Signia quippe oppidum Italiæ, quod vulgo *Segni*; unde librarii lapſus forſaſſe manauit. Σιγνία Straboni lib. V. Mendoſus itaque Stephanus, qui habet: Σίγυινα, πόλις Ἰταλίας, ὡς Στράβων πέμπτῳ. Pira, quæ generoſiſſimis accenſet Columella, heic prouenire, haud obſcurum eſt ex veteri monumento:

P. CORFIDIO. SIGNINO. POMARIO. A. PROSEVCHA.

Et ſane inter ea refert Plinius, quæ patriæ nomina habent.

Olla repoſita,] Ollas vero argilla commendabat Signina: quas aer penetrare quum non poſſet, fructus durabant diutius. Modum tradit Celſus lib. IV. cap. XIX. In ſapa præterea condit Cato, & Varro. Diuerſas rationes habet Pallad. lib. III. Tit. XXV.

Vuæ ex olla;] Ita Celſus lib. I. cap. VI. & lib. II. cap. XXIV. Plinio lib. XX III. cap. I. *in ollis ſeruata*; alter de re medica lib. V. cap. XXV III. *uvæ in olla*. Martiali lib. VII. Epig. XX. *uvæ ollares*, veluti Statio quoque in Hendecaſyllabis. Dioſcoridis interpres lib. V. cap. III. mollis qualiter & Varro de re ruſt. lib. I. cap. LIX. ex Catone. Hieronymus Bagolinus tamen, qui apud me ineditus, ἐκ τῶν ἀυλῶν vertit, *ex doliis*. Modum vero condendi in doliolis, quem Cato innuit cap. CXLIII. tradit Columella lib. XII. cap. XLIII. Sed in ollis ſiue urceis frequentiorem deprehendo apud Catonem cap. CXLIII. & Varronem de re ruſt. lib. I. cap. LXI. Galen. de Alim. fac. lib. II. cap. IX. Quem & Horatius Serm. lib.

lib. II. sat. IV. non præterijt, ubi *Venucula conuenit ollis*. Vere. Nam & Columella lib. III. cap. II. *uvæ temporibus hiemis durabiles vasis conduntur, ut venucula.* Inde Iuuenalis eleganter Sat. XI.

seruatæ
Parte anni, quales fuerant in vitibus, uvæ.

Ollas vero doliis etiam fuisse inclusas, manifestum ex Plinio lib. XIV. cap. I. Quo Bagolinus forsan respexit.

Confirmant stomachum,] Stomacho enim aptissima sunt, quæcunque austera sunt, etiam quæ acida monente Celso lib. II. cap. XXIV. Cuiusmodi Sorba, sententia Dioscoridis lib. I. cap. CLXXIV. & Plin. lib. XXIII. cap. VII: quæ fictilibus claudi urceolis refert Palladius lib. II. Tit. XV. Minus tamen adstringunt, quam mespilus Æginetæ monitu lib. VII. cap. III quapropter etiam in cibo suauiora notat Oribasius Coll. lib. I. cap. LII. Pira omnia adstringere scribit Dioscor. lib. I. cap. CLXVII. & Crustumium veluti fragile ac stomacho idoneum Celsus: Mala item orbiculata stomacho utilia Dioscorides lib. I. cap. CLXIII. eique gratas esse uvas ollares, quas & Galenus probat. Plinius quoque lib. XXIII. cap. I. tradit auiditatem excitare; paulo tamen grauiores fieri vinaceorum halitu, quod Galenus etiam notauit. Cuiusmodi quidpiam in iis quoque Dioscorides reprehendit, quæ sapa vel passo conditæ.

Paulatim] Prudenter. Qua ratione magni Hippocratis decreto lib. II. Aph. LI. Celsus lib. I. cap. III: *Cum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit adsuescere.*

Prope] inclinata morbi vehementia. Boni quippe medici est, saltem ad melius mutare; siquidem, ut in Arte senex Cous, *medicina nihil aliud est, quam morbos ab ægris omnino auferre, & morborum vehementias obtundere.*

C V.

Est stomachi vitium] Marcellus. *Est & s. v.* Quod placet.

ἄτονον] *eecausin*, Marcellus. Quod omnino retinendum, quandoquidem *ἔγκαυσις* ardorem denotat, cuius heic mentio, & apud Plin. Val. lib. II. cap. XII. Hippocrati Sect. IV. Aph. LXV. *περὶ τὴν κοιλίην καῦμα circa ventriculum æstus.* Κοιλίη autem Sect. VI. Aph. XIIX ventriculus, quæ lib. V. Epid. *κοιλία ἄνω.* Eam affectionem languor seu laxitas, Græcis *ἀτονία*, verius consequitur; ut neq; hac notione admittenda Scribonii lectio. At stomachi humorem Lucretius lib. IV: *humectum tenorem* concinnè appellauit.

Vrnas] Soranus Ephesius Art. med. Isag. cap. XXIV: *Cadus, siue ut Romani vocant, urna amphoram habet unam. Amphora continet modios tres. Modius habet congios duos. Congius habet senos sextarios. Sextarius capit cotulas binas. Cotula Heminam unam habet.* Verum Michael Neander tantum amphoræ dimidium adsignat urnæ. Amphora quippe ad ipsius mentem capit urnas duas, Volusio Metiano autore; Vrna quatuor congios: qui libras quadraginta conficiunt. Cetero nihil à Sorano discrepat. Neandro consentit Marsilius Cagnatus, qui Var. Obs. lib. II. cap. II. Amphoræ congios octo tribuit. At peculiari calculo Hadriani Iunii urna est XXIV. Sextariorum mensura; quandoquidem Amphora

ra ei duos modios continet. Nec mirum. Nam & diuersam veteribus fuisse capacitatem indicat urna quinquagenaria Catonis de re rust. cap. x. quam Hadrian. Turnebus Aduers. lib. vii. cap. xxii. Sextariorum quinquaginta interpretatur; Scribonius autem venusta synecdoche ingentem aquæ copiam significat.

Frigidæ ita prodest ut f. a.] frigidæ ita prodest, ut f. a.

Iocinerosis] id est, hepaticis.

Ex aqua mulsa] Recte. Hæc enim moderatissime detergit Galeni iudicio Meth. med. lib. ix. cap. iv. citra calefactionem insignem, ut notat idem lib. xi. cap. ix. qui cap. xix. optime aduertit, Mulsam inutilem præsente iecoris aut lienis inflammatione, quandoquidem illico transit in bilem, ac inflammationem auget; Dulcibus præterea tum iecut tum lienem maxime intumescere docuit lib. xiii. cap. xiv.

Ptisanæ cremorem] Marc. *in ptisanæ cremore f. u. alio. l. d.* Nimirum fine iusculo aut potu. Ptisana enim ob cremorem, quem reddit dum coquitur, plus alimenti præbet, quam polenta ex eodem hordeo facta, teste Dioscoride lib. ii. cap. cix. Culpa etiam vacat monitu Galeni Meth. med. lib. xiii. cap. xiv. Imo, quod in hoc affectu commodum, refrigerat & humectat, eodem autore lib. x. cap. xi.

C V I.

Colo inflato] Exemplum habes apud Galenum Meth. med. lib. xi. cap. vii.

Vomicas] Nonius Marcellus *concaua loca, vetustate exesa* interpretatur. Nominis huius ratio elegans apud Plin. medicum lib. iii. cap. xxiii: *Erumpunt plerumq; è lateribus membranæ superuacuæ ex languoribus natæ humore concreto intusque conuerso, qui adeo fæcunde innascitur, ut non tam exscreetur, quam euomatur.*

Medicamentum, In aqua] L. medicamentum, in qua &c.

Artemisia] Plin. lib. xxv. cap. vii. notat ab Artemisia uxore Mausoli adoptatam herbam, quæ antea Parthenis vocabatur. Addit. *Sunt qui ab Artemide Ilithya cognominatam putent, quoniam priuatim medeatur feminarum malis.* Inde P. Vegetio Art. Veterin. lib. i. cap. vi. *Dianaria*, cui & lib. iii. cap. xxxiii. (xxxvi.) *Radix Dianariæ, id est, herbæ artemisiæ;* quod Artemis seu Diana forsan eiusmodi vitiis præsit; vel ex nomine Dianæ, quæ ἄρτεμις Græcis appellata eius herbæ virtutem Chironi Centauro tradidit, si Apuleio de vir. herbar. cap. xii. credendum. Singularem ipsius in mensibus ciendis usum Zacutus Lusitanus ostendit Prax. admir. lib. ii. obs. xcix. Gestatam simpliciter efficacissimam tradit Didacus Merinus de morbis internis lib. v. cap. i. Quum tanta igitur eius in uterum sit efficacia, μητρῶας, interprete Ioanne Guintherio Andernaco, *materna* fortasis cognomen meruit apud Galenum de Comp. med. per gen. lib. vii. cap. xiv.

Δίκταμνον] Huius radicem partum accelerare tradit Dioscorides lib. iii. cap. xxxvii. qui Cretensem agnoscit quidem herbam, sed flore & semine orbam. Vidimus tamen florentem eximie. Qualem Damocrates postulat in emplastro apud Galenum de Comp. med. per gen. lib. v. cap. x. Dioscoridi vero indul-

gendus iste lapsus, qui non oculata fide omnia, sed percunctatione & fando multa ab aliis accepit. Vnde loco pridem nominato, φασὶ, *ferunt*. Romanis hodie præsens est remedium mouendis menstruis; quod & magno Septalio memini laudatissimum.

Detracto prius sanguine,] Idem Comp. XXII. monuit.

Ex usu] Quia facillime ad consentiendum homines ducuntur experimentis; autore Quintiliano lib. III. cap. IIX.

Recipit] Hiera est Archigenis ab Ætio Tetrab. I. Serm. III. cap. XIV. descripta. Alias Hieræ compositiones vide apud Galenum de Comp. med. sec. loca lib. II. cap. I. lib. IIX. cap. II. & Meth. med. lib. VII. cap. XI.

Stœcados] Omnes libri. Scribe Stœchados. Diosc. lib. III. cap. XXXI. Στίχας, *Stœchas* interpreti. Adde Galenum de Simpl. fac. lib. IIX.

χαμαιδρύος,] χαμαίδρυος, Henr. St.

Terræ mali] id est Aristolochiæ, Comp. CCII.

Piperis albi,] Quod stomachum magis corroborare creditur.

Myrrhæ folii,] Sic omnes libri. Melius, myrrhæ, folii. Ægineta, & Ætius habent *Polii*, ubi loco πολίυ scribendum φύλλυ. Folium enim iis usibus, qui huic medicamento tribuuntur, efficacius censet Anton. Musa Brasauolus Comm. ad Hipp. de victu acut. lib. II. sect. XI. Indiæ frequens Græcis & Latinis appellatur Malabatrum, Folium Indum interpretibus Auicennæ lib. II. Tract. II. cap. CCLIIX. De quo post Garciam ab Horto Hist. Aromat. lib. I. cap. XIX. Io. Hugo Linicotus Par. IV. Ind. Orient. cap. XXXIX. Gulielmus Rondeletius Pharmacop. Officin. Pag. MCXC. Scribonii Largi autoritate in Hiera Antiochi legit *Polium*. Illa vero à Largo non describitur; sed tantum nominatur Composit. CLVI. Nec eius compositionis ullum nobis vestigium, quam lib. II. cap. II. Methodi curat. ad uvæ tumorem laudat. Veterem fortassis vidit ille codicem nobis frustra desideratum.

Omnia ponderata] Marcellus. *Omnia diligenter ponderata.*

Contunduntur & cribrantur.] contunduntur, & cribrantur.

Sacrum,] Hiera enim vocatur Comp. XCIX.

C V I I.

Cucurbitæ siluestris] Esculenta etiam ventrem mollit, autore Dioscor. lib. II. cap. CLXII.

C I I X.

Ad stomachi dolorem, & inflationem, e. c. v. i.] Repone ex Indice, atque contextu: Ad stomachi solutionem, & fluorem.

Cum nihil] Lege cum Marcello: *cum infirmi nihil cibi retinere possunt*. Cœliacam vero passionem indicat Scribonius, quam pariter describit Comp. XCV. & CXI.

Pondo libra,] Rectius ex Marcello utrobique *uncia*, siue radicis pondus expendamus, siue medicamenti usum, qui vix eam molem admittit.

Pal-

C I X.

Palmarum] Palmæ in Iudæa duo genera reperiuntur communia: φοῖνιξ, Palma simpliciter, quæ dactylos promit; & Palma Caryota, φοῖνιξ καρυωτὶς, vel καρυῶτις. de qua Diosc. lib. I. cap. CXLIX. Quam appellationem non minus fructui quam arbori conuenire monet Galenus de Alim. facult. lib. I I. cap. XXVI. omnibusque eius differentiis dulcedinem quandam cum adstrictione tribuit. Neutram uniuersæ Indiæ nasci perhiber cum Guilandino Salmasius. Ægyptiam vero palmam aliasque vicinas cum Dioscoride potissimum indicarunt summi viri, quando Indis negant. Indica vero liquorem fundit, ex quo vinum, quod vocant sublimatum, Indis *Arak*, prolicitur. cuius meminit Carolus Clusius Cur. postr. ex Nauigatione Stephani van der Hagen Nauarchæ. Imo Philostratus De Vita Apollonii Tyanei lib. I I. cap. I I I. narrat Indos pastores inter Caucasum montem & fluuium Cophenum degentes peregrinantibus vinum obtulisse, quod arte quadam ex palmarum fructibus exprimunt, interprete Alamano Rinucino. Idque ingeniose confectum significat, quando ait σοφίζοντας. Addit, multos Indorum ex eo ebrietate correptos. Idem & montis Oreb seu Sinai monachi è dactylis hodie præstant. Insulæ etiam Orientalis Indiæ Zeilan seu Taprobanæ, veteri bibliothecæ Mediceæ Cosmographo Christiano Sielediua minime peregrinam deprehendit Danorum colonia, felicibus augustissimi Regis CHRISTIANI QVARTI auspiciis Anno CIↃ IↃC XIX, Oueno Gedde Nobili Dano, Equite Aurato Regnique Senatore, tunc præfecto classis, & ad Regulum Legato, cœpta, ubi vinum distillatione suppeditat. Sed & in Oriente ex palmis Caryotis præcipua vina tradidit Plin. lib. XIII. cap. IV. verum iniqua capiti: quod etiam lib. XXIII. cap. I. aduertit post Dioscor. lib. V. cap. XL. Nec mirum ista Guilandinum naturæ ceteroquin peritissimum protulisse. Ipso enim anno MDLXXXVII rebus humanis erepto India Orientalis decennio post Batauorum sollertia penitius fuit detecta, etiamsi Ioannes Ruellius longe prior de nat. stirp. lib. I. cap. CIIX. affirmet, *in India Orientali palmas esse, quibus folia non decidant*. Insulam vero magni maris Taprobanen palmetis in ordinem mirifice consitam perhibet Ælianus De Animalibus lib. XVI. cap. XIIX.

Iuniperi grana] *Baccæ* Marcell. cap. XX. quas stomacho utiles adfirmat Dioscorides lib. I. cap. CIV.

Cretico musto,] Vide, quæ Comp. XXX. notaui.

C X.

Habenteis,] Ruel. Crat. & Ald. habentes, H. Steph.

Auriginem] Sic autor Comp. CXXVII. Plin. Valerian. lib. II. cap. LIX. & lib. III. cap. VII. Itemque Apuleius de vir. herbar. cap. XXXV. *aurugo*, & cap. III. *aurugines*; quem sequutus in Notis ad Pseudo-Macrum Ioannes Atrocianus. Scribe auriginem, & corrige Aldinam editionem, in qua perperam *æruginem*. Morbus enim à bile toto diffusa corpore mentitur auri colorem. Quod præter Hadrianum Iunium erudite obseruauit medicus Polyhistor Thomas Reinesius

Variar. lect. lib. II. cap. XIV. Isidoro autem in Glossario ipsi adscripto *Aeruginosus, arcuatus*. Qui similiter emendandus, & legendum *arquatus* cum Celso lib. II. cap. IIX. & lib. III. cap. XXIV.

Musam Antonium.] Sic Horat. Epist. lib. I. ad Vallam;

nam mihi Baias
Musa superuacuas Antonius.

Octauius Augustus huius opera ex ancipiti morbo restitutus statuam, aere collato, iuxta signum Aesculapii statuit, veluti Octau. cap. LIX. memorat Suetonius. Addit Histor. Roman. lib. LIII. Dio: *C. Augustus recuperata salute Antonio Musae liberto ceterisq; eam artem exercentibus in posterum ius annuli concessit.* Medicis itaq; honor equestris quandoq; constitutus, quum solis equitibus initio ea esset dignitas. Quid enim illustrius Taciti verbis Annal. lib. XIIX. de Vitellione: *Postulante exercitu, ut libertum suum Asiaticum equestri dignitate donaret, honorauit annulis.* Faretur & Plin. lib. XXIX. cap. I. D. Augustum contraria medicina graui periculo exemptum ab Antonio Musa. Quod lauacris frigidis frigidisque potionibus, imo lactuca factum prudentia medici, quum priores cauerent, Dio memoriae prodit. Fratrem ipsius Iubae Regi eadem professione gratum fuisse indicat Plinius lib. XXV. cap. VII. Antonii Musae nomine de Betonica libellus exstat. Galeno magni fuisse medicum patet de Comp. med. sec. loca lib. VI. cap. II.

Assis trientem,] id est uncias quatuor. Marcellus *Denarios quinq;*. Scribonii sententia verior. Hac enim ad Aloes unciam unam veniunt reliquarum specierum drachmae nouem. Marcelli autem opinione Aloes drachmae uni reliquorum drachmae sex appenderentur. Quae nimia ipsorum quantitas foret; nec aloes grana decem in vicem darentur.

Nardi Syriacae spicae, asari,] Sic etiam Marcellus. Autor Comp. CXIII. CLXXVI. Nardi spicae Syriacae. Planius Comp. LX. CCLIIX. spicae nardi; & CXX. Spicae nardi Indicae. Qua forma heic legi posset: spicae nardi Syriacae. Optime Marcellus cap. XXVII. *Nardi Syriaci spicae.*

Xylobalsami] Dioscorides lib. I. cap. XIIX. Ligni balsami easdem ait vires, quae sunt fructus, sed aliquanto minores. De quo Plinius lib. XII. cap. XXV: *Xylobalsamum vocatur, & coquitur in unguentis: pro succo ipsum substituere officinae.* Salmasius in Solinum vere monet esse Balsami arboris surculos ac sarmenta, praeter succum etiam odoribus expetitum, cui pretium in libras denarii quinque ex Plinio emendato. In Syria quoque aromatis loco usurpari notat Strabo lib. XVI. Balsami succo, seminibus, ac ligno eosdem effectus quidem adsignat Prosper Alpinus de Plantis Aegypt. cap. XIV: Xylobalsami tamen minorem efficaciam aduertit. Quod Nicol. Myrepsus sect. XXXIIX. cap. XLIII. ad Opobalsami compositionem accipit. Cardanus porro de malo medendi usu cap. XI. lignum putat incognitum, eiusque quantitatem, quae ad nos adfertur, Hercyniae siluae non sufficere. Nostra sane aetate adulterari non inficior; Venetus tamen legitimum non semel conspexi.

COMPOSITIO LXXII.] Haec, quoniam nihil diuersa est à LXXV, inaniter hoc loco inseritur; quemadmodum & Marsilius Cagnatus recte aduertit Var. obs. lib. III. cap. XIV; etiamsi verbis ac ponderibus aliquantulum discrepet à

Gale-

Galeno de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. II: ut fileam, nihil Arteriacis cum ventriculo esse. Illud tamen obseruandum, hæc verba, *quæ quod sub lingua teneatur*, a Ruellio ex alia Galeni compositione huc traducta, omisso componendi artificio, quod Comp. LXXV. ex mente Galeni traditum.

Altera] *Alia*. Ianus Cornarius in Galenum.

ὑπογλωσσὶς] Vox hæc eodem significatu Galeno recepta de Comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. II. Quo etiam modo Ianus Cornarius cap. II. exponit. At Oribasio med. coll. lib. XXV. cap. I. itemque Ruffo Ephesio de appellat. part. corpor. hum. lib. I. cap. IIX. inferiorem linguæ partem denotat. Hadriano Iunio, quæ sub lingua est. Ceteris dilucidior Iul. Pollux lib. II. cap. IV. n. XXV. ἡ δὲ σὰρξ ἧς ἐνδέδεται πρὸς τὴν κάτω σιαγόνα συναπτομένη, ὑπογλωσσὶς λέγεται. *Caro vero quæ alligatur, inferiorem contingens maxillam, hypoglossis dicitur*. Tuberculum quoque sub lingua credit Lælius Bisciola Hor. subcis. To. I. lib. IIX. cap IX. cum Iulio Polluce lib IV. cap. XXV. qui ait: ὑπογλωττὶς, ἀπόστασις ὑπὸ γλῶτταν. Rodolphò Gualthero interprete, *defectio sub lingua*. Magis proprie meo iudicio *abscessus*. Nicolao Myrepso passim ὑπογλωττὶς usurpatur Sect. XLII. more Atticorum, quibus γλῶττα, quæ communiter γλῶσσα. Quæ apud Hesychium, Iul. Pollucem lib. II. cap. IV. & Phauorinum εἶδος στεφάνου, *species orbiculi* verius, quam *coronæ*, ut Gualtherus vertit.

Tragacanthæ] id est lacrimæ radicis Tragacanthæ, quam descripsit Dioscorides lib. III. cap. XXIII. Qua etiam notione apud Oribas. Coll. med. lib. XII. exstat, heic aptissima, quoniam gummi similis vi emplastica obtundit acrimoniam, nec minus atque illud siccat, eodem teste Coll. lib. XV. cap. I. & lib. II. cap. I. de vir. Simpl.

In formulas] Ianus Cornar. apud Galenum *pastillos* vertit.

Sub linguam] sub lingua, veluti Comp. LXXII. LXXIV.

Oportet cum res exiget,] oportet, cum r. e.

Solet: quapropter] Solet. Quapropter in promtu tenere c. m. Sic enim scribendum monstrat ratio. Qui enim singula, dum fingitur medicamentum, seorsum tundere atque cernere licet, si confestim exsiccatur? Verius medicamentis, quæ trita & creta sunt in promtu, resinæ inspersis pastilli celeriter formantur. Galenum verò hominem Græcum Latinæ consuetudini haud usque assuetum procliue fuit legere apud Scribonium *terere* pro *tenere*. Addit enim: ἀναπλάττοντα πρὸς χεῖρα δεῖ κόπτειν. *pastillos formantem ad manum tundere oportet*. Quod verum de resina in pilam coniecta. Scribonius autem medicamenta nominatim commiscenda intelligit, facilemque parandi modum Compositione LXXV. edocet.

C X I.

Ad Cœliacos, & torminosos, & ventris diutinum dolorem.] Lege quemadmodum in Indice reperitur; Ad Cœliacos, & Torminosos.

Lenia] Sic omnes. Restitue, leuia. quod Marcellus etiam vidit, nisi cum vulgo malis læuia. In quam rem plura cap. VI. Dissertationis meæ de Acia. Lienteriam vero intellexisse videtur autor cum Hippocrate lib. III. Aphor. XXX, &

xxx. & lib. vi. Aphor. 1: quam Nicolaus Leonicenus intestinorum leuitatem exposuit.

Sorborum a. c. s. unus,] Marcellus S. 11. Huc facit Martialis illud lib. xiii. Epigram. xxvi:

Sorba sumus molles nimium durantia ventres.

Rhus Syriac.] Marcellus cap. xxvii. *rhus Syriacæ*. Verius utrobique *Rhois*. *Nec Rhus Latinum nomen habet*, inquit Plin. lib. xxiv. cap. xi. cui lib. xiii. cap. vi. *Rhus Syriæ mascula*. Nam Galeni etiam temporibus masculino & muliebri genere usurpatum patet lib. vi. cap. ii. de Comp. med. sec. loca. Celso itaque lib. vi. cap. xi. vox hæc restituenda, ubi *Ros* quibusdam in libris tam scriptis quam editis occurrit. In Columella pariter lib. ix. cap. xiii. & Palladio lib. iv. Tit. xv. scribendum *rhoe Syriaco*, pro eo quod in vulgatis *rore Syriaco*. Nam in ventris solutione apibus præberi suadet. Frutici autem vis adstringendi refrigerandique: cui Syriaci cognomen fortassis inditum, quod ex Syria præcipue aduehebatur.

Coquuntur] quo coci utuntur. Marcellus Aldi & H. Stephani. Accurate Coci, ad Infiniti *Coqui* discrimen, à Guarino Veronensi sua ætate Grammatico percelebri laudatum in Appendice Compendioli de Diphthongis Ludouico Gonzagæ dicati, quod calamo exaratum è museo Laurentii Pignorii transiit ad Alexandrum Estium Patauinum patricium, quem in ipso familiæ apparatu vita destituit. Scriptio veteri cippo confirmatur, quo in suburbio Athestino, vulgo *Canneuéo*, ædes Guidi Branchæ decorantur.



Dioscoridi lib. i. cap. cxlix. & lib. ii. cap. xxix. ῥοῦς ὁ ἐπὶ τὰ ὄψα. Vulgo *Rhus obsoniorum*; quoniam iis aspergebatur pro sale. Coriarii fruticis semen affirmat quidem Dioscorides, Galenus tamen de Remed. paratu facil. cap. xiii. maximeque de Comp. med. sec. loca lib. vi. cap. ii. species agnoscit distinctas.

Malagranata] Ita omnes libri. Scribe mala granata, velut Comp. xli. & alibi.

bi, Dioscoridi lib. I. cap. CLII. etiam ad Cœliacos probata.

Mala Cydonia] Dioscor. lib. I. cap. CLX. Κυδώνια simpliciter, ut Martiali lib. XIII. Epigr. XXIV. Cum Varrone rei rust. lib. I. cap. LIX. Celsus lib. II. cap. XXIV. & lib. VI. cap. XIIX. *mala* vocat *Cotonea*. Nominis rationem disertissime aperuit Plin. lib. XV. cap. XI: *Mala, quæ vocamus Cotonea, & Græci, Cydonea, ex Creta insula inuecta*. Notissima vero imperii Veneti maiestate Cydon eius ciuitas.

Coniiciuntur in sapam] *coquuntur in sapa*. Marcellus. Quod magis perspicuum.

Madida] Ita Comp. XLI.

Fictili] Gratius hodie vitreum conflatur. Marmoreum iuxta mortarium & ligneum antiquis usitatum tradit Barthius Aduers. lib. VI. cap. XIX. De marmoreo nihil dubii. Vellem & lignei firmum aliquod indicium, præterquam ad religionem, veluti apud Galenum de Comp. med. sec. loc. lib. X. cap. I. Quod enim aromatariis in Italia familiare, fundo perforato ab æneo excipitur. Pili quidem lignei autor meminit: at pilæ ratio diuersa. Addit Barthius cap. XVII. *Mortarium hodie rebus tundendis habemus fere. At veteres primum in pila tundebant, deinde in mortario terebant, quæ comminuta volebant*. Curiose. Nec deest coniecturæ Scribonius Comp. LXXIV. Ex quo tamen colliges, distinctum pro diuersa materia horum fuisse usum; quamuis & nonnunquam succedaneum innuat Comp. LXXV. Res vero in pila tusas, in mortario tritas, Scribonii aliorumque veterum autoritate conficitur. Paucis obseruatum, quod notat Barthius Aduers. lib. XXXI. cap. III. *Mortarium vas ahenum*; aliquando *mensuram*.

Rursus] *rbus*. Marcell. Quod vulgari lectioni præferendum.

Residua est, & omnibus] residua est. & o. i. u. b. coactis, reponitur m. i. v. V.

Sin autem grauior morbus] Hoc nouæ Compositionis initium esse, indicat contextus. Sic ergo legendum.

C X I I.

Sin autem grauior morbus insedit, hic datur Pastillus a. c. e. t. o. f. Mutata serie, Marcelli compositio variat.

Balaustii hypocistidos] Ita in omnibus; quemadmodum in Plin. Valer. lib. I. cap. LXIII. *hypocisti* (pro, *hypocistidos*) *balaustii*. Qualiter & heic interpungendum, nisi abusiue cytinum balaustii nomine intelligat autor, quum Hypocistis flore similis Punico apud Dioscoridem lib. I. cap. CXXIIX. Et sane Composs. LXXXV. separatim proponuntur. Pondus autem utrique commune erit, quoties nulla distinctione additur. Solius etiam hypocistidis cur minus hoc loco Scribonius quam Compositione CXIII meminisset, nisi contrarium suaderet Marcellus, qui habet: *balaustii, id est mali granati* &c. *hypocistidos, opii, singulorum denar. quinos*, &c.

Vino myrtite] De quo Columella lib. XII. cap. XXXIIX. ad tormina & alui proluuiem. Oribasius etiam Coll. med. lib. V. cap. XXV. describit fluxionibus ventris & stomachi, internisque ulcerationibus, quoniam vehementer adstringit.

Signino] Plin. lib. XXIII. cap. I. de vini generibus: *Aluo citæ Signinum* ma-

maxime conducere indubitatum est. Strabo manifestius lib. v: *Signia ferax vini alvum optime sistentis, quod Signinum appellant*. Quo nomine apud Plinium lib. xiv. cap. vi. *austeritate nimia continendæ utile alvo inter medicamina numeratur*. Hinc Martialis lib. xiii. Epigr. cxvi.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem.

Album indicat Galenus hoc vinum de Comp. med. per gen. lib. iv. cap. i. Surrentinoque præfert Cæl. Aurelianus Chron. lib. iv. cap. iii.

Hoc etiam] f. Ad hoc etiam utique proderit &c. ut Compos. ci. Ad quod etiam, &c.

Per clysterem] id est, instrumentum. Ita Comp. cc. Celsus quoque lib. vii. cap. xxvii. Quiricus de Augustis pariter, non temnendus Pharmaciæ scriptor, etsi parum cultus, ait clystere instrumentum, quo enema siue decoctio inicitur.

Immittitur, statim] immititur. Statim f. c. q.

Desurrexerint] *Desurgere*, exonerandæ aluo secedere. Horat. Serm. ii. Sat. ii. *Vides ut pallidus omnis Cœna desurgat dubia*. Consule Adr. Turneb. Aduers. lib. xvii. cap. xvii. & Salmasium in Solini cap. xxxv.

CXIII.

Ad torminosos] scilicet, cum aluo citata, ut Comp. cxi.

Hypocystidis] Omnes. Recte H. Steph. hypocistidis.

Coqui] Coci.

Nardi spicæ Syriacæ] Marcel. *Sp. n. Syr.*

Piperis nigri] Quod candido gratius monet Dioscor. lib. ii. cap. clxxxix.

Cribrantur ex succo cauliculorum tubi,] L. cribrantur: ex succo c. r. v. e. v. S. collyrii tritura cum f. h. leuia, ut u. n. p. a. f. pastilli &c. nisi pro *tritura* malis, *figura*, id est specie, vel ritu. Quod magis videtur accedere autoris menti quam confirmat Marcellus cap. xxvii. hisce verbis: *collyria formantur ritu eorum, qui ad oculos fiunt*. Similiter Dioscorides lib. v. cap. cxv. ἐν κολλυρίῳ σχήματι, *Collyrii modo*: diuersa tamen sententia. Huiusmodi cauliculos porro dysentericis prodesse autor est Plinius lib. xxiv. cap. xiii. contusisque caulibus ac foliis expressum in sole cogi succum docet Dioscorides lib. iv. cap. xxxvii.

Afpritudo] Cels. lib. vi. cap. vi. *aspretudo*. Scribonio fauet Glossarium vetus MS. bibliothecæ Vaticanæ.

Aliis] Scriptoribus.

Sentiente eius valetudine,] Marcellus omisit. Legi fortassis poterit; consentiente eius valetudine; sicut Comp. civ. consentiente capite. Vox autem composita olim syllabæ compendio exarata, nempe, ɔsentiente, facile potuit in simplicem degenerare: quia c inuersum non duntaxat signum Prænominis Caiam notat, sed etiam *con* syllabam refert. Sed nec displicebit nora lectio, si *sentire* idem valebit quod *significare, seu melius habere post medicamentum*, veluti apud Celsum lib. iii. cap. xxi. *sentire medicinam*; itemque apud Plin. Valer. lib. i. cap. x. xiix. xx. lv. & P. Veget. mulomed. lib. i. cap. lxiv. *sentire curam*.

C X I V.

Eliciunt,] Marcell. *deiiciunt*. Significanter. Quo verbo autor aliquoties usus.

Cancer] id est, gangræna, seu sphacelus exedens: item ulcus callosum. Quod nisi primo tempore detergeatur, intestino demum perforato ad extrema ventum est. Cancrosum etiam deploratum censetur.

Quasi cauterio] Zacutus Lusitanus Prax. admir. lib. II. cap. XIIX. desperatam dysenteriam causticis superauit.

Chartæ combustæ] Sunt qui chartam à Syriæ oppido eiusdem nominis denominatam putant. Quicquid sit, charta, quæ Plinio lib. XIII. cap. XI. & XII. ex papyro fit Ægyptia, cremata inter caustica est eidem lib. XXIV. cap. XI. Papyri tamen cinerem, quam chartæ debiliorem tradit post Galenum lib. IIX. de simpl. fac. Ægineta lib. VII. cap. III. & Oribasius Coll. med. lib. XV. cap. I. Chartæ vero combustæ cinis depascentia ulcera cohibet Dioscoride autore lib. I. cap. CXV, ad nomas etiam laudatus Oribasio de loc. aff. lib. IV. cap. CXXIX, & Actuario Meth. med. lib. VI. cap. IIX. Quem Alpinus quoque de Plant. Ægypt. cap. XXXVI. ex papyro in recentibus ulceribus affirmat utilem, nec sine causa. Nam Galeno teste siccat. In quam rem plura Victor Trincauellius de cur. aff. partic. lib. I. cap. VII. & de Compos. med. lib. III. cap. XI. lib. IV. cap. III.

Calcis viuæ] Vide Dioscor. lib. V. cap. CXXXIII, & Saracenum in hunc locum.

ἀρσενικῶ] Marcell. *arsenici*. Ἀρσενικὸν recentioribus, quod veteribus ἀῤῥενικὸν, testis est Galenus de Comp. med. sec. loca lib. IV. cap. IV. & lib. V. cap. XI: *Arsenicum, quod Auripigmentum vocant.* Dioscorides tamen Galeno prior Ἀρσενικὸν appellat lib. V. cap. CXXI. quod interpretes *Auripigmentum* dixere, sequuti Plinium lib. XXXIII. cap. IV. qui & *Arsenicum* habet lib. XXXIV. cap. XIIX. quod Indicis autori est *Arrenicum*; verius ad Galeni mentem, quam ex Iacobi Cuiacii summi viri coniectatione *Arrenicum*. Auripigmentum vero, quod Arsenicum citrinum siue luteum priscis, crustas inducit. Nam & combustum esse causticum notat Galenus de simpl. med. fac. lib. IX.

Sandaracæ] Vid. Comp. LXI.

Aquam decoctam, rosam & lentem habentem,] Ea siccat quidem aluumque sistit; maiori tamen prudentia Zacutus Lusitanus pertinacem admodum dysenteriam clystere ex lacte chalybeato cum arsenici granis quatuor, aluminisque granis tribus amouit.

Ex vino] Caue nimis generosum: ex quo etiam hac ratione Patauii ebrietatem nouimus excitatam. Benedictus Fauentinus tamen vir magni usus Empir. cap. XXVII. non modo vinum album potens, verum & aquam ardentem indit clysteri, quo se coli dolorem sæpius deiicisse adfirmat.

Vtrorumque] *utroque*. Marcell. Quod probo.

Modo prout] modo, prout r. e. i.

C X V.

Potio autem, id est pastillus] Glossema quidem censeri poterit parum periti omnino reiiciendum; ceteraq; Marcello præuio sic restituenda. Potio autem, cum immissum fuerit medicamentum, sic conuenit. In noctem in aqua catapotia dantur, quæ fiunt sic: Myrrhæ &c

Muti, baccarum n.] Ita omnes. Incisum expungatur, veluti Compos. CIX. Marcellus *myrti*. Quo etiam pacto Scribonius Comp. CXCIII. Credo tamen vulgatem sic posse tolli errorem. Pastillus autem cum immissus fuerit, medicamentum id est potio sic conuenit in noctem: Myrrhæ &c. Viden', ut hęc nihil obscuriora Marcelli verbis, quibus initio aquæ usus patum apte insinuatur, cuius expressa est sub finem mensura. Vbi ex eodem addendum, sine febre, setuatis reliquis Scribonii verbis, quicquid alter de musto Surrentino, quod nescio quam torminosis profuerit: ut sileam Plinii monitu lib. XXIII. cap. I. *Mustum omne stomacho inutile*. Diuinationi porro meæ prælucet Index Scribonii olim vulgatus. Nec ea displicuit summi ingenii viro Ioanni Dominico Salæ; quem magno Gymnasii urbisque dispendio mortalibus ereptum dolemus.

Ouorum ex aceto coctorum] Sic Galenus etiam de Simplic. fac. lib. XI.

Vitelli] Glossa vetus: *Vitellum*, λίκιθ☉ ᾠῶ. L. *Vitellus*. Ætio Tetr. I. Serm. II. cap. CXXXIV. ad ulcera laudatur. Nam siccat modice Oribasii sententia Synops. lib. V. cap. XII.

Vino Surrentino] à Surrento Campanię oppido. De quo Strabo lib. V: *Vinum Surrentinum ætatem ferre nuper est exploratum*. Columella etiam lib. III. cap. II. austerius, & æque perenne obseruat. Sed & Dioscorides lib. V. cap. X. ait valde austerum, ideoque intestinorum & stomachi fluxiones cohibere: quanquam simul dulce opinetur Æt. Tetr. I. Serm. I. Veteres maxime probauere, ut autor Plin. lib. XXXIII. cap. I. Nec immerito. Caput enim nullo modo tentare scribit, additque lib. XIV. cap. VI. conualescentibus maxime probatum, propter tenuitatem salubritatemque. Nostra insuper ætas aquæ tolerantissimum deprehendit. Maturum quippe innuit Statius lib. III. Silu.

—— cum molli iuga Surrentina Lyæo.

Inde Columella lib. III. cap. IIX. verissime affirmat *Surrentini agri vites omnium quas terra sustinet in nobilitate vini principes esse*.

Surrentini vini] quod utique musto præstat.

C X V I.

Ad εἰλεὸν,] L. ἰλεὸν. Suidas in voce Τίτανος. ἰλεώδης νόσ☉, κοιλιακή τις διάθεσις. *Ileodes morbus, ventris quædam affectio*. *Hesychius*: Εἰλεὸς, ἡ τ῀ ϑηρίων κατάδυσις: καὶ στρόφ☉. Ita Suidas: Ἰλεὸς ἡ κατάδυσις ὄφεως. σημαίνει δὲ καὶ ὄνομα νόσου περὶ τοὺς ἵππους γινόμενον. *Serpentis latibulum. Significat autem & nomen morbi, quo equi laborant*. Addit interpres Portus: *Est autem gracilioris intestini morbus, qui ab ἰλεῖν dictus, id est à vertendo*. Rectius quam Vegetius Artis Veterinariæ lib. I. cap. XLII: *Ileo vocatur ex eo, quod intestina locis suis exclusa*

animal

animal quasi elices facere faciunt. Lege, *Ileos*. Vero similius etiam, quod à Ioanne Sambuco ad oram notatum, *quasi obices faciunt*. Nam Galeno autore de loc. aff. lib. VI. cap. II. tumor aliquis eminet in tenuium intestinorum parte. Hoc enim vitio frigidus flatus per anfractus intestinorum superiorum angustos ἰλλέονται, id est reuoluitur, inquit Aretæus de caus. & sign. acut. morb. lib. II. cap. VI. Actuario etiam Meth. med. lib. I. cap. XXI. Morbus εἰλεὸς nuncupatur, quod intestinorum anfractus ἰλλοῦνται.

Inflatio tenuium intestinorum] Verius, *inflammatio*. Quod Galenus etiam in lib. Epidem. III. Comm. II. Sect. affirmat: itemque veterum autoritate de locis affect. lib. VI. cap. II. Cui autor Definitionum medicarum subscribit. Hæc enim princeps mali causa, cui flatus accedere non inficior. Adde, *perniciosa*, ex Indice. Quod Comp. CXIIX. confirmatur.

Victoriati, deuoratur] Victoriati. Deuoratur i. p. d.

CXVII.

Facit autem] f. Facit etiam.

Corporis, dauci seminis,] corporis. Dauci seminis, &c. Daucus enim vi excalfaciendi torminibus liberat Dioscoride autore lib. III. cap. LXXXIII.

Rutæ siluaticæ] Hæc inflationes discutit indicio Plinii lib. XX. cap. XIII. cui præit Dioscorides lib. III. cap. LIII. Sed Præfatione lib. VI. eam venenis accenset. Quod Plinius de ipsius succo largius dato interpretatur. Est enim quarti ordinis inter calefacientia & siccantia, ex Ægineta lib. VII. cap. IIX. & Oribasio lib. II. cap. XVII. partiumque tenuium Coll. med. lib. XV. cap. I. At Galenus tertio ponit, de Simpl. med. fac. lib. VII. itemque de Comp. med. sec. loca lib. X. cap. II. & vehementissimum calidissimumque medicamentum monet, quod valide incidat, Meth. med. lib. XIV. cap. XV. Sed tertiam is mansionem forsan intellexit, quæ à prima quarti gradus parum discrepat.

CXIIX.

Fœnum Græcum: id] fœnum Græcum. Id a. b. c. Hoc enim emollit & discutit apud Dioscor. lib. II. cap. CXXIV.

Heminam. Item i. o. d. i. r.] heminam: item i. o. d. i. r. &c.

Rutam] Nam calefacit ac urit, ex Diosc. lib. III. cap. LII. Domitio Calderino tamen æquo longius petita nominis ratio, quando ad Martial. lib. X. Epigr. XLIIX. notat ab urendo appellatam. Non minoris efficaciæ in officinis hodie oleum rutaceum in promptu est.

Deiicienrem] L. reiicientem. Autori enim *Reiicere* est vomere Comp. CIIX. CXXXIV. & alibi. Cato nihilominus cap. CLVI. de Brassica dixit, *Aluum superiorem deiicere*. Marcellus item de Cunila cap. XXX. *detrahit aquatiora per vomitum*.

Quod si non mortiferum] quod signum m. e. Malum enim istoc est periculi plenum, quemadmodum Galenus III. Prorrhet. LXVI. aduertit. Sic Hippocrates III. Epidem. Com. II. Ægroto IX. *Non erat remedio locus*. Vbi Gale-

nus: *Sifiercus vomant, clarissimum est signum subtilia intestina affici.* Est autem acutissimum hoc malum. Violentæ intestinorum adstrictioni adscribit ipsum de sympt. caus. lib. III. cap. II. quando transitus omnino præclusus, obseruatione eiusdem lib. VI. de loc. aff. cap. II. Nec tamen id plane desperatum ostendit Scribonius. De hoc Georgius Cedrenus in vita Constantini Copronymi: *Anno duodecimo impius & profanus ille pontifex Anastasius anima cum corpore pereunte mortuus est ex miserrimo morbo, qui chordapsus dicitur, stercus per os egerens, dignasque dedit pœnas suarum in Deum & præceptorem iniuriarum.* Vnde Galenus prudenter: *vix unquam aliquis potuit sanus euadere.* Trincauell. de cur. part. lib. VII. cap. II. unum quidem virum binasque mulieres ex hoc dolore memorat euasisse.

Vnguentarii] Palladius lib. IV. Tit. IX. etiam olea sub unguenti nomine comprehendit.

ἔλεοι] Ita Plinius Valerianus lib. II. cap. XXXIII. εἰλεὸς Aldus perperam, Henr. Stephanus εἰλεόν.

Quamobrem] Monitum prudentiæ plenum ad Medici æstimationem.

CXIX.

Ad Coli dolorem] Index: Ad Coli inflationem, & dolorem vetustum.

Ad coli inflationem] Malum hoc Scribonii ætate non usque fuit cognitum, quia Tiberii Cæsaris principatu irrepsisse memorat Plinius lib XXVI. cap. I.

Cumini silvatici] Dioscor. lib. III. cap. LXIX. Sativum etiam prodest cap. LXIIX.

Per se, ut est datum,] per se, ut est, datum.

CXX.

Nam] De hac voce videantur, quæ ad Comp. IX. tradidi. Nec ea redundat. Marcellus cap. XXIX. Integram Compositionem à suo seculo alienam prudenter exclusit.

Cassii] Celsus præfatione operis sui: *Cassius ingeniosissimus seculi nostri medicus, quem nuper vidimus.* Cuius etiam meminit lib. IV. cap. XIV. & lib. V. cap. XXV. ubi Colice modo nihil diuerso proponitur. Galeno tamen de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. IV. pondere discrepat. De qua erudite G. Hofman. Var. lect. lib. VI. cap. III.

Colice] Colicon Celso.

Bona multis nota] bona, multis nota p. e.

Atimeto] Atimeti Lysiponion, hoc est, soluens dolorem nominat Galen. de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. VII. Quis ille, incertum. In veteri tamen monumento fuit:

P. AT-

P. ATTIVS. ATIMETVS
AVG. MEDICVS. AB. OCVL.
H. S. E.

Quid autem vetat Cassii seruum factum repente ocularium? Atimetum quendam Domitiæ Neronis amitæ libertum supplicio affectum narrat Cornel. Tacitus Annal. lib. XIII. Nec desunt, qui Homonœæ matronæ pudicissimæ maritum fuisse putent ex elegantissimo in ædibus Farnesianis epitaphio Romæ:

MORTE EST MIHI TRISTIOR IPSA
MOEROR ATIMETI CONIVGIS ILLE MEI.

Lucernam quoque veterem figlini operis Patauii licuit videre apud Ludouicum Puchium Ripa-Cimbrum amicum meum politioris ingenii iuuenem, nunc in patria Poliatrum, ATIMETI nomine in fundo insignitam. Firmo id seruilis conditionis documento factum putant nonnulli; quod forsan artifices ii non minus laborarent vili opere, quam alii argento, aut sculptores statuis innotescere. Nam & pluribus Atimeti nomen impressum passim occurrit, quod artificis industriam commendet. Quibusdam præterea lucernarum titulis in museo Clariss. Ioannis Smith additum FE. hoc est, Fecit.

Legato] Locus hic non paucis fuit suspectus. Melius itaque Pignotii sententia forsan *liberto.* Nam Cassii seruus erat. Quo argumento Iustus Lipsius Comment. lib. XII. Annal. Taciti hunc locum rescripsit: *legato Tiberio Cæsari:* ac si Tiberio Atimetus à Cassio moriente relictus fuisset testamento. Argute! Celsus enim in L. *Si chorus* LXXIX. §. ult. D. de leg. 3. *Seruus quoq; legatus, si interim manumittatur, & postea seruus factus sit, peti potest.* Verum & consuetę lectioni nequicquam repugnat Atimeti conditio: ut legato nempe ac testatoris voluntate libertus esset Tiberii Cæsaris. Seruos autem medicinam fecisse notum est: quamuis Atimetum medicamenta solum miscuisse credam; quod seruorum fuisse innuit Compositio CLII. Zopyrus tamen Medicus Gordiensis Compos. CLXXII. legatus memoratur: quem initio seruum fuisse firmat suo loco vetus inscriptio. Quid autem refert, si Atimetus liberalis ingenii quondam seruus libertati post assertus legati munus obiret? Claudius Cæsar profecto libertos præcipue suspexit Possidem, Harpocram, Polybium, sed ante omnes Narcissum, & Palantem, ut prodit in eius vita Suetonius cap. XXIIX. è quibus Dio in vita Claudii Narcissum rebus grauissimis adhibitum testatur. Nec quisquam paulo humanior ignorat, quanti apud Imperatores fuerint medici. Anthero sane Tiberii libertus Comp. CLXII. celebratur. Scribonius etiam Claudio interioris forsan admissionis medicus erat, quum in Britanniam sequeretur; velut Comp. CLXIII. monui.

1 Piperis nigri] Galenus album habet.

Sextantem femunciam] Deme posteriorem vocem, ut idem sit utriusque pondus, veluti apud Celsum lib. IV, cap. IV. lib. V. cap. XXIV. & Galenum lib. IX. cap. IV. de Comp. med. sec. loca in Prima Casii Colica.

Contusa cribrata] Inciso distingue; quoniam συνθετον est; vel scribe, contusa & cribrata, quemadmodum Compos. LXI.

Melle Attico] *Id si non habueris, quam optimum eligito*. Columella lib. XII. cap. XXXIX.

Abellana] *Auellana*. Marcellus cap. XXIX. Item Celsus lib. III. cap. XXVII. & Plin. lib. XXIII. cap. IIX. utrumque bene. Quoniam auellanas antea abellinas patrio nomine vocatas prodit lib. XV. cap. XXII. Abellinum enim & Auellinum Campaniæ oppidum. Prænestina ex arbore, quæ corylus, Macrobii sententia Saturnalium lib. II. cap. XIV. Heracleotica Iuuenali. Κάρυον ἡρακλεωτικόν Theophrasto de Caus. plantar. lib. IV. cap. II. Theodoro Gazæ interpreti *Nux auellana*, quemadmodum & Columellæ de Arbor. cap. XXII. & Pontica nux Plinio, quia in Asiam Græciamque è Ponto venit. Vnde Glossa vetus: *Nux auellana*, ποντικόν. Supple κάρυον ex Dioscoride lib. I. cap. CLXXIX. Gaspar Hofmannus Germanorum medicorum hodie princeps Var. lect. lib. III. cap. XVI Latam Hippocratis nucem credit.

Ex aquæ cyathis tribus calidæ.] L. ex aqua calidæ c. t. Sic etiam Galen. de Comp. med. sec. loc. lib. IX. cap. IV. & autor ipse non uno in loco: vel scribendum, *calide*. Aquam vero calidam propinasse veteres, ex antiquis medicis monstrat Iul. Pollux Onom. lib. IX. cap. VI. Sed conditam præterea in deliciis fuisse constat ex Dione, qui lib. LIX. refert, quendam ob venditam aquam calidam impietatis reum à Caio Caligula trucidatum, & lib. LX. Claudium edixisse, ne quis aquam calidam venderet. Eam sine dubio indicauit Stoæ Romanæ Princeps Annæus Ep. LXXIIX. aquam calidam inter ea recensens, quæ intolerabilia delicatis & luxu fluentibus. Ad valetudinem tamen potius, quam ad voluptatem priscis inuentam, non abre contendit eruditissimus Mercurialis Var. lect. lib. I. cap. IIX.

Iocinoris] Omnes. H. St. iocineris.

CXXI.

Colice m. I. B.] Colice m. I. Basi cito leuat, deinde t. i. coli, & omnis partis corporis. Iulius Bassus Romane scripsit. De quo forsan Plinius lib. VII. cap. LIII. Iulii etiam Basi cuiusdam Plin. Iunior lib. IV. Epist. IX. causam agit; Seneca Rhetor quoque meminit Controu. II. lib. IX. Basi vero cognomen gentis Graniæ aduertit Ludouicus Carrio I. Emendat. cap. IV. Est & in veteri monumento:

BASSVS. NERONIS. CÆSARIS. CORPORE.
CVSTOS. NATIONE. FRISIVS

Eam consuetudinē non obscure indicat Pollio in Claudio Cæsare: *Nec ulla fuit regio, quæ Gothum seruum triumphalem quodam seruitio non haberet*. Arthriticū

Asclepiadæ pharmacum Basso inscriptum, post Galenum de Comp. med. sec. gen. lib. VII. cap. XI. memorat Æt. Tetr. III. Serm. IV. cap. XLIV. quod eo à paralysi diuturna fuerit liberatus. Galenus etiam cap. XIII. Bassi Stoici acopum tradit. Cælio Aureliano est Tullius Bassus, Epiphanio Constantiensi episcopo pariter lib. I. contra Hæreses Βάσσος Τύλλιος. At lapsu facili, quod & Ioan. Anton. Saracenus animaduertit in Præfat. lib. I. Dioscoridis, ubi Βάσσος Ἰυλαῖος recentioribus botanicis adnumeratur in versione Saraceni, autoritate Plinii in Lemmatibus lib. XX. ad lib. XXIX, qui ait Græce scripsisse: licet in meo MS. legatur Βάσιος ὁ Τυλαῖος. Quod Hieronymus Bagolinus Veronensis Medicus optime reddidit Bassus Tilæus in Latina interpretatione Dioscoridis apud me inedita, simulque Ruellius. Tullii sane Colicam laudat suo experimento Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. IX. cap. IV. Parum vero interest, cognomen præmittatur, aut postponatur. Sic enim Seneca Epist. XXIX. Iulius Græcinus, & lib. II. de Benef. cap. XXI. Græcinus Iulius. Nec Velleio Paterculo quicquam familiarius, quam cognomen gentilitio nomini præponere. Scribonius etiam Comp. CX. Musam Antonium dixit. Nomina enim & cognomina sedem inter se mutant, in narrationibus, ut notat Iul. Scaliger de caus. ling. Lat. lib. IV. cap. XCII. Cognomina etiam nominibus gentis interdum præmitti ostendit Paulus Manutius ad Cicer. lib. II. Ep. IIX. & lib. VI. Ep. IIX. ad Famil. Prænomina enim nomina sæpe facta obseruat Franciscus Robortellus Annot. cap. XXIV. & XXXI. Iosephus Scaliger tamen lib. IV. Epist. CCCV. ex veteri loquendi consuetudine mavult Sulpitius Seuerus, quam Seuerus Sulpitius.

σροφον] Scribe σρόφον. Phauorinus: Στρόφος, νόσημα ζωικόν. Festus: *Vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu, quasi à vermibus scindatur. hic dolor Græce στρόφος dicitur*. Quod Ioseph. Scaliger in Notis probat. Hadrianus Iunius etiam verminationem alui tormina exponit. Ita P. Vegetius Art. Veterin. lib. I. cap. XLIII: *Ventris dolor, qui Strophus appellatur*. Melius quam *Strophulus*, ut Ioannes Sambucus ad marginem. De quo affectu idem lib. III. cap. LVII.

Et ex interiore parte] id est, etiam ex interiore parte.

Intus] id est, intro. Vide Lexicon.

πολιον] πόλιον: Phauorinus: πόλιον εἶδος βοτάνης.

Centunculum] Vocem hanc spuriis adnumerat Dodonæus Histor. Stirp. Pempt. I. lib. III. cap. XII. Quam Italis familiarem indicat Plinius lib. XXIV. cap. XV. Dioscoridi Γναφάλιον lib. III. cap. CXXXII. quem Plin. lib. XXVII. cap. X. expressit. Est vero Tomentum Græcis γνάφαλον, κνέφαλον, & κναφάλλον in Glossario veteri: cui & γναφάλιον στοιβὴ, quod eius folia tomentis inseruirent. Hesychio, Γναφάλιον, γναφάλλιον, βοτάνη. Salmasio etiam in Solinum Γναφάλλιον placet. Ἀναφαλὶς Dodonæo inter nothas appellationes habetur. Quæ forsitan Γναφαλὶς initio nominata, modo vera Scribonii obseruatio.

Siliquam Syriacam.] Salmasius in Solinum hanc loco tantum à Græca diuersam putat, eiusdemq; arboris fructum; quem nonnulli κεράτιον vocant, ut autor Columella lib. V. cap. X. De ea Pr. Alpinus de Plant. Ægypt. cap. III. In agro etiam Neapolitano mihi fruticē inspicere cōtigit. Glossa vetus notat Κεράτιον

τιον omnium fructuum vilissimum. Quo nomine usurpatū D. Lucę cap. xv. vers. xvi. Recentioribus Græcis appellatur *χαρῦβα*, ab antiquo *κυράϐιον*, quod folliculum denotat. Vnde Italis *Caroba*, quæ plebi Venetæ pro bellariis est. Siccam intellige. Nam recens ventrem soluit, siccata sistit, ut autor Diosc. lib. i. cap. clix. Quod nec Plinius omisit lib. xxiii. cap. iix. Ex quo sibi lucem fenerabit Ægin. lib. i. cap. lxxxii. & lib. vii. cap. iii. itemque Oribas. lib. ii. cap. lx. qui addit coctionis esse difficilis. Tussi utilem didici à peritissimo Sanctorio de Sanctoriis succum, quem sudat per saccos, quibus ingenti copia Venetias ex Oriente asportatur: siq; aridior ea fuerit, ipsum ex aqua nymphęæ siue tussilaginis coctione prolicio. In Palæstina vero, ubi copiosissime prouenit, expressus ille ad mellis crassitudinem sole spissatur. Vnde vulgo *Nabel el carnob*, id est, *mel ex Carob*, appellatur. Pectori præcipue illius gentis experimento amicus, & molliendo ventri. Et sane Ducis Vinariensis nomine laudatum de Siliquis Syrupum in Theophili Kentmanni Schedis Ioannis Vittichii experimento ad suspirium efficacem hunc deprehendi. Papaueris albi capita xv, glycyrrhizæ, siliquarum sine nucleis, singularum unciæ ii. Coquantur in aqua fontana, ut est artis. Colaturæ addantur sacchari candi, penidii, conseruæ rosaceæ, singulorum unciæ sex. Arabes insuper sacchari loco fructibus condiendis adhibere, clysteribusque indere, scribit Alpinus de Plant. Ægypt. cap. iii. Siliquarum itaque recrementa seu folliculi domesticis animalibus pascendis reseruantur. De quibus ad eius regionis indolem in parabola filii prodigi Christus Dominus apud Lucam: *ἐπεθύμει γεμίσαι τὴν κοιλίαν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν κερατίων, ὧν ἤσθιον οἱ χοῖροι.* *De Siliquis* Arias Montanus, & vulgata versio. Proinde interpres Italus optime retinuit *Silique*, utcumque ad oram contextus moneat aliis placere *Gusci*. Quo fere modo qui Anno mdxxxvi Venetiis à Zacharia Florentino Dominici ordinis viro vulgatus habet *Schorze*. Anglus etiam *Huskes*, melius quā Germanus *Traber*; cui si vocis potestas maiori fuisset curæ, *Hulschen* dixisset. At in autographo est *κεράτιον*, à quo aliquantulum differt *περικάρπιον* seu folliculus & seminis inuolucrum, quod Virgilio Georg. i. *Siliqua*: quam Poetæ autoritatem Germanus forsan probauit, nisi, quod vix crediderim, *κυρήβια*, id est aceta, quam *κεράτια* maluit.

Ex mulso] Mulsum *οἰνόμελι* Dioscoridi lib. v. cap. xvi. unde pleraq; Plin. lib. xxii. cap. xxiv. Romanis olim in deliciis. Quod Constantinus Cæsar, verius forte Dionysius Vticensis, de Agricultura lib. iix. cap. xxiv. descripsit. De Mulso veterum non pauca Petrus Crinitus de hon. Disc. lib. iv. cap. iix. Adrian. Turnebus Adu. lib. xiv. cap. xi. & Gasp. Barthius Aduers. lib. xvii. cap. i.

Aquæ mixtis.] Recogita quæ ad Comp. cv. dixi.

ῥοῦν ἐρυθρὸν] Dioscoridi lib. v. cap. xciii. est *ῥοῦς γυναικεῖος*. Qui à Ioanne Antonio Saraceno significanter *Rubens fluor muliebris* exponitur.

Costi,] Costus enim succurrit inflationibus autore Diosc. lib. i. cap. xv.

Acori,] Diosc. lib. i. cap. ii. *Ἄκορον*, recentiorum Galanga; Nostras, gladioli species.

Amii,] Vulgo m geminatur autoritate Dioscoridis, cui lib. iii. cap. lxx. est *Ἄμμι*. Vnde Plin. lib. xx. cap. xv: *Græci vocant Ammi*. Salmasius tamen contrarium

trarium ostendit eruditissimis ad Solinum Notis, ubi ex antiquissimo Dioscoridis codice legit Ἄμι, atque ex Plinio MS. *Ami*. Plinio sane conformis est codex Venetus Diui Antonii. Meus etiam Dioscorides MS. habet: ῥωμαῖοις ἄμινευμ ἀλεξανδρῖνευμ. Scribendum haut dubie Ἄμιευμ. In Vaticano tamen legitur: Ἄμμι, ῥωμαῖοι, Ἄμμινυν Ἀλεξάνδρινον. Amii vero Alexandrini Iacobus Theodorus Tabernæmontanus meminit. Alterutrum quisquis malit, autorem habet.

Seselis] *Silis*. Marcellus. Celsus etiam lib. v. cap. XXIII. inueterato librorum omnium errore. Sil enim ochræ species: cuius meminit capite sequenti. Lectio Scribonii probatior: quam sequuti apud Celsum R. Constantinus, & Balduinus Ronsseus. Seseli Creticum quibusdam Tordylium scribit Dioscorides lib. III. cap. LXIII; Meum foliis anethi G. Bauhinus Pinac. lib. IV. Sect. IV. ex mente Fuchsii. Radix abunde calefacit, magisque semen, Æginetæ sententia lib. VII. cap. III.

Miscetur, datur] miscetur. Datur n. p. q.

Pondus ex aquæ c. c.] Scribe: pondus, ex a. c. q.

CXXII.

Mirifice quæ s. p. s.] Distinctius: mirifice, quæ. Item: Hoc vero, q. d. s.

Remediat, ne cum u. r.] remediat: n. e. u. r.

Quamobrem si quando] Interpunge. Quamobrem, s. q. r.

Interdum & tertio] Marcellus cap. XXIX. planior est: qui videndus. Scribonio sua tamen constabit sententia, ubi scripseris: Interdum & tertio in dolore eodem genere p. d. Quod accidit post hanc &c. Scilicet primam potionem.

Si quando tamen] Marcellus: *Si quando tamen repetierit hoc malum, frigus ex multitudine cibi præcedit, grauitatemque quandam e.* &c. At Scribonii verba satis perspicua.

Priorem] Rectius omnino Marcellus: *torporem eius loci, id est coli*, &c.

Quasi] Ingeniosus quidam legendum putauit, quassi, ad exprimendam vitii grauitatem. Communis tamen lectio non minoris efficaciæ, Intelligant quasi, id est, pene cognoscant & sentiant. Ita Cato rei rust. cap. CLVII: *Auribus si parum audies, terito cum vino brassicam, succum exprimito, in aurem intro tepidum instillato, cito te intelliges plus audire.*

Caruerint.] Addi potest ex Marcello: *qui illa molestia liberantur.*

Mulierculæ] Hæc empirica. Quales antiquitus Cleopatra, Aspasia, Victoria, Elephantis, Artemisia, Circe. De quibus Martialis accipiendus lib. XI, Epigr. LXXII: *accedunt medici, medicæque recedunt*. Veronæ in fundamento Diuæ Liberæ vetus monumentum legitur:

C. CORNELIVS
MELIBOEVS. SIBI
ET. SENTIAE. ELIDI.
MEDICAI
CONTVBERNALI

Qua scriptionis forma Lucretio lib. III. *exordia rerum censentur aiterno percita motu*: qui etiam lib. II. dixit *vestis splendorem purpurai*: & paulo post *vitai lampada*: Plautus quoque Mil. Act. II. Sc. I. *magnai*, prisca consuetudine; quam Velius Longus de Orthographia indicauit, ac in Virgilio amantissimo vetustatis obseruauit Quintilian. Inst. or. lib. I. cap. VII. Nostræ magis accedit in Vrbinate tractu elegans monumentum.

DEIS. MANIB
IVLIAE. Q. L
SABINAE
MEDICAE
Q. IVLIVS. ATIMETVS
CONIVGI
BENE. MERENTI

Scriptum fortaßis erat ATIMETVS veluti Compos. cxx. Crebra enim huius mentio in vetustis inscriptionibus, Atimeii nulla, nec Atimii, quod viderim, præterquam una. Mendum ab æuo facile fuit.

Mors etiam saxis nominibusque venit.

Eas autem gynecæa curasse docet Pignorius de Seruis. Nec veretur Galenus de loc. aff. lib. VI. cap. V. ad earum experimenta prouocare. Cayri se quandam hystericarum medela celebrem nouisse narrat P. Alpin. de med. Ægypt. lib. IV. cap. V. Consultandi prudentia medendique arte Patauii rariori exemplo eminuit Adelmota Maltrauersa Bonitrauersi Maltrauersi Comitis Castrinoui filia, uxor Iacobini VI. Carrariensis, qui primus Papafauæ gentis adhuc Patauii nobilißimæ cognomen adsciuit. Atheniensium sane legibus olim constitutum accepimus, ingenuæ feminæ artem medicam discerent, postquam vetitum fuisset, ne quis seruus, neue qua femina eam disceret. Cuius decreti occasionem Samuel Petit erudito indicauit Commentario. Quid porro de his vere censendum Gabriel Naudæus polyhistor peculiari disquisitione se fusius declaraturum promiserat. Sed præmaturum viri optimi fatum spem nuper sustulit. Consulendus interim Andreas Tiraquellus de Nobilitate cap. XXXI. num. CCCXXI. Vero est similius obstetrices plerumque fuisse. Quod præeunte Vlpiano in L. I. §. *Medicorum* D. de extraord. cognit. monuit ex Aniano Alarici Gothorum Regis cancellario Iacobus Cuiacius ad Iul. Paul. lib. II. receptar. Sententiar. Tit. XXIV. §. pen. additque Obseruationum lib. XVII. cap. XXVII. medicos iis γυναικεῖα potißimum inscripsisse. Quapropter non male Accursius interpretatur *obstetrices, quæ procurant mulierem in partu, & medicinas dant.* Nā & ante ipsum Iul. Pollux lib. IV. cap. XXVI: Διδόασι φαρμάκια δὲ αἱ μαῖαι ταῖς δυστοκούσαις, ὁ Πλάτων λέγει. *Dant obstetrices pharmaca quædam his, quæ difficilem partum expertæ sunt, ut Plato inquit.* Huius autem in Theæteto verba sunt:

καὶ

Καὶ μὴν καὶ διδοῦσαί γε αἱ μαῖαι φαρμάκια, καὶ ἐπᾴδουσαι δύνανται ἐγείρειν τε τὰς ὠδῖνας καὶ μαλθακωτέρας ἂν βούλωνται ποιεῖν. Ioanne Serrana interprete: *Iam vero nonne & ipsæ obstetrices remediis datis & carminibus possunt partes exsuscitare, & faciliores, si velint, reddere?*

Ex Africa] Galenus de Comp. med. per gen. lib. IX. cap. IV. Paccium Antiochum eiusdem remedii autorem facit. Scribonius autem refert Africanam eo usam, quæ post Antiochum aliunde habere potuit. Cornu cerui ustum ad Colicam remedium ab Africana quadam empirica se magno pretio compatasse scribit Nicolaus Alexandrinus cap. DCCXLIIX.

Superuacuum est] Rationem habes Comp. CII.

Constat] Ianus Cornarius comment. Gal. de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. IV. compositionem hanc ut nimis prolixam vellicat. Cui iam satis responsum. Fateor equidem Galenum breuiorem. Sed neminem Plinio lib. XXIIX. cap. XIV. qui Dioscoridem lib. II. cap. XI. æmulatus.

Cerui cornua] Quæ in Diarrhœa & Iliaca etiam passione singularis efficaciæ deprehendit Antonius Guainerius de Fluxib. Tr. I. cap. IX.

Teneta] Hæc quippe succosiora.

Taleas] Marcellus: *tabulas, vel partes breues*. Nihil autem Scribonio mutandum, suo loco patebit. Dioscorides lib. I. cap. LXXXVII. eadem vi dixit *ὡς λεπτά*. Quod vulgaris interpres vertit *particulatim*; Ioannes Antonius Saracenus verius elegantiusque, *in tenues assulas*. Rem tamen autor clarius indicauit: Nam *Talea lignorum præsegmina* Nonio Marcello. Sic apud Catonem rei rust. cap. XLV. *talea oleaginea*. *Taleolæ* quoque nominantur Columellæ lib. XII. cap. XXXIII. & XLVI.

Breueis] Ruel. Crat: Ald: breues H. St.

Ex argilla] Proculdubio *& argilla*. Nam hæ particulæ à librariis non raro permutatæ.

Vruntur,] Philosophicam, ut dicunt, calcinationem vulgari ustioni præfero. Ista enim vires non usque minuit, superstite natiuo humore.

Ab omni re :] Marcellus, *cibo*. Scribonii vero dictionem probæ notæ Lexicon ostendit.

Cochlearia] Non medica, sed domestica. Postulat enim satis ampla.

Odorem præstate] Id quoque Galenus probat de Comp. med. sec. loca lib. IIX. cap. III. Sed veteres etiam unguentis adiicere consuerunt ad odoris gratiam *ἡδύσματα*. Cuiusmodi Hippocrates in medico probat. Quibus etiam simile quidpiam indicat Dioscorides lib. II. cap. XCI.

Diligenter,] Marcellus addit, *agitantur ac teruntur*. Sed autor satis perspicuus.

Cochlea vero Africana] *Cochlea vera Africana*. Marcellus cap. XIX. Qualiter idem cap. IIX. Quod magis placet. Neque enim ullus heic aduersatur locus; quæ librarii oscitantia irrepsit.

Id est, inde adlata,] Hæc mihi non parum suspecta de glossemate. In ijs nempe manifesta videntur superflua. H. Stephanus parenthesi circumscripsit.

Amplissima] Marcellus, *maculosissima*. Vulgatam lectionem confirmat Varro rei rust. lib. III. cap. XIV. de cochleis: *Sunt quædam ex Africa, quæ vocan-*

tur Solitanæ, ita ut in eas LXX quadrantes coniici possint. Hæ Plinio lib. xxx. cap. vi. laudatissimæ sunt. Africanæ Dioscoridi etiam lib. ii. cap. xi. optimæ. Huius generis meminit Plinius Valerianus lib. ii. cap. xv. & xl.

Testa] Vide Lexicon in Scribonium.

Testularum] Testæ contusæ tritæque fragmina diserte indicat. Dioscorides: *Tota cochlea cum testa sua trita, & cum vino ac myrrha exigua quantitate bibita, colicos dolores sanat.*

Vini Falerni] De quo Plinius lib. xxiii. cap. i.

Non saccari] id est, valentioris. Vinum quippe saccatum, quod aliis colatum Plinio lib. xix. cap. iv. saccis castratum, debilius est, ac dulce: *Saccitratum* Ioanni Baptistæ Codronchio de Annis climactericis Part. ii. cap. v. saccis lineis percolatum, ut franganrur ipsius vires, & à recrementis liberetur. Quod & Hippocrates, vel si cum Galeno malis Polybus, Lib. de Affectionibus monet; cui Iano Cornario interprete, editione Basiliensi Anni MDLIIX, quam Ioan. Culman Geppingensis emisit, *vinum excolatum tenuius fit, ac debilius*: licet in editione Lugdunensi anni MDLXIV eiusdem fit *vinum diffusum*: quod nonnullis est *transfusum*. Theophrasto de causis plantar. lib. vi. cap. ix. οἶνος σακκιζόμενος. Iulio Polluci lib. vi. cap. ii. οἶνος σακκίας, ὁ διυλισμένος, Rodolpho Gualthero *vinum percolatum*. Herodoto enim σακκεῖν est *saccare*, seu colare *sacco*, & σακκίζειν καὶ κατασακκίζειν, *sacco exprimere*. *Saccus* autem Dorice σάκκος; quod Attici uno κ scribunt Phrynicho teste. Glossa vetus Latinogræcus: *Sacco*, ὑλίζω; & ὑλιστὴρ *Saccus vinarius*, in Lexico Græcolatino veteri *Saccus*, quemadmodum & σάκκος Iulio Polluci lib. vii. cap. xxxiii. Gualthero interpreti lib. x. cap. xx. *Colum*. Hinc Martialis lib. xii. Epigr. lxi:

Turbida solicito transmittere Cæcuba sacco;

Quod rectius de vinario accipiendum censeo, quam de niuario cum Domitio in hunc locum. Propterea lib. ii. Epigr. xl. *Cæcuba siccentur*, prisci libri autoritate *saccentur* optime restituit Adrianus Turnebus Aduers. lib. xvii. cap. xiix. & lib. xxiii. cap. xxv. Veteres enim vinum sacco eliquabant, ait idem Adu. lib. xiii. cap. xiv. De quo Columella lib. ix. cap. xv: *Saccus, quo vinum liquatur, tenui vimine rarius contextus, inuersæ metæ similis.* Inde lucem accipit Maro Georgic. ii:

—— tu spisso vimine qualos
Colaque prælorum fumosis deripe tectis.

Saccos etiam vinarios nominat Plin. lib. xxiv. cap. i. qui lib. xxiii. cap. i. eiusmodi vini rationem innuit: *sacco viribus fractis meminerimus succum esse, qui feruendo vires è musto sibi fecerit*: Lautioribus hodie in Italia, maximeque Principibus purpuratis, concinnatur. Est & apud Theophrastum libri nominati cap. xxiv. διηθικὸς οἶνος, id est, *percolatum vinum*. Onomastico enim Græcolatino ἠθεῖν, & διηθεῖν *colare*, Glossario veteri Latinogræco, itemq; Lexico Græcolatino veteri *Saccare*, *Percolare*. Vbi Theodori Gazæ versionem recte emendauit Mercurialis Var. lect. lib. ii. cap. xvii. & Tom. iv. Consil. ix. Ecquid enim, conniuente celeberrimo Eresii reformatore Daniele Heinsio Atticæ Romanæque elegantiæ condo, *vinum morale*? Hoc ipsum ante quoque à me obseruatum, quam in Mercurialem incidissem, eo mihi gratius est, quod

quod clarissimum Thomam Reinesium idem notasse videam Var. lect. lib. III. cap. VI. cuius eruditissimum commentarium, dum hæc luci parantur, è Germania misit studiosissimus mei Petrus Scauenius ciuis meus, vir ad iuuandas literas natus. Galenus præterea de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. IV. meminit facci, per quem colatur medicamentum. Qualiter & Plinius lib. XX. cap. XIX. in Diacodio capita papaueris saccata intellexit. Hoc modo Lucretius lib. IV. venuste urinam dixit *humorem saccatum corporis*. Sanguinis quippe serum est liquatū in vesicam. Cuius exemplo Q. Sereno de Prurig. restituitur *Saccatus*.

Amplitudines,] Marcellus graphice *asperitudines*, vel *aspritudines*, ut MS Vossii.

Calice nouo,] *in calicem nouum*. Marc. planius. Hoc autem poculo veteres priuatim calidam potionem sumsisse, liquet ex Varrone de lingua Lat. lib. IV. cuius verba: *Calix, quod calidum eo bibebant*.

Cum autem calore] L. Cum autem calore temperata est potio, datur abducenda. Statim dolorem leuat, Marcellus cap. XXIX. *dabitur epotanda*. Paulus Leopardus Emendat. lib. XIX. cap. IIX. legendum putat, obducenda. *Obducere* enim idem quod *haurire* apud Senecam Troade Act. V. *Obduxit flatim, sæuusque totum sanguinem tumulus bibit*. Ciceroni pariter *Ebibere* Tusèul. Qu. lib. I: *venenum ut sitiens obduxisset, reliquum è poculo eiecit*. Quo modo omnes libri veteres, eosque sequutus Petrus Victorius: quamquam nonnulli ex editis *obbibisset*; non renuente Aldo Manutio Pauli filio. Plauto similiter Amphitr. Act. I. Sc. I: *hirneam, ut matre fuerat natum, vini eduxi meri*. Quidni & *Abducere*, quod videtur significantius, ut *Perducere* Comp. CXXXV. Optime tamen Horatius Carmin. lib. III. Od. III:

—— *ducere nectaris succos*.

Et Iuuenalis Sat. VI. vers. CCCCXXV.

—— *Sextarius alter*
Ducitur.

Itemque Q. Serenus de Artic. morb.

Conueniet rubiæ quoque ducere potum.

Hoc facere oportebit] Lege sine omni interpunctione; Hoc f. o. p. i. biduum capientem c. i. prandio aut a. t. exiguum,

Crudus] Vide Lexicon.

Post ea in consuetudine victus] Marcellus: *Postea in consuetudinem v. f. q. c. i. remittatur*. Vtrumque bene.

Indifferenter] Marcell. *intemperanter*. Sed nulla heic opus immutatione, quoniam idem utrobique intelligitur.

Viuere:] Primo intuitu ex affinitate B. & V. suspicabar legendum, bibere. Quam postea coniecturam Marcellus confirmabat, dum legit *vinum bibere*. Autor longe rectius. Neque enim victus in solo potu est; sed in rebus, quas Medicorum scholæ non naturales vocant. Hinc Vlpianus in L. Verbo XLIII. D. de verb. sign. *Verbo victus continentur, quæ esui potuique, cultuiq; corporis, quæque ad viuendum homini necessaria sunt. Vestem quoque victus habere vicem Labeo ait*. Verba Scribonii ad faciliorem intelligentiam sic libens constituo: Oportet tamen remediatos non indifferenter in futurum viuere. Tametsi enim a. c. d. &c.

Ad

Ad intemperantiam] Marcell. *ob intemperantiam*. Sed idem Scribonii animus, imo verior. Etenim à Coli dolore liberatis cauendum, ne per victum negligentiorem labe alterius partis contracta relabantur in coli intemperantiam.

Intemperantiam coli antequam remediati erunt.] *intemperantiam, ob quam utique colo fuerant ante vexati*. Marcellus quidem clarior. Leuis tamen permutatio vocalium, quæ sibi in vetustioribus libris per quam similes, *u* nempe in *a*, Scribonio lucem reddet, sententiaque integra legetur: adficiantur ad intemperantiam coli, ob quam remediati erant: vel; ante qua remediati erant, quod receptæ lectioni similius.

C X X I I I.

Lupi iecur] Plinius lib. XXIIX. cap. XIII: *Reficit iocinoris dolores lupi iecur aridum ex mulso*, Etiam *phthisicis medetur iecur lupi ex vino*, eodem teste cap. XVII. Idque tota substantia, non una vel altera qualitate, suo experimento efficax affirmat Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. IIX. cap. IIX. Nihil tamen mentione dignum præstitisse fatetur lib. XI. de Simplic. facult.

Atque ita arefactum. Quantum] Marc. *atque ita arefactum, quantum v.p.t.* Vt obique satis plane,

C X X I V.

Cunillæ] Scribo, cunilæ sequutus Columellam lib. IX. cap. IV. Plinium lib. XIX. cap. IIX. & Marcellum cap. XXX. Salmasio meliorum librorum autoritate placet *Conela*, siue *Cunela*, non sine autoritate Palladii Rutilii lib. III. T. XXIV. lib. XII. Tit. VI. & lib. XIII. Tit. III. Dioscoridi lib. III. cap. XXXII. est Κονίλη, Ioanni Ruellio interpreti *Cunicula*, Saraceno verius *Cunila*.

Satureiam quidam vocant,] Idem notat Plin. lib. XIX. cap. IIX. itemque Thymbram Græcis, Rusticos autem Satureiam vocasse indicat Columella lib. IX. cap. IV. qui ab Origano atque thymbra manifeste secernit. Petrus Ruellius tamen in Nomenclatura rei veterinariæ Origanum existimat, Marcellum forsan imitatus, qui cap. XXX. *Cunila*, inquit, *quam Græci Onitin vocant, detrahit aquationa per vomitum*. Origano autem congruit Onitis, quæ Dioscoridi lib. III. cap. XXXIII. Ὀνῖτις. Nec dissimulat idem cap. XXXIV. Origanum silvestre aliis Cunilam dictum, Sed Cunilam itidem gallinaceam Origanum Heracleoticum tradit Plin. lib. XX. cap. XVI. & cap. XVII Onitin in sapore Cunilæ æmulari. Satureia quoque satiua, cuius meminit ille cap. XLV, non multum est dissimilis thymbræ; quam nondum capitatam videre licuit, sed spicatam.

C X X V.

Hæc compositio] Vid. Galen. de Comp. med. sec. loc. lib. X. cap. I.

Renium] Sic etiam Comp. CXLIII. & CXLIV, itemque Marcellus aliquoties. Iulius Solinus pariter cap. XXXVII. Sed usitatius Renum, veluti Compos. CLXIX.

Ad aquæ mutationes:] Plin. Valerianus lib. II. cap. XXXVII. *ad aquas matricis*. Quod mihi non displicet. Quamuis enim vulgatam lectionem adserat Compositio CXLIV: eadem tamen, quæ in Scribonio exstant, apud Plinium ista verba præcedunt. Compositio præterea ferme eadem, ut ex communi fonte videatur deriuata; cuius nulla in Marcello memoria: ne dicam conuenientissimum hoc utero medicamentum. Aquæ tamen mutationes nequicquam leues: quas non minus perniciosas, quam ciborum, docet Aristoteles Probl. xv. Sect. I. Aqua enim vitiosa, quæ Plinio lib. XXII. cap. XXIII. mala, natiuum ventriculi robur exsoluit, obseruatione Galeni de succ. bonit. & vitio cap. XI. Inde Romanos in expeditione Arabica stomacace correptos Strabo memorat lib. XVI. Quod in castris à Germanico trans Rhenum promotis pariter accidisse prodit Plin. lib. XXV. cap. III. Romanis etiam gelidi & limpidi amnis, verum salsi medicatique, potu aluum cum siti ac dolore concitatam Plutarchus in Antonii vita refert. Prouidus ex eo cautor Plinius lib. XXXI. cap. VI: *Est in metu peregrinantium, ut tentent valetudinem aquæ ignotæ*. Aduersus hanc vim Romæ principes viros Theriacam sumsisse constat ex libro, qui de usu Theriacæ Galeni perhibetur. Eiusdem efficaciæ crediderim ex vite Theriaca vinum Dionysii Vticensis Geoponici consilio aduersus animalia venenata præstantissimum, quam ad Comp. CLXV. indicaui. Nec antidoto ista sibi male consuluissent Galli, quibus nefando exemplo puteos & cisternas infectas magnam cladem attulisse narrat Paulus Iouius Histor lib. XXVI. Facinus indignum; sed neque priscis ignotum prodit Lucanus lib. IV. versu CCCXIX:

O fortunati, fugiens quos barbarus hostis
Fontibus immisso strauit per rura veneno.

Plinius itidem lib. XIIX. cap. I: *Nos & flumina inficimus, & rerum naturæ elementa*. Itaque Seneca de Ira lib. II. cap. IIX. inter sceleribus accenset violatos fontes venenis. Modum innuit Sextus Iulius Frontinus Strategem. lib. III. cap. VII. qui narrat Clisthenem Sicyonium ductum aquarum in oppidum Crisæorum ferentem rupisse, mox affectis siti restituisse aquam elleboro corruptam, qua usos, profluuio ventris decipiens, cepit. Aquæ vero vitiosæ & morbosæ correctionem è Paxamo & Florentino Geoponicis tradidit Dionysius Vticensis de Agricultura lib. II. cap. IV. & XLV.

Musti mulsi] Quod recens appellatur Comp. CCLXIX. Nonius Marcellus: *Mustum non solum vinum, verum nouellum quidquid est, recte dicitur*. Ita Cato rei rusticæ cap. CXIV. *Vinum mustum*. Eademque potestate mel recens Columellæ lib. IX. cap. XV. *musteus fructus*.

C X X V I.

Arquatos,] *Arquatus morbus* Celso lib. II. cap. IIX. lib. III. cap. XXIV. Autori Comp. CXXVII. vitium arquatum, Hadriano Iunio *Arcuatus morbus* à colore arcus cœlestis æmulo: quem Hieronymus Mercurialis Pract. lib. IV. cap. V. viridem notat sequutus Nonium Marcellum, Lucilius autem & Varro hoc vitio correptos dixerunt Arquatos. Ita Lucretius lib. IV:

Lurida præterea fiunt quæcumque tuentur
Arquati.

Iu-

Iuniperi] Iuniperi semen datur vuluis Plin. lib. xxiv. cap. iix. ex Dioscor. lib. i. cap. civ.

Silis,] Sili & Seli veteribus idem quod nobis Seseli monet Bauhinus Pin. lib. iv. Sect. v. Inde Constantinus ad marginem Celsi lib. v. cap. xxii. silis loco reposuit *Seseleos*, qualiter & Ronsseus Celsum interpretatur; & cap. xxv. Siler, sed montanum, ad aquatici discrimen. Quod vero Sil vocatur cap. xxiv. inter pigmenta est Ochræ genus. De quo Plin. lib. xxxiii. cap. xiii. & Ausonius in Monosyllabis Edyllio xii:

Estne peregrini vox nominis, an Latii Sil.

Estque Georgio Agricolæ *Ochregel*, quod Græcis ὤχρα.

Iris,] Ita Marcellus cap. xvi. Plin. Valerianus lib. i. cap. ii. xliii. xlvii. & alibi. Magis placet, iridis, ut H. Steph. & autor Comp. lxxxix, vel ireos apud Pl. Valer. lib. i. cap. xliii. liix. lib. ii cap. xvii. & passim.

Cumami] Sic omnes. Lege, cinnami, ut Comp. cxxv. Nec usquam facilius potuit contingere librarii peccatum, coalescentibus *u* & *m* loco *i* & *n* geminati. Sed viribus eius, quas Dioscorides lib. i. cap. xiii. recenset, ad præsens institutum nihil accommodatius.

Smyrnii,] De hoc Plin. lib. xxvii. cap. xiii: *odor myrrhæ habet qualitatem; unde & nomen*. Σμύρνη quippe myrrham significat, & succum eius qui colligunt, myrrhæ saporem habere dicunt, eodem autore lib. xix. cap. ix. Smyrnium vero in Cilicia Petroselinum appellatum testatur Dioscorides lib. iii. cap. lxxix. eiusque semen lienis, renum, & vesicæ vitiis prodesse, ac præcipue hydropicis.

Semen olusatri] Plin. lib. xx. cap. xi: *Olusatrum, quod Hipposelinum vocant*. Clarius lib. xix. cap. iix: *Hipposelinum Græci vocant, alii Smyrneum*. Inde Gaspar Bauhinus Pin. lib. iv. cap. iv. Smyrnium peregrinum affirmat. Claudius vero Salmasius, Fuchsium forsan & Lugdunensem stirpium historiam à Iacobo Dalechampio & Ioanne Bauhino contextam imitatus, nostrum Libysticum putat.

Nardi Syriaci] Non quod in Syria proueniat, sed quia montis, in quo oritur, pars una ad Syrios, pars altera ad Indos flectitur. Quod lib. i. cap. vi. aduertens Dioscorides magni Salmasii censuram iure declinat. Verum in Syria emebatur. Quod proxime laudatum refert Plin. lib. xii. cap. xii. Siluestre credit Io. Anton. Saracenus in Dioscor. lib. vi. cap. xx. Vnde Salmasio quoque Pseudonardus. Nardus autem siluestris quibusdam erat Asarum indicio Dioscoridis lib. i. cap. ix.

Balsami seminis] Balsamum singulari libello descripsit Prosper Alpinus. De quo varias refert sententias Io. Ant. Saracenus in Diosc. lib. i. cap. xiv. Pulcra etiam tradidit Ioannes Veslingius ad cap. xiv. Alpini de Plant. Ægypt. Arborem solum semen producere notat Salmasius ad Solini cap. xxxiv. Id tamen racemato fructu conditum deprehendi. Balsamum vero cum glossa Rabanus Maurus ad Eccles. cap. xii. vetsu xxix. nescio quam recte Aspaltum dicat: cuius mentio Compos. cclxxx.

Opii] Error perniciosus. Cuius exemplum insigne Cent. ii. Obs. xc. memorat Philippus Salmuth Viri Clarissimi Hermanni Conringii prouidentia luci

vin-

vindicatus. Legendum omnino *apii*. Hoc enim apud Dioscoridem lib. III. cap. LXXXIV. urinam ciet. Imo nihil ceteris minus confert ad mala heic proposita, si credendum Plinio lib. XX. cap. XI. qui sic de Apio: *Semine urinam ciet, menstrua ac secundos partus*. Et mox: *ex aqua coctum potumque renibus medetur*. Item: *semen datur & arquatis ex vino albo*. Adde & heic Olusatri mentionem fieri, veluti apud Scribonium. Pari modo apud Plinium Valerianum lib. II. cap. XXX. legendum, *Seminis apii Cretici*; non ut vulgo, *apii Seminis, opii Cretici*. Smyrniumne Creticum Matthioli heic intelligendum, an Petroselinum Creticum Bauhini, vel quod magis credibile apium in Creta natum, non multum interest, quandoquidem horum idem ferme effectus. Ecquod enim opium Creticum? & quis eius hoc loco ad reliqua unciam admiserit?

Erui] ὀρντικὸν affirmat Dioscorides lib. II. cap. CXXXI. Rarum, sed vix fide dignum, addit Plinius lib. XXII. cap. XXV: *si quis ervum quotidie ieiunus edat, lienem eius absumi certissimi autores affirmant*.

Sextarii bes,] id est, duæ tertiæ.

Scillæ coctæ] Varias torrendi rationes habet Dioscorides lib. II. cap. CCII. quibusque iisdem, quibus autor, commendat. Sed hydropicis caute imperat Celsus lib. III. cap. XXI: *si valens est qui id accipit, & scilla cocta delingitur*. Hoc enim modo legendum ostendit optimus codex Florentinus, atque in primis Ioannis Caii & Pauli Aicardi diligens emendatio: qualem & ratio postulat.

Vini Chii aut Lesbii] Strabo lib. XIV: *Laudabilis d vino Chius, Lesbus*. Vtriusque vini ea est indoles, autore Dioscoride lib. V. cap. X. ut in Asia merito laudata prodat Galenus de Antidot. lib. I. cap. VI. qui & Chium notat Aruisium. Transmarina vocat hæc vina Plinius lib. XIV. cap. VII. & Lesbium sapere sponte naturæ suæ mare. Turnebus itaque *Chium maris expers* apud Horatium lib. II. Sat. IIX. vere intelligit, cui aqua marina minime permixta.

CXXVII.

Ad Auruginem.] Ita omnes editi præter H. Steph. qui habet: Ad Auriginem; quemadmodum & Index. Quæ etiam ratio placuit Cæl. Aurel. Chron. lib. III. cap. V. in lemmate.

Capreæ montanæ stercus] Galenus de Simpl. facult. lib. X. narrat Romæ ad auriginem ex vino præbuisse medicum quendam: quoniam digerit & acre est.

Mica myrrhæ,] Veluti Comp. CXXII.

Rumicis radices] Cum vino potæ regio morbo medentur Dioscor. lib. II. cap. CXL.

Tribus heminis incoctæ, donec sextarius relinquatur] id est, donec ad partes duas fuerint decoctæ: consumta nempe una. Sextarius enim binas capit heminas: cyathus vero drachmas duodecim sive sescunciam. Ideoque unciæ in diem sex minimum propinabantur. Quæ potionis mensura hodieque adultis non ingrata.

CXXIIX.

Tamaricum] Quid si tamaricium? Dioscoridi lib. I. cap. CXVII. est Μυρίκη

quam Plinius lib. XIII. cap. XXI, ait ab aliis *tamaricen*, & lib. XXIV. cap. IX. *tamaricem* à Lenæo, vocari. Hinc Ioanni Ruellio Dioscoridis interpreti pariterque Ioanni Baptistæ Rasario apud Oribasium Medicin. Collect. lib. XIV. cap. X. & Iano Cornario apud Ætium Tetr. I. Serm. I. interpretamenti loco à Saraceno iure prætermissi, est *tamarix*, quæ officinis *tamariscus*. Quo modo emendandum illud *Tamaris* apud Celsum lib. II. cap. XXXIII. ut eruditi nomen hoc apud Plinium frustra mutauerint. Seruius enim notat in Eclogam IX. vulgo *Tamaricem*, & in IV. *Tamaricium*; procul dubio à corrupta voce Græca μυρίκη, à qua Tamarix nihil discrepat. Vulgatam quidem lectionem tueri poterit hæc verborum sententia: Lienosis bene facit tamaricum pondo denarii unius aut victoriati longe à mari collectum &c. siquidem Columellæ placuit lib. VII. cap. IX. & X. *tamarices* proferre. At refragatur aperte Comp. CXXXII.

Longe à mari] An quod salsugine lieni suspectum? Quid vero de cochlearia mari vicina? Quid quod Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. IX cap. II. ad induratos lienes imperat salsamentum sine pane, vinumque mari mixtum? Apud pigras & stagnantes aquas nasci tradit Dioscorides. Ad Rhenum etiam vidimus in Germania. Sed locis quoque aridis & sabulosis in Dania prouenit, ut mirer, qui P. Alpinus in libello de Rhapontico negauerit Tamaricen cœlo frigido viuere. Lienem absumere, supra fidem est: ut Dioscoridem ac Plinium nimis heic fuisse credulos videam: etsi non dubitem à temporibus Dioscoridis plurimis experimentis in Ægypto & Arabia ex ipsius caudice adhuc pocula confici. Rectius Columella lib. VII. cap. X. de Suum medicina: *Splenis incremento succurritur, si fabricentur canales ex tamaricibus & rusco, repleanturque aqua, & deinde sitientibus admoueantur. Quippe ligni succus medicabilis epotus intestinum tumorem compescit*. Ideoque lienosis optimo consilio ex ligno fruticis huius doliola vinaria conficiuntur. Nec profecto quibusdam Cimbriæ agricolis plebique ad cereuisiam incommode lupuli vicem supplet. Nam detergit, ac incidit Gal. de Simpl. fac. lib. IX.

Inula arida campana] L. inula campana arida.

Mirifice facit] Marcellus hæc præterit. Autoris quidem nomine haud indigna sunt: quamuis & alterius esse possint.

Ammoniacæ guttæ] Ingentes eius vires Dioscorides lib. III. cap. XCIIX. deprædicat. Nec ferme quidquam efficacius in deploratis viscerum obstructionibus medicis autoritatem peperit. Ex hoc fundo laudatissimæ Petri Seuerini Daniæ quondam archiatri pilulæ, & Ioannis Hartmanni Beyeri Angelicæ longe lateque per Europam sparsæ. Quibus non inferiores forsitan, quas viri celeberrimi Otho Heurnius & Ioannes Bontius in Belgio mecum liberaliter communicarunt. Aloem plerique addunt. Meliori forte consilio Scribonius eo sine aliis utitur alvum cientibus, ne diuerso naturæ molimine vis eius frangatur. Lieni certe Petri Foresti cerato nihil præsentius. Nec immerito Ioannis Heurnii emplastro Londinenses medici suam Pharmacopœam decorauerunt. Mihi etiam, addito oxelæo cum oleo guaiacino, tophos plurimorum venereos hoc gummi elidere licuit, quorum pars ferro committenda fuerat. Ammoniacum in ventriculi scirrho cum momento mastiches vel conserua absinthii ad Drachmam unam commendabat Ioannes Preuotius.

✱ p. victoriati,] Lege, ✱ p. aut victoriati, ut paulo ante. Quod rectius intelligitur ex iis, quæ Comp. LXXXV notavi: vel, quod vero similius, gurtæ p. victoriati, ut Comp. sequenti, Nec pondus ab autore præscriptum egredimur, etiamsi libro de Medicinis expertis inter Galenicos relato Achaafos memoratur lienoso ammoniaci drachmas tres præbuisse. Quin etiam recentiores aloen plerumque miscent.

Rubi] Hic vero adstringit, & siccat, ex sententia Dioscoridis lib. IV. cap. XXXVII. Vtinam tamen etiet autore Plinio lib. XXIV. cap. XIV. Galenus etiam de Simpl. fac. lib. V. cap. XIII. inter ea numerat, quæ moderate calida incidunt.

CXXIX.

Potio ad lienosos, balani q. u. u.] Potio ad lienosos. Balani, qua u. u. Est enim lemma. Βάλανος μυρεψική Dioscoridi lib. IV. cap. CLX. *Glans unguentaria* Latinis, drachmæ pondere pota lienem absumit.

Hederæ nigræ] Diosc. lib. II. cap. CCX. cuius hederæ vim tribuit sanandi lienes.

περικλύμενον] Idem lib. IV. cap. XIV. scribit semen huius ex vino sumtum drachmæ pondere lienem absumere. Marcellus: *periclymeni, quasi. m. ✱. v.* Scribe: περικλυμένου, quam siluæ matrem vocamus, p. victoriati. Huic enim respondet ✱ S apud Marcellum cap. XXIII. Nec scio, num Scribonius Latinum se uspiam manifestauerit euidentius, quam hac & duodecima Compositione: quanquam & aliis in locis Græcos à Romanis aperte discernat.

Cardami nigri, id est, nasturcii seminis] Rectius: Cardami id est nasturtii nigri seminis. Nam Κάρδαμον Dioscoridis lib. II. cap. CLXXXV. *Cardamum* Publ. Vegetio Art. Veterin. lib. IV. cap. XXVII. Italis, ut refert Apuleius Medicus de virib. herb. cap. XX. editionis Aldinæ, vel Romanis, ut habet Ruellii codex cap. XXI. *Nasturtium*, lienem minuit. Igneæ nimirum naturæ monuit diligens Nicandri Scholiastes. Recentior tamen herba, quæ humida, Belgis obsonii loco. Nec aliter forsan Persis. De quibus Geograph. lib. XV. Strabo: *Quotidianus eorum cibus post exercitationem est panis durissimus, & nasturtium.* Plinio lib. XX. cap. XIII. *Alvum purgat, detrahit bilem potum in aqua X pondere*, &c. *Alterum est nigrius, quod capitis vitia purgat: visum compurgat: commotas mentes sedat ex aceto sumtum: lienem ex vino potum, vel cum fico: tussim ex melle, si quotidie ieiuni sumant.* Locus quidem Scribonio non parum lucis allaturus, verum intricatior, nisi hoc fortassis modo restituatur. *Album purgat, detrahit bilem potum in aqua ✱ pondere.* &c. *Alterum est nigrius, quod capitis vitia purgat; visum compurgat; lienem ex vino potum, vel cum fico: commotas mentes sedat ex aceto sumtum; tussim ex melle*, &c. Quod G. Bauhinus Pinac. lib. III. Sect. II. de semine accipit. Sic autem legendum luce clarius est, quandoquidem diuersa heic Nasturtii discrimina recensentur, modo ira distinguantur autoris verba: *E contrario nasturtium venerem inhibet, animum exacuit, ut diximus. Duo eius genera.* Vigorem nempe indicauit lib. XIX. cap. IIX. Eadem quoque dicendi ratione lib. XXVI. cap. VI. de bechio, & lib. XXXIII. cap. VI. de Stibio: *Duo eius genera.* Communem vero scriptorum oscitantiam

in permutatione B & V passim libri veteres produnt. Et meam sanè coniecturam omnino confirmat Erasmi editio Basiliensis anni MDXXV; in quam primum incidi, quum hæc iam typis parata essent. Sanius libri typis editi X, id est denarii, *pondere*, quam Cornarii membranæ hisque simillima Veneta editio anni MCCCCLXXII damnoso admodum errore *X denariorum pondere*. Cuius flagitii plura in Celso exempla detexi. Melius forsitan uterque codex: *visum clarificat*: modo addatur: *compurgat lienem ex vino potum*: quamquam altera Veneta anni MCCCCLIIX omni interpunctione destituta non usque male: *bilem ex vino potum*. Series tamen verborum omnibus libris turbata. Siluestri vero ad omnia effectus maior, inquit Plinius. Quale ipsi procul dubio nigrum fuerit, annuente mihi Mario Schipano Neapoli Archiatro.

Colliguntur scilla, fiunt globuli.] Malo. Colliguntur melle. Fiunt globuli, quandoquidem Scillæ ipsa compositio nuper meminit. Marcellus autem id fieri iubet ex melle. cui fauet Scribonius Comp. CXXXVII. qui Comp. CXXXIIX. succo, CLII. aqua colligi præcipit. Quod vero in Marcello est *ex aceto mixto*, verius apud autorem nostrum ex melle & aceto mixtis; quibus nominatum à Marcello oxymel congruit. Quid si legendum: colliguntur simul, ac fiunt globuli.

Bene, ex aqua] bene. Ex aqua m. u. m.

CXXX.

Sinapis] Dioscor. lib. II. cap. CLXXXIV. commendat Sinapi ad lienes, quum permutandæ valetudinis causa ex alto vitia extrahenda sunt. Lens etiam, eodem autore libri dicti cap. CXXIX, decocta in aceto duritias discutit.

Sextarius] Ponderalem intellige, tredecim unciarum; qui est aridorum.

Solio caldo] Celsus lib. VII. cap. XXVI. appellat solium aquæ calidæ, & lib. III. cap. VI. sine adiectione: ubi in solium dimittere iubet.

Exsileant:] Scribe. exsilient; m. e. f. d. c. tactis: p. c. e. r. i. o.

Ceratum ex rosa] id est, oleo rosaceo: ut monui Comp. I. Cerati rosacei meminit Galen. de Comp. medic. sec. loca lib. IX. cap. IX. Nicol. Myreps. etiam de Oleis sect. XVI. cap. XIII. eiusmodi ceratum describit. Victor Trincauellius de cur. partic. lib. IX. cap. VI. & XIV Infrigidans Galeni putat. Quod ipse Meth. med. lib X. cap. IX. sæpe mutandum animaduertit.

CXXXI.

Gir] Duritias hoc tumoresque vetustos ex aceto illitum tollit, apud Diosc. lib. III. cap. XCIII.

Myrobalani corticis] Vnguentarios hunc tantum premere obseruat Plinius lib. XII. cap. XXI. Is quoniam vehementer adstringit Dioscoride teste lib. IV. cap. CLX. & Galeno de Simpl. fac. lib. VI. merito additur, quo robur adsit Lieni, quem à sanguine arterioso carnem iecore leuiorem ac rariorem habere tradit Galen. de usu part. lib. IV. cap. XV.

Et rubo.] In Marcello non exstant. Vid. Comp. CXXIIX.

In-

CXXXII.

Inflatibus] Marcell. Vossii MS cap. XXIII. *Infantibus*: præter mentem autoris Verius, In flatibus. Quod Compositionum Index confirmat.

Candens ferrum] Dioscor. lib. V. cap. XCIII. Vid. Comp. CXLVI.

Hedera] Cuius folia sanant lienes, autoritate Dioscoridis lib. II. cap. CCX. Plinius lib. XXIV. cap. X. ait lieni & pota & illita prodesse.

Mixta, extra] mixta, & g. a. c. extra impositum.

Gypsum] Huic autem vim adstringendi & obstruendi tribuit Dioscorides lib. V. cap. CXXXV. Sed aqua dilutius erit, eo tantum cumulo, ut ceratum hæreat. Marcellus omisit, quia fasciam postulat.

Tamaricum] Vid. Comp. CXXLIX.

CXXXIII.

Marcellus hanc & sequentem Compositionem non attigit.

Initio enim alia via prodest] Non videntur ab autore inserta. Digna tamen quæ retineantur. Quia dum materia morbi adhuc in venis, pituita circa iecur vicinasque partes hærens minoribus medicamentis educitur. In progressu vero, quod Scribonius optime aduerrit, causa tumoris, ut aiunt, proxima vehementioribus euocanda.

Chamælea] L. chamelææ. Est enim χαμελαία Dioscoridi lib. IV. cap. CLXXII. aliis eiusdem monitu Κόκκ☉ Κνίδι☉; quod tamen interpres omisit. Plinio *Chamelæa*.

Oliuæ] Sic etiam Dioscorides: cuius propemodum verba Plinius lib. XXIV. cap. XV. retinuit.

Aquæ mulsæ] De hac exquisite Anton. Musa Brasauolus ad Hipp. de rat. vict. in acut. lib. III. sect. IX. Cuius apud Turcas creber usus.

Adiecto: largiter] adiecto. Largiter e. a. d.

Squamæ æris,] l. squama æris. Hanc imperat Hippocrates lib. de rat. vict. in acut. Et sane Dioscoride autore lib. V. cap. LXXXIX. pota ex aqua mulsa, aquam subducit, ac pituitam, ut notat Ætius Tetr. IV. Serm. I. cap. XCII. nec ventrem cohibet; quandoquidem acrior vis purgandi ipsi maior, quam adstringendi, iudicio Galeni de Simplic. med. facult. lib. III. cap. XV. cap. I. & validius incidit, quam æs ipsum, obseruatione Ætii Tetr. IV. Serm. II. cap. XXV. Hydropi igitur vere conuenit.

Pondo victoriati] Pondus hoc sufficit, cum apio: etiamsi Oribas. Coll. lib. VII. cap. XXVII. drachmas duas ex melle cocto in catapotia ex mulsa præscribat. Maiori sane prudentia drachmam unam cum semisse ex aqua mulsa probat Ætius Tetr. IV. Serm. I. cap. XCII. pariterque Ægineta lib. VII. cap. XI. Verum & Scribonii lectionem tuetur Dioscorides lib. V. cap. LXXXIX. io re similis de æris flore: ἐσι δὲ ἡ πάχους ἀγωγὸν τετρωβόλου πλῆθ☉ διδόμενον. *Quaternum obolorum pondere datus crassum humorem extrahit*. Nimirum pondus hoc duorum scripulorum à Victoriato siue denarii semisse parum distat. Libri

etiam,

etiam, qui Galenicis additur, de Dynamidiis non plane temnendus autor drachmam non excedit. Quod ab antiquis, ut pleraque, procul dubio habuit.

Mulso] Sic etiam Aldus. Vetus editio Parisina, & Henrici Stephani rectius mulsæ. Vid. Comp. LXVI. & CXXXVI.

Radicis succus] Id est, raphani. Gratior aqua vitreis organis profecta. Radicem quoque hydropicis commodissime illini prodit Dioscorides lib. II. cap. CXXXVII.

Spongiis nouis totum ventrem] Malo: Spongias nouas toti ventri imponere. Licentior enim videtur hypallage: quanquam nihil tolerabilius illud Palladii lib. X. Tit. XIIX: *Solem descendit à vertice*; pro, *verticem à sole defendit*.

Ex aceto & sale] Ratio flagitat. *ex sale aceto eiusdem mensura diluto*.

Instita] id est, fascia, veluti Compos. XLVII. Quam fimbria maiorem tradit Glossarii veteris autor, cuius fragmentum dedit Gasp. Barth. Adu. lib. XXXIX. cap. XIX. Instita vero imam stolæ partem ambiebat. Hinc Ouidius de Arte lib. I.

Quæque tegit medios instita longa pedes.

Mattonarum ea cultui peculiaris, cuius rationem Octauius Ferrarius antiquitatis & bonarum literarum consultissimus de re Vestiaria Part. I. lib. III. cap. XVII. diligenter expendit.

Longa] quæ abdomini uniuerso sit satis.

Cum pane azymo,] Nam stomacho est aptissimus, autoritate Celsi lib. II. cap. XXIV. ut suo loco accuratius ostendetur. Fermentatus autem facile intus corrumpitur, & alvum mouet, quemadmodum aduertit ipse cap. XXIIX. & XXIX. Imo sitim excitat, qua nihil in hoc morbo gratius.

Fricantem] fricare. Quod in veteri codice Longobardorum more forsan erat exaratum.

Sale, oleo paribus] sale & oleo p. m.

Vini meraci quod satis] Non ita multum. Cels. lib. III. cap. XXI.

Dantem.] L. dare.

CXXXIV.

ὑποσάρκα] Corn. Cels. lib. III. cap. XXI. ὑπόσαρκα. Malo cum Henrico Stephano in Exposit. voc. medic. ὑπὸ σάρκα.

Vocant. vitis] Vocant. Vitis

Vitis albæ] Quidā albam Bryoniā vocant, referēte Diosc. lib. IV. cap. CLXXXIV. & Plin. lib. XXIII. cap. I. qui ait Græcis Ampeloleucen appellari. Dioscoridi est ἄμπελ☉ λευκή. cuius radix pota urinam mouet. Quod hydropicis utile.

Cocci Cnidii] Κόκκ☉ Κνίδι☉ Thymelææ semen Dioscoridi lib. IV. cap. CLXXII. Coccus Gnidius Plin. lib. XXVII. cap. IX. Gnidium granum eidem lib. XXIII. cap. IV.

Scillæ bulbi cocti, detracta exteriore parte,] id est, purgatis exterioribus putaminibus, ut Comp. LXXVI. Hæc Palladius de re rust. lib. IIX. Tit. VI. eleganter *velamina* vocat; quæ Tit. IIX. *extrinsecus posita* interpretatur.

Cymini cyathis] Legendum videtur: additis c. c. vel; cum c. c.

Myrrha trita] ad odorem, sicuti Comp. CXXII.

Ad-

Admiſcetur, à quo] admiſcetur, à quo &c. Vid. Lexic.
Datus] datur.
A balneo] Quod rarum res amat, monitu Celſi lib. III. cap. XXI.
Carnis agreſtis,] id eſt, ferinæ, quæ Celſo lib. II. cap. XIX. XXIV. XXVI. XXXI. lib. V. cap. XXVI. XXIIX. & Cælio Apicio de re culin. lib. IIX. cap. IV. eleganti Meronymia *Venatio*, ut Gallis *Venaiſon*. Egregie Sidon. Apollinaris lib. IV. Epiſt. ad Induſtrium: *ferarum carnibus abſtinet, cum ſibus acquieſcit. itaque occulte delicateque religioſus venatu utitur, nec utitur venatione*. Hanc vero magis quam cicurum humidis conferre docuit Galenus de ſanit tuenda lib. V. cap. IIX. Volucres greſſilibus etiam ſicciores non obſcure indicat de uſu part. lib. XIV. cap. VII.
Aut vinum] ac vinum a. m. Quod ventriculum roborat ſententia Galeni Meth. med. lib. XII. cap. IV.

CXXXV.

Lippientibus] Hippocr. lib. VI. Aph. XXXI.
Sanguinis detractionem,] ut Comp. XXII.
Lenibus oleribus] Marcellus cap. XXX. parvo diſcrimine *levibus*. Nam *lenis* idem quod *lævis*, mitis nempe ac gratus. De quibus autor Comp. XCIX.
Reſinæ terebinthinæ] reſina terebinthina. Marcellus rectiſſime.
Nucis] integræ cum putamine.
Devoratur: calices] devoratur. Calices q. e. i. Marcellus plane divertſus: attamen ſine diſſenſu à medicorum ſcholis. Hadrianus Iunius *incruſtare* apud Lucilium & Horat. lib. I. Sat. I. exponit medicato ſucco, aut ſapore inficere. Qua ratione Roberto Titio Locor. controverſ. lib. VI. cap. IIX. apud Horatium *imbuta teſta* vas eſt, quod novum liquamine præmunitur ad continendos liquores per minuta cadi foramina. Nec abeo reapſe diſcedit antagoniſta Ioſephus Scaliger, quando ſub Villiomari nomine ait: *Incruſtatio fiebat non pice vaſe oblito, ſed liquore imbuto, ut noua teſta adſueſceret vini ſaporem ſeruare, quod Gallis Aviner*. Italis etiam *Avvinare*. Vtrique igitur incruſtare eſt imbuere. Adrianus Turnebus Aduerſ. lib. XIX cap. IV. rectius cenſet, calices ſuccis quibuſdam lentis, craſſis, medicatiſque ſaporibus incruſtatos, tanquam cruſta quadam tectorii, ſic monitus quidem à Varrone, apud quem Rei ruſt. lib. III. cap. XV. maceria glirarii tota levi lapide aut tectorio intrinſecus incruſtatur. Hic tamen magis ad rem noſtram cap. XIV. refert ollam incruſtari ſapa & farre. Verior autem calicum incruſtatio apud inferioris Germaniæ ceteroſque Septentrionales populos obſervatur, quibus diotæ ligneæ reſina, cinnamomo, cariophyllis, ac Zingibere diligenter illinuntur, ut potores cereuiſia ſapidiori ſe liberalius invitent. Qualia pocula Saxonum vulgo *Barckemeter*, è caudice ut plurimum aceris nondum dedolato. Huius fere notæ in ſympoſiis Græcorum Athenæo autore memorat Ægyptiorum calices ex argilla cum aromatibus fictos, Rhodiaſque ollas ex Ariſtotelis de Ebrietate Libro nobis deperdito celebrat Nicolaus Leonicus var. hiſt. lib. III. cap. XCIII.
Menſuris: & is] menſuris. Ex his,

Non austerum] Sed temperatum. Recte quippe Atyston Chius apud Athen. Deipnos. lib. 11. dixit suauissimum potum, qui & dulcedinis sit particeps, & tranquillitatis.

Præbiberit,] προπόμα enim veteribus consuetum, patet ex Plutarcho Sympos. lib. 1. Quæst. VI. & Athen. Deipnos. lib. 11. Quod Xylandro quidem Plutarchi interpreti sonat *matutina potio*. Sed ample nimis. Credo enim certum fuisse potionis genus, quod ante cibum præberetur; nec mane tantum, velut apud Germanos vinum absinthites, & Hippocraticum, apud Anglos ceruisia condita ipsis *bottle ale*. Cuiusmodi heic vinum non austerum. Eius indicauit originem Plinius lib. XIV. cap. XXII: *Tiberio Claudio principe ante hos annos XL institutum, ut ieiuni biberent, potusque vini antecederet cibos, externis & hoc artibus, ac medicorum placitis nouitate aliqua sese commendantium.*

Et inter prandium vel cœnam,] Sententia euidentior legitur: vel inter prandium & cœnam. Vinum nempe cibo præmittendum autor consulit. Quod iis tamen cauendum, qui fluxiones metuunt. Nam vinum hoc modo sumtum eas mouet, quoniam ad iecur facile penetrat.

Ouilli lactis] Aluum mollit lac omne, Dioscoride autore lib. II. cap. LXXV. sed in primis ouillum. Hoc enim fatetur ipse crassum dulce, ac præpingue; non tamen usque adeo utile stomacho: quamuis M. Varro de re rust. lib. II. cap. XI. putet omnium rerum liquentium, quas cibi causa capimus, maxime alibile. Hippocrates tamen De Victu Salubri lib. II. affirmat lac ouillum sistere aluum. Galenus autem Comm. I. in lib. De rat. Vict. in acut. cap. XIIX. & initio lib. I. De Alimentorum facultatibus Hippocrati abiudicat Libros de Diæta.

Cnici purgati] Κνῖκος Diosc. lib. IV. cap. cxc. aliis Κνῆκος. Officinis *Cartamus*. Pituitam ducit iudicio Galeni de Simpl. fac. lib. II. cap. V. Bilem addit Autor libri de Simplic. medicamentis ad Paternianum.

Mollit & ventrem quidem t. h.] Lege, molliet ventrem. Quidam tribus heminis. Communis etiam lectio retinebitur, sublata particula *ut*: cui ceteroquin substituendum videtur, *aut*.

Vini ut aloes] vini adiiciunt aloes victoriati pondo. Marcellus quippe suffragatur.

Videtur] Quid si legendum. Bibetur autem vinum vetustius, ventremque cum eo satis mollit. Hiulca secus oratio. Cum eo, nempe aloes pondere: vel, cum eo modo, per Ellipsin: quæ Celso usitata lib. I. cap. III. lib. II. cap. XI. XVII. lib. III. cap. VI. XXII. XXIV. lib. IV. cap. VI. lib. VI. cap. II; quam & obseruare licuit apud Columellam lib. V. cap. I.

Perducta.] Marcellus: *aloe per se &c. epotata*. Paulus Leopardus Emendat. lib. XIX. cap. IIX. *producta*. Sed vulgata lectione vix quidquam significantius. *Perducere* enim est continuo haustu totum educere. Quo modo Apuleius Metamorph. lib. X: *repertum vini poculum continuo perduxit haustu*. Arnobius aduersus Gentes Lib. V. *Perducit totum cyceonis læta liquorem*. Et Marcellus cap. XXV: *Perduci illud, id est potari, ex mulso vino oportet*.

Pur-

CXXXVI.

Purgat ergo belle] Vere Marcellus: *Purgat optime ventrem chamelæa herba.*
Oliuæ] Ita Comp. cxxxiii.
Adsuetus erit,] cui remedio opus est. Addit Marcellus.
Adiecto cochleario.] Recte Marcellus, ut Comp. cxxxiii: *adiecto salis cochleario.*
Biles purgat, & filicis radix] Marc. *Detrahit enim largiter bilem. Purgat bene alvum filicis radix* &c. Lege: Biles purgat & filicis radix. Bilem quippe utramque flauam, & atram vacuat. Ideoque multitudinis numero Bilem vere protulit. Nec alio nomine quam Bilis atræ cum Celso lib. ii. cap. i. Melancholiam accepisse, planum est Composit. civ. Quam veteribus receptam fuisse opinionem minime obscurum est apud Ciceronem Tuscul. Qu. lib. i. ubi sanguinem, bilem, pituitam, solum nominat. Sed aliquot ante seculis prius Hippocrates, vel quod Galeno placuit Polybus, Libro De Affectionibus tradidit, hominibus morbos omnes à bile ac pituita fieri. Itaque non sine causa subtilioris ingenii quidam nostra memoria conati sunt Melancholiam, ceu quartam humoris speciem, ex arte medica proscribere. Bilis profecto nigræ meminit Seneca Epist. xciv. & Luridæ ep. xcv. quæ scholis flaua. Qua de causa Gifanius in Conlectaneis Lucretio vulgatum illud lib. iv. vere adseruit:

Lurida præterea fiunt quæcunque tuentur
Arquati.

Quamuis alii *Lutea* maluerint. Eadem Galenus mente Libro De iis quos purgare oportet, Iulio Martiano Rota interprete, bilem amaram & attam distincte proponit. Acidam vero eidem i. Epid. Com. i. Tit. i. ex versione Hermanni Cruserii Brasauolus Indice Melancholiam appellat. Nec melancholicum humorem aliunde natum adfirmat Gal. de loc. aff. lib. iii. cap. viii. quam à loci calore, aut flauam bilem, aut crassum utrumque sanguinem superassante: adeoque in melancholicam temperiem affatim decidere prærubros colore homines, atque post hos flauos. Bilem quoque atram autumno boreali & sicco produci asseuerat Senex Cous Lib. de Aere, Aquis, & Locis, quando liquidissimum & aquosissimum in bile consumitur, densissimum verò & acerrimum relinquitur. Sic de Brassica Plinius lib. xx. cap. ix: *Biles detrahere non percoctam putant.* Et lib. xxii. cap. xxii. de Caucalide; *extenuat & lienis, iocinoris, renumque pituitas.* Ita P. Vegetius art. veterin. lib. iii. cap. i. (liii.) *Biles, quæ cholera appellantur vulgo.* Et cap. xxxiix. (lxxxvi.) *Pituitæ virides.* De Filice Plinius lib. xxvii. cap. ix: *Alvum soluit, primo bilem trahens, mox aquam.* Sed quoniam filix feminauatero gerentibus aduersa perhibetur à Dioscoride lib. iv. cap. clxxxvii: tutior forsan erit Filicula. De qua Plin. lib. xxvi. cap. viii: *Detrahit bilem polypodion, quam nostri filiculam vocant. Similis enim est filici.* Puta mari foliis. Celso etiam lib. ii. cap. xii. Filicula inter deiectoria est. Quæ bilem præcipue crassam & atram educit.
Placeat aceto a. c.] placet. Aceto a. c.
Quantum placet] Marcell. *ad semunciam.* Quod magis est artis cum Dioscoride.

Aspersas condito,] asperiam coquito, ut solet. Marcellus enim coctam exigit oleris in modum.

Ita cum p. quadrante consumta.] Marc. *& ita cum panis uncia consumta.* De qua lectione ad medicos referendum censeo, qui diu inter se altercati, num alimenta cum medicamentis permiscenda.

CXXXVII.

Colofoniæ] Colophoniæ. Diosc. lib. 1. cap. xciii. Κολοφωνία liquida resina e pinu & picea, quæ à Colophone Ioniæ oppido, unde petebatur olim, sibi cognomen vendicauit. Eam Ianus Cornarius ad Galen. de Comp. med. sec. loc. lib. II. cap. I. credit nobis resinam frictam. Nec dissentit Gal. de Comp. med. sec. loc. lib. III. cap. IV. At in colophonia vim purgandi nemo deprehendit. Ergo scammoneam sine dubio intellexit, quamuis hanc à colophonia diuersam non ignotem. Nam & Plin. lib. XXVI. cap. IIX. de Scammonio: *Laudatur natione Colophonium.* Et paulo ante: *dissolutionem stomachi facit, bilem detrahit, aluum soluit, præterquam si adiiciantur aloes drachmæ duæ obolis eius duobus.* Nisi colophoniam freni loco aloe additam putemus, velut Compos. proxima. Verum si Largus heic, ut Compos. CXXXV, aluum mollientia, nec purgantia desideraret, colophoniam utique retinerem, non frictam quidem, cui siccandi vis est, sed Chiæ mastichæ similem, quæ nonnihil emollit Galeni testimonio Lib. VII. de med. sec. gen. seu potius liquidam & maioris efficaciæ; quam idem lib. V. admittit. In libris autem Dioscoridis quibusdam Colophoniam dici Scammoneam diu Aristarchi reprehenderunt.

Vna teruntur, adiicitur m. q.] una teruntur: adiicitur m. q. s.

Stomachum non corrumpit.] Sine dubio propter aloen. Quod Celsus lib. II. cap. XII. aduertit: *Medicamenta stomachum fere lædunt: ideoque omnibus catharticis aloe miscenda est.*

Calidæ] Thermarum etiam intelligi posse non pernego: verumtamen aquæ calidæ crebrior apud Scribonium mentio diuersum docet. Ne dicam, istarum valde cautum exiguum usum, cuius nulla heic incumbit necessitas. Quis autem paulo cultior ignorat thermopoliorum isto æuo frequentiam? Quapropter calidam cum Hieronymo Mercuriali niue non refrigeratam vix interpretor, sed igne calefactam, quā prisci vinis commiscuere, quo ea se penitius insinuarent. De cuius apud medicos usu ad Comp. CXX. nonnulla dixi. Quibus recte adduntur, quæ Antonius Persius de Calidæ apud Romanos consuetudine peculiari libello erudite disputat. Hoc autem loco aqua calida optime conuenit, quia medicamenti acrimoniam eluit ac simul attemperatam dicam, ipsius potu ventriculi bilem mitescere. Medicamentum nihilominus palato satis erit ingratum. Cuiusmodi veterum plura, quæ posteritatis ingenio iucundiora deprehendimus. Frigidæ vero usus heic mihi suspectus; ut verius legendum arbitrer: ex aquæ calidæ cyathis quatuor. Nisi, quod credo, accipienda fuerit frigida remissa, veluti Comp. LXXXV; quæ tepens Comp. LXXXVI.

CXXXIIX.

Colophoniæ ✱ p. VIII.] Marcellus: *denarii quatuor*. Quæ proportio veræ vicinior.

Bdellii] Bdellium drachmarum duarum pondere pituitam purgare tradit Ætius Tetr. 1. Serm. III. cap. XI.

Paribus] L. imparibus; vel, à tribus, veluti apud Marcellum, & Comp. CXXXIX. At nihil confert par vel impar numerus; quandoquidem is non est actionis & passionis principium, ut vere Philosophus Metaph. lib. V. Tex. 11.

CXXXIX.

Lemma cuiusdam recentioris videtur. Secus enim autor Indicis non omisisset, Nec de usu quidquam Scribonius refert; utcumque in Marcello exstet.

CXL.

Ad tineas & lumbricos necandos.] L. Ad tænias necandas. Cetera Compositione sequenti sint lemmatis loco.

Ad tineas] Ad tineas necandas & eiiciendas, p. t. Ita quoque Marcellus cap. XXIIX. Qua ratione Cato de re rust. cap. CXXVI: *Si tineæ & lumbrici molesti erunt*, Plin. lib. XXIIX. cap. XIV: *Tinearum genera pellit cervini cornus cinis potus*, & alter medicus lib. II. cap. XI: *Tineæ quoddam vitium ventris est*. Item lib. IV. cap. XVII. de Allio: *Tineas & alia ventris animalia in mulso aceto cõbibitum perimit & expellit*. P. Vegetius Art. Veterinar. lib. IV. cap. X. etiam vocat *Tineas*, Lib. I. cap. XLIV. *Tineolas*. Plinio autem lib. XI. cap. XXXV. Tineæ sunt, quæ lib. XXIX. cap. VI. *Blattæ*. Quas Horatius Serm. lib. II. Sat. III. iunxit:

stragula vestis
Blattarum ac tinearum epulæ.

Cato rei rust. cap. XCIIX: *Vestimenta ne tineæ tangant*. Itaque Scribonio reddendum. *Ad tænias*. Quam scriptionem ad Q. Serenum de Lumbricis quoque notauit R. Constantinus, & in Orthographia veterum edidit Martius. Nam Ταινία *Tænia*, quæ Athenæo Deipnos. lib. VII. cinctus, quo mulieres præcinguntur; vel, quod magis placet, cingulum in puppe, quod Rodolph. Gualtherus Iul. Polluc. lib. I. cap. IX. num. III. fasciam vertit. Suidæ pariter Κειρία εἶδος ζώνης ἐξ σχοινίων παρεοικὸς ἱμάντι, ᾗ δεσμοῦσι τὰς κλίνας, *species cinguli ex iunctis facti similis loro, quo lectos vinciebant*. Πᾶν δὲ στενὸν ὕφασμα ἢ ἐρίου ἢ λίνου ταινίαν λέγουσι. *Omnem autem angustam telam textilem ex lana vel lino fasciam dicunt*, Platone teste in Sympolio. Nec importune Iacobus Gutherius de Off. Dom. Aug. lib. III. cap. XVI. hac significatione tæniam Imperatoris fasciam cruralem intelligit. Qua etiam comparatione Lumbricus latus Κειρία vocatur à Galeno Meth. med. lib. IV. cap. XVII. Sed & fascia est siue instita, qua mulierum crines innodantur, apud Martialem lib. XIV. Ep. XXIV:

Tænia ne madidos violet bombycina crines.

Cuius similitudine lati vermes hoc sibi nomen adsciuerunt. Quos & institas appellatos monet Dionysius Uticensis Agric. lib. XII. cap. XXVII. Græcam vocem Calderinus monet, quæ Latinis *Vitta*. Rectius vinculum dixisset, quo vita nodatur. Coronamentum speciose videtur interpretari Tertullianus de Corona cap. VII: *Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, Iouem Diodorus post deuictos Titanas hoc munere à ceteris honoratum. Dat & Priapo tænias idem.*

Necandas, eiiciendas,] Vtrumque sane pernecessarium. Sed prius enecandæ. Nam vacuantia initio exhibita impediunt, quo minus enecantia diu hæreant.

Allium] Huius esum ad lumbricum latum commendat Ætius Tetrab. III. Serm. I. cap. XL. In eandem sententiam Plinius Valerianus lib. IV. cap. XVII. de Allio: *Tineas & alia ventris animalia in mulso aceto coctum perimit, & expellit.* Cui consimilis Æmilius Macer de Allio:

In mulsa coctum, commixtum cui sit acetum,
Et bibitum vermes ventris tineasque repellit.

Veteratum caseum mollem] Acrimonia forsan aliquid conferet. Attamen is putridus, ptauique succi. Nec Marcellus veterati meminit. Mollem vero Galenus de Aliment. fac. lib. III. cap. XVII. uon damnat. Mihi tamen quæcunque ex lacte parata videntur parum secura.

Mollem, secundum b. f. M.] mollem: secundum hoc filicis Macedonicæ, Huius, quod sciam, nulla quidem apud rei herbariæ scriptores mentio, quanquam Plinio lib. XXVII. cap. IX. optima sit Macedonica, secunda Cassiopica. Sed compendio apud Largum forsan scriptum erat ma. id est, maris. Quod librarius parum sagax in Macedonicam conuertit, motus forsan autoritate Marcelli, qui similiter legit procul dubio ireos Macedonicæ memor, quam cap. XXVII. recte nominauerat Galeni exemplo de Compos. med. sec. gen. lib. VII. cap. XII. Etenim quæ Largus de eius heic præcipit usu ius sunt similia, quæ habet Dioscorides lib. IV. cap. CLXXXVI. quem viri periti de Filice mare intelligunt, in eo tamen diuersus, quod drachmis quatuor contentus, quum Scribonius ✱ p. IIX. præscribat. Hæc autem species tutior femina, quam gerentibus utero mulieribus suspectam reddit cap. sequenti Dioscorides. Imo Plinius monet neuttam mulieribus dandam. Quod Theophrastus etiam Hist. Plant. lib. IX. cap. XX. aduertit. Non multum nihilominus refragabor, si quis Macedonicam probauerit, quod Macedonia præ ceteris regionibus forsan vegetiorem tulerit.

Contusæ, aridæ & cribratæ] L. aridæ, contusæ, & cribratæ.

Cum melle] Hoc enim allecti vermes reliquis promtius inescantur. Qua forsan ratione Dioscorides ex aqua mulsa præbet. Mel tamen detergit: ut ut Cardanus de malo medendi usu cap. XXXIV dulcia vetat; quæ tantum in alvum iniicienda recte monet Daniel Sennertus de Infant. cur. Par. II. cap. XXIII. Sed in longis lumbricis, Neque enim lati dulcibus mouentur.

Post horas quatuor] Vbi iam hoc interuallo enecti vermes. Nam vitii grauitas vix longiorem fert moram: etiamsi adsumtis dulcibus alimentis die sequenti

quenti famis tempore amara consulat Iacobus Pons Canone IIX.

Aloes & Scamoniæ] L, aloes, & Scammoniæ. Nam Dioscoridi lib. IV. cap. CLXXI. cum Theophrasto Hist. Plant. lib. IV. cap. VI. Σκαμμωνία est. Quo etiam modo scribendum forsitan apud Ciceronem lib. I. de Diuinatione, & in C. Celso lib. III. cap. XX. & XXIV. lib. IV. cap. XVII. ubi in omnibus libris *Scamonea*: veluti σκαμωνία in Ruffo Ephesio de Purgantib. MS. bibliothecæ Vaticanæ. Hermolaus Barbarus vir sane doctissimus utriumque in Corollariis ad lib. IV. cap. CLXXXII. Dioscoridis admittit. Sed cum Plin. lib. XXVI. cap. IIX. herbæ succum interpretatur. Scammoneam vero herbam, ut Scammoneum succum putat Marcellus Virgilius. Quo etiam modo Plutarchus Lib. de dignosc. amico ab adulatore σκαμμώνιον. Huius eam non admiserim quantitatem, quæ Dioscoridi & Scribonio placuit. Correcta per destillationem resinæ scammoniatæ nomine in Septentrionalibus plagis quibusdam medicis adeo est familiaris, ut omnibus fere purgantibus misceant. Nec sinistro quandoq; euentu, quoniam Dioscoride autore Bilem & Pituitam ducit, quamuis Bili tantum eiusque sero dicatam putet Fernelius Methodi med. lib. V. cap. IX. Parum tamen cautè, quandoquidem vis & substantia eius venenata, ut recte idem Meth. med. lib. III. cap. IV. Quamobrem validis & sine febre sufficit stimuli vice debilioribus pharmacis addita, sed retusa. Huiusmodi Diagrydium, quod Patauii in charta exili acu perforata sulfure subtus accenso ad albedinem concretum trituntq; ad quindena & ultra grana tuto præbetur. Sed aloe quoque optime corrigi tradit Hieronymus Mercurialis de Compos. med. lib. II. cap. III: quanquam & Dioscorides lib. IV. cap. CLXXI. prodat efficaciorem hinc fieri purgationem. Ea purgantibus præterea ceteris mixta, stomachum minus infestari monet idem lib. III. cap. XXV. cui simile quid Celsi autoritate ad Comp. CXXXVII notaui. Omnium clarissimè Plinius loco ibidem laudato rationem tradidit, qua stomachum dissoluens aduersa scammonii vis compescitur. Nec alia mente credibile est Hieronymum Capiuaccium Pract. lib. III. cap. XIV. minimum eius modum exigere, quo necat vermes: quamuis & iis educendis confetat. Solam tamen ille subtiliter minus damnat, quod euacuando bilem relicta pituita difficiles inducat affectus. Nec omnino standum Iul. Cæsaris Claudini decreto, qui De ingr. ad infirm. lib. II. cap. XXIIX. Chologaga tenicit summa dosi, quoniam agunt ut amara, non ut laxantia. Huic enim placito usus refragatur.

Singulorum] Ita quoque Marcellus.

Desurgere,] id est, secedere, ad ponendam alvum. Inde apud Marcellum cap. XXVII. *desurrectiones.*

Supponatur,] ut vapore vermes eliciat. Hoc enim Scribonii institutum. Marcellus heic operosior, quando ait: *aqua calida ei supponatur, qua postea eluit & foueri debet:* quanquam & hoc in Afcaridibus commodum.

Licet & sine oleo] Non sunt in Marcello. Et certe videntur ab aliena manu accessisse: non tamen ab ratione, quam Claudinus tuetur lib. nominati Sect. II. cap. V. & X. Capiuaccius autem oleum butyro præfert in cibis, quoniam serosa sui parte mordax est & acre; maximeque omphacinum propter amaritudinem probat Victor Trincauellius de curat. part. lib. IX. cap. XI.

San-

CXLI.

Sandonica] Sic etiam Plin. Valer. lib. III. cap. XII. *Sãtonica* Marcello. Glossa vetus: *Sandonicũ*. Θυρσοκτόνον, βοτάνη. Lege, Θηριοκτόνος βοτάνη. *Santonica herba* Columellæ lib. VI. cap. XXV. *Santonica virga* Martiali lib. IX. Epig. XCVI. *Absinthium* Marcello cap. XXIIX. *Absinthium Santonicum*, & P. Veget. lib. IV. cap. X. simpliciter *Santonicum*, à regione Santonum in Gallia Aquitanica, autore Diosc. lib. III. cap. XXIIX. ubi Σαντόνιον appellatur; & Galeno de Simplic. facultat. cap. de Abrot. & Absinth. cui Σαντονικὸν; vel à Galliæ ciuitate iudicio Plinii lib. XXVII. cap. VII. Absinthio enim non est dissimile, ut monet Dioscorides, eiusdemque facultatis cuius est Seriphium, siue Absinthium marinum Dioscoridi libri dicti cap. XXVII. à quo non differt re ipsa. Semine tamen minus refertum, attestante Oribasio Collect. lib. XII. Nonnulli Abrotanum feminam putant, quos Rembertus Dodonæus coarguit Stirp. histor. Pempt. II. lib. III. cap. XXVII. Ventris animalia pellit, obseruatione Plinii.

Quæ nunc viget] Malo, quæ viget. Marcell. quæ viridis est.

Cornum ceruinum] Hunc flexum Latini Sermonis principibus placuisse, clarum erit in Lexico. Singularem vero cornu ceruini efficaciam ad lumbricos febre comitatos deprehendi, maxime in pueris, quum non ingratus ei sapor. Ventrem quibusdam tamen contrahit.

Lima lignaria,] Quali hodie lignum guaiacum teritur. Hollerius itaque De Morbis Intern. lib. I. cap. LIV. immerito Scribonium notat, quod superstitiose limam ligneam postulet.

Cochlearia ex aquæ mixtorum] Editio Cratandri, Aldi, & Henr. Stephani. Scribendum puto: cochlearia, ex aquæ myxorum c. t. Myxariorum enim decoctum, aut ipsa Myxaria, quæ & μύξα, Plinio lib. XIII. cap. V. *Myxa*, cocta ad Lumbricos rotundos probantur Æginetæ lib. IV. cap. LVII. De quibus Paullus Leopardus Emendat. lib. XVI. cap. XXI. Error autem facilis erat: siquidem & nonnulli *Mixa* scripsere, ut apud Palladium de re rust. lib. III. Tit. XXV. Quo modo post meam coniecturam in editione Simonis Siluii Lutetiana Ioannis Ruellii opera omnium prima deprehendi *mixorum* dubio procul codicis manu scripti autoritate. Myxa Syriæ Sebesten, à muccis recte censet Salmasius in Solinum. Nam Galenus de usu part. lib. IIX. cap. VII. memorat βλίτας & κόρυζαν à recentioribus appellatas fuisse μύξας.

Aqua exigua] Aqua granimis & tutæ capratiæ heic insignis.

CXLII.

Ad prolapsionem, & libidinem] Ratio postulat, ut legatur: Ad libidinem nimiam desurgendi extremi intestini. Qui titulus concinnior eo, quem Index præbet: nisi legendum simpliciter: Ad Τεινεσμον. De Prolapsione autem Comp. CCXXXII. agitur.

Tenesmos] Ita Plin. lib. XXIIX. cap. XIV. Τεινεσμὸς Galeno Comm. Sect. VII. Aphor. XXVII. non τηνεσμὸς, ut in vulgatis exemplaribus librarii negligentia,

quum

quum Galenus neutiquam usus dialecto Dorica, quemadmodum Fabius Pacius optime notauit ad lib. II. Meth. med. cap. II. Eandem quoque vocem retinuit Celsus lib. IV. cap. XIIX. Viro tamen summi iudicii Gasp. Hofmanno Patholog. Paruæ cap. XXXI. §. VI. *Tinasmos* magis arridet.

Vltimo] Marcel. *vitio*; Quod probabilius.

Libet] Plin. Valer. lib. II. cap. XXX: *Libido intestini tenesmus.*

Sine causa] id est, sine ratione. *Tenesmos* enim Plinio lib. XXIIX. cap. XIV. *& crebra & inanis voluntas egerendi.* Alteri medico lib. II. cap. XXIIX. *Conatio.* Malo, *Conatus.*

Et aqua c. f. vel v.] vino austerissimo, vel ex a. c. f. v. ex m. e. o. r. f. i.

Et murti] f. ex murti. Vid. Comp. CCV.

Oliuæ] Glossa vetus: *Verbena* θαλλία, & θαλλὸς. θαλλὸς vero Atticis priuatim est ramus oliuæ, ex quo diebus festis coronæ texebantur. *Verbenatia* P. Veget. art. Veterin. lib. III. cap. XIIX. (XXI.) & cap. LXVII. (LXI.) *Verbenacea.* Melius, *Verbenaca.* Donato in Terentium abusiue cuiusuis arboris & plantæ ramum significat, quum religiose fertur.

Penicillum] Ampliori nominis usu apud Celsum lib. V. cap. XXIIX. & lib. VII. cap. IV. quo medicamentum aliquod in fistulam demittitur.

Expositum] Marcell. *adpositum.* Verius, *impositum.* Celsus lib. II. cap. X: *Deligandum brachium super imposito penicillo.*

Glomus] L. glomum. Marcell. *globulus staminis appositus iuvat.* Scribonii vox emendata significantior est.

Staminis albi:] id est, fili crudi. Quod etiam leni euaporatione dolores mitigat.

Perungundus] Omnes præter Aldum, qui edidit *Perungendus.*

Lycio, patarico,] *lycio Patarico, vel Indico.* Marcellus. Rectius dixisset: Indico, vel Patarico. Hoc enim usurpatur deficiente Indico, ex Æt. Tetrab. I. Serm. IV. cap. X. Indicum vero ad omnia valentius adfirmat Galenus de Simpl. facult. lib. VII. quod lib. IX. memorat se in itinere ex Palæstina obtinuisse. Succi Pataricæ in Antidoto Damocratis meminit Galenus de Antidot. lib. II. cap. V. qui à Patara Lyciæ oppido cognomen meruit.

Collyrium] Κολλύρια, vulgo glandes. Marcello cap. XXX. Turundæ, & globuli: quanquam & ulcerum sinibus turundæ aptentur. Verba enim Celsi sunt lib. VII. cap. IV: *Aduersus fistulas quoque si altius penetrant, ut ad ultimas demitti collyrium non possit.* Scribonio accedit Columella lib. VI. cap. VI: *Collyria immittuntur aluo, atque ita citatius bos agitur.* cap. XXX. *Collyria subiiciuntur, quæ ventrem mouent.* Et: *Collyrium tenue inditur foramini, quo meat urina.* Item P. Vegetius art. veter. lib. II. cap. XXIII: *fistula si euenerit, papyro & collyrio poterit persanari.* Vbi legendum fortassis: *collyrio ex papyro.* Nam Plinio lib. XXIV. cap. XI. *cognata in Aegypto res est arundini papyrus, præcipue utilitatis, quum inaruit, ad laxandas siccandasque fistulas.* Vegetius porro huius libri cap. XXVI. & libri IV. cap. XVI. fistulare collyrium describit. Pergit idem lib. III. cap. LVII. (LX.) *Collyria facies & bina & terna; in anum immittes.* Addit lib. ei. cap. III: *ut ventrem resoluant.* Glandes quoque uterinos denotant. Qua notione Macer de Iri:

De

De radicibus his mixto collyria melle
Fiunt, quæ vulua pellunt subiecta secundas.

Concinnius forsan clariusque: *quæ pellunt vulua subiecta secundas*.

Pondo sena] ✱ p. vi.

Omphacii pondo] Omphacii ✱ p. iv. & victoriati.

Croci ✱ p. iv.] Marcellus addit: *teruntur hæc omnia, & cribrantur diligenter, postea vino a. c. f. c. m. n. p. &, cum opus fuerit, ano inunctuntur*.

Magnitudinis nucleorum pineorum.] Mercurial. Pract. lib. i. cap. xxix. ad formam nuclei pinei.

C X L I I I.

Ad renium] *Ad renum t. aut exulcerationem*. Marcell. cap. xxvi. Ad renum tumorem & exulcerationem. H. Stephanus ubique hac terminatione.

Sanguilentam] *Sanguinolentam*. Marcellus. Eadem scriptione usus autor Comp. clxxxii. clxxxvi, quæ omnino emendanda.

Faciant, rosæ] faciant, Rosæ a. f.

Papaueris nigri seminis] Dioscor. lib. iv. cap. lxv.

Nucleorum pineorum] Hi enim siccant autore Diosc. lib. i. cap. lxxxvii. Renibus & vesicæ utiles, quemadmodum notauit Plin. lib. xxiii. cap. iix.

C X L I V.

Renium] Sic autor Comp. cxxv. cxliii. Pariter hoc loco Marcellus, & Solinus cap. xxxvii. Legitur tamen Renum Comp. clxix.

Arenam sabulosam] Ita quoque Marcellus. Quidam tamen malunt, urinam. Ingeniose primo quidem conspectu, quod in vulgatis libris alterutrum videatur redundare. At enim crassiorem arenæ substantiam sic autor euidentius expressit, sabulosam nempe calculi materiam. Arenulas vero, calculi rudimenta, quod similes arenulis maritimis, dictas putat Marianus S. Barolitanus de Lapide renum cap. ix. Hippocrates lib. iv. Aphor. lxxix. ψαμμώδεα vocat eiusmodi excreta. Ioannes Heurnius vertit *sabulosa*, eademque potestate Nicolaus Leonicenus *arenosa*. Vrinæ etiam arenosæ meminit Celsus lib. vii. cap. xxvi. Talem arenam in lithiasi è basilica fluxisse cum sanguine prodit Zacutus Lusitanus Prax. admir. lib. iii. obs. liii.

Triginta dnum.] xxii. Marcellus, quanquam & hoc pondus satis ingens, si xii accipiamus, X vero geminarum in veteribus libris non raro Denarii pondus & numerum denotat, veluti Comp. xxxii aduerti.

Dantur] Marcellus *Datur*, sc. potio, siue medicamentum. Ita Compos. clvii. & cxxv, quæ cxliv persimilis.

Lupinus] id est, sex vel octo granorum pondere.

Ex mellis ligula,] Sic Plinius editionis Aldinæ, aliique melioris notæ scriptores editi; annuente Iosepho Scaligero ad Festum: tametsi in MS D. Antonii Venetiis, pariterque in editione Veneta anni mdcxlix, legatur *lingula*; in editione anni mcccclxxii & membranis Cornarii perperam *lingua*. Quem errorem

rem longa consuetudine inualuisse constat ex Martiale lib. XIV. Epigr. CXX:

Quamuis me ligulam dicant equitesque patresque:
Dicor ab indoctis lingula grammaticis.

Gaspar Barthius Aduersar. lib. VI. cap. XVII. ex Charisio ait mensuram argenteam cochleari maiorem. De materia non sum usque curiosus. Ligulam a cochleari differentem innuit Apuleius medicus cap. II. de Plantagine: *Succum eius de cochleari, vel de ligula dabis*. Semunciæ mensura est, demtis duobus scripulis. De qua procul dubio Columella lib. XII. cap. XXI: *musti cochlear cumulatum, vel simile genus poculi eius, quod est quarta pars cyathi*, quemadmodum & *ligula cumulata, mensura semuncia bene plena*. Cochlearia utem magnum duas tantum drachmas capit.

Vitia:] vitiaʒ item a. m. In Marcello desunt; *item aqua mutationes*. Vid. Comp. CXXV. cui hæc simillima.

Nardi Indici] Hunc India australis profert, ut autor Strabo lib. XV.

Casiæ ⚹ p. II.] Marcello etiam desiderantur. At tenuem vitiis eam conferre tradit Dioscorides lib. I. cap. XII.

Cumami] L. Cinnami, vt Comp. CXXVI monui.

Myrthæ stactes] Flexione Græca, quemadmodum Latina Stactæ Compos. CXXV. & Marcel. cap. XXVI.

C X L V.

Marcellus hanc non habet Compositionem.

Petroselini] Dioscor. lib. III. cap. LXXVII.

P. ÷] Sic typi quidem compendio Henricus Stephanus post Aldum. Ruellius vero sequutus haut dubie librum MS partem semissis octauam, nempe sex drachmas indicauit puncto supra lineam addito: quæ nullo apice signata, siue Græca siue Romana æstimatione paruo & innoxio heic ponderis discrimine, veterum plerisque vnciam denotat. Qualis etiam Compositione CXIII occurrit.

Z.] Huius notæ pondus medicis variat. Quibusdam enim significat sescunciam: plerisque octauam unciæ partem, siue Denarium. A quibus parum distat Petrus Ciaconius, qui Semisiclicum id est drachmam unam putat. Ex veteri tabella ænea, quam Marcus Velserus duumvir Augustanus ab Adolpho Occone habuit, Duellam refert, quæ tertia unciæ pars octonis scripulis terminatur. Etsi vero ad artis institutum rebus huisce legitime commixtis bini sufficiunt in vicem denarii, vero tamen est simile, mellis pondus heic non secus quam Compos. CXLIV. & CLIV. itemque aquæ, mensuram Compos. CLII. suscipere cum, medici arbitrio relictum fuisse, quandoquidem Compositio istæc non visa Marcelli æuo aliunde forsan accessit.

Croci ↄ] Lucas Pætus lib. v. de Ponderibus Romanis & Græcis legit: Croci pondo siclici quinque. Nec displicet hæc dictio, ut Compos. CLIII. Sed vulgata lectio satis perspicua. Siclicus autem est quarta pars unciæ seu Drachmæ duæ, ut Compos. LXXI ostendi. Cuius loco scripuli nota in editione Aldi & Henr. Stephani manifesto errore posita.

E e Aqua

C X L V I.

Aqua] *pota*. Marcel. cap. xxvi.

Traxi] Analogismo seu ratione, quæ ab euidentia auspicatur rei obscuræ faciens cognitionem, Galeni monitu Comment. 1. Progn. Hipp. Aph. vi. à simili ad simile, citra Logicam indicationem, ut docet idem ad Thrasybul. de opt. secta cap. x. & Comm. iv. Sect. xxiv. Hipp. de vict. acut.

Tuscia] f. Thuscia, melius. Ait enim Plin. lib. iii. cap. v: *A sacrifico ritu lingua Græcorum Thusci sunt cognominati*. Nimirum, ἀπὸ τοῦ θύειν, quod est *immolare* Varroni de retust. lib. ii. cap. iv. ut Dalechampius ad hunc locum post Seruium in X Æneidos aduertit. Inde Columella lib. x. de re rustica:

—— tempestatem Thuscis advertere sacris.

Legendum, *auertere*. Vox tamen ista non admodum probæ notæ: siquidem Paganinus Gaudentius multiplicis doctrinæ vir prolixa dissertatione ante Constantini tempora minime usurpatam putabat; Vossius etiam De vit. Serm. lib. i. cap. vii. Plinii temporibus ignotam. Nec sane prius vidi quam in Antonini Augusti Itinerario. Quid si legatur, in Thuscis? Ita Varro de ling. Lat. lib. iix. Quo modo Seneca de Consolat. ad Heluiam cap. vi: *Tuscos Asia sibi vindicat*. Non renuo: quum procliue fuerit calamo unius litterulę ductu aberrare. Nec novum animaduerti *a* pro *s* positum prisci characteris affinitate. Scio equidem in omnibus libris cum editis tum calamo exaratis bibliothecæ Vaticanæ apud Varronem de lingua Lat. lib. iv. scriptum: *Etruria, & Tuscia*; Iosephus Scaliger autem in Coniectaneis integra sententia *Tusci* reposuit. Nec ab eo dissentit Philippus Cluuerius primi nominis Geographus Veteris Italiæ lib. ii. cap. i. Seruius profecto Grammaticorum eruditissimus in X Æneidos rationem reddidit: *Tusci à frequenti sacrificio sunt dicti* ἀπὸ τοῦ θύειν*, unde Tuscos populos bene dicimus. Tusciam vero non debemus dicere, quia nequaquam in idoneis auctoribus legitur. Sed Etruria dicenda est ab Etrusco principe*. Festus pariter Tuscos à Tusco rege Herculis filio dictos docuit. At sui velut immemor Poetæ interpres in Æn. iii. duodecim populos Tusciæ nominat. Et in X ait: *Liguria cohæret Tusciæ*. Item: *Corithus est ciuitas Tusciæ & mons*. Verum popularem heic sermonis rationem sequutum credimus, cui nec auersior de Pallio cap. ii. Tertullianus. Scribonium vero eiusdem quandoque census, iam in confesso est.

Vesicatiæ,] Sic etiam cap. xxvi Marcellus. Plinius in hunc modum lib. xxi. cap. xxxi. de Strychno: *Halicacabum nostri vocant Vesicariam, quoniam vesicæ & calculis prosit*. *Vesicatoria* perperam Gabriel Fallopius de Aquis thermalibus cap. x. & Andreas Baccius de Thermis lib. vi. cap. iii. ubi temporum varietate obscuratas fatetur; quas unius Scribonii indicio vesicæ priuatim conferre tradit lib. iii. cap. iii.

Gracchi prætorii] Scribe, Gracci, autoritate Varronis in Fragmentis incertis; quem Terentius Scaurus de Orthograph. memorat non aspirasse hoc nomen, quod primus Graccus à gerendo sit cognominatus, aut à gracilitate corporis. Ratio parum quidem valida, sed quam probant viri eruditi Baptista

Egna-

Egnatius Racemationum cap. x. & Ioannes Scoppa Collectan. lib. 1. cap. 1. Gracchi prætoris autem Tiberii temporibus meminit Cornel. Tacitus Annal. lib. VI. Alter Marcellus cap. XXVI: *Brochi prætoris, hominis optimi, ad quinquagesimum ab urbe lapidem.* Qua formula Varro de re Rustica lib. III. cap. II: *Nostri materteræ meæ fundum in Sabinis, quæ est ad quartum & vicesimum lapidem via salaria à Roma.* Satis audacter, sententia prorsus noua. Sed præter necessitatem. Neque enim fidem excedit Gracchi casus satis explicate narratus. Nec Brochus ille notior quam Brocco declamator apud Senecam lib. II. Controuers. IX. Ideoque Ianus Cornarius Marcello Scribonii verba optime restituit in veteri MS: quæ tamen postea induxit. Hieronymus Mercurialis etiam Var. lect. lib. 1. cap. XIII. à Marcello non est alienus, quando eiusmodi aquas Centum Cellis fuisse opinatur, cuius loci ea ferme, quæ apud Marcellum, est ab urbe intercapedo. Lapis enim passus mille signabat: qualis etiam Romæ in Capitolii area elegantissimus videtur. Latinis etiam cippus. Qua ratione Valerius Probus *ad tertium cippum* audiendus. Nec viro perspicacissimo valde repugno. *Centum Cellis* enim *Ciuitas vetus* hodie suffecta in Tuscia per viam Cassiam quinquagesimo ab urbe lapide sita est: cui vicini montes ferrati; ubi etiam aquæ salubres earumdem virium, quæ heic deprædicantur. Aquæ nimirum ferratæ adstringendo roborant, purgant, & refrigerant. Qua ratione Iulius Cinus Apologia in Horatium Augenium Calculum ceu terreum, à calore & siccitate compactum frigidis atque humidis soluendum contendit. Locum à Pyrrho Ligorio delineatum ferunt. Eius autem labore destitutis rogatus à me sua diligentia subuenit oppido Lucas Holstenius vir, si quisquam, boni publici studiosissimus. Etsi vero Procopii & Antonini computatione Centumcellæ XLVII milliaribus ab urbe distant, atq; hinc Aquæ Tauri lapide tertio, quæ simul quinquagesimum conficiunt: nihil tamen impedit, cur Brocchus, seu malis Gracchus, tunc fundi dominus, tam efficacem earum expertus fuerit usum, ut ab eius aquæ potu ad quinquagesimum usque lapidem diuersis vicibus excreuerit per fragmina, quorum Comp. CLII mentio. Nec sane *redditis* notione aliud colligere licet. Verba enim Plinii sunt de Auibus lib. x. cap. XLVII: *Inter aquaticas mergi soliti sunt deuorare, quæ ceteræ reddunt.* Plures enim quam quinquaginta in vesica defunctorum inuentos prodit Ioan. Schenckius lib. III. Obseru. CCLIX, & oculatus testis est Rodericus Fonseca de Calculo lib. I. cap. IV. Zacurus Lusitanus admir. prax. lib. II. obseru. LIIX. narrat decem dierum spatio calculos quinque & sexaginta ciceris forma & magnitudine redditos. Cardanus etiam de eriot. medic. refert Paulum Canobium Mediolani calculos renum, tanquam pueri vermes, egessisse. Mattonarii trecentis uno impetu calculis per urinam redditis sanam porro vixisse, memorat Clarissimus Vir Nicolaus Tulpius Obseru. medic. lib II. cap. XLVII. Mulierem quoque assumpta cum spiritu vitrioli aqua graminis supra quadringentos cum urina calculos duorum mensium spatio excreuisse prodit Dominicus Panarolus Obs. XXXIV. Par. II. Memini ego Patauii statæ ætatis viro triginta non exiguæ magnitudinis lapides felici successu exemtos. Paulo Mazoldo paucis abhinc annis febre sublato calculi sine vehementi dolore sponte prodierunt frequentissimi. Addo, aquas hasce non esse vesicarias, nec po-

tui; sed neruorum vitiis, ulceribus, cutisque turpitudini, aliisque malis ab intemperie iecoris prodesse. Hæc autoris utique mihi semper visa fuit sententia. Suo tamen quisque sensu abundet. Quod si quis de loco accipiendum contenderit, Viterbo paris ab urbe intervalli, cuius aquæ calculosis & vesicæ malo vexatis deprehenduntur salubres, cum Holstenio non inuitus idipsum concesserim. Roma enim Viterbum hæc viæ Cassiæ interualla sunt. Ad pontem Moluinium M. P. III, ad Sextum III, Veios VI, Baccanas IX, Sutrium, XII, Vicum Martini, VII. Forum Cassii, IV, Inde ad thermas Viterbienses, VI.

Hominis optimi] Testimonium probitatis in Tacito, qui ait; *multitudine periclitantium subactus retulit ad senatum*.

CXLVII.

Apii seminis,] Marcello desunt. Hoc autem Dioscoridi lib. III. cap. CLXXIV. ἐρητικώτερον, *vehementius urinam pellit*.

Maluæ seminis] vesicæ cruciatus lenit. Dioscor. lib. II. cap. CXLIV.

Cucumeris edulis seminis] id est, satiui, quod μετρίως οὐρητικὸν fatetur Dioscorides lib. II. cap. CLXIII. temperate urinam mouere, & vesicæ exulcerationibus prodesse.

Amygdalorum dulcium] Hæc mensis quidem apta monet Dioscorides lib. I. cap. CLXXVII. & amaris minus efficacia in remediis, οὐρητικὰ tamen pronunciat. Inde Quirici de Augustis parum constans animaduersio, quando notat amygdala simpliciter amara significare, quoniam dulcia sunt edulia.

Aquæ] *tepidæ*, Marcellus. Potius calidæ, ut Compos. XIII. & CXXI. Tepida enim ad vomitum inuitat. Qua etiam de causa Celsus lib. I. cap. XIX. egelidam proponit.

CXLIIX.

Palmas cariotas P triginta] Marcellus: *palmas cariotas* XXX. Legendum, palmæ caryotæ numero triginta. Nam Dioscoridi lib. I. cap. CXLIX. Καρυωτίδες Ioanni Antonio Saraceno sunt *Caryotæ*, ut & Varroni de re rust. lib. II. cap. I. aliis interpretibus *Cariotæ*. Apud Strabonem lib. XVI. legitur φοίνιξ καρυωτός. Porro Καρυωτοὶ, ut est apud Galenum de Alim. fac. lib. II. cap. XXVI, succo pollent, qui habet lentoris quidpiam. Ideoque exulceratæ vesicæ non minus conuenit, quam faucium asperitati. Prisci autem notis utebantur: quomodo & hodierna consuetudine N compendio numerum significat. Qua ratione Græcum Ρ à Langobardis bonorum quorundam scriptorum possessoribus Latinis insertum literis, posteaquam temperaturæ cum imperio literarum vices. Argumentum eius rei in bibliotheca D. Laurentii Medicea Florentiæ volumen decumanum visitur Latino quidem sermone, verum charactere Græco & Romano permixte in charta exaratum titulo Quæstionum Theologicarum. Sed Incerti. Similiter in veteri monumento Panormi: ΒΗΝΗ ΜΗΡΗΝΤΙ ΦΗCΗR *Bene merenti fecer*. Ex quo curiosis liquido constat, qua modulatione veteres literam E protulerint. Cuius diuersitatem patefacit gente & nomine,

mine Romanus Κορνήλιος Πῦλχερ apud Plutarchum Lib. De capienda ex inimicis voluptate. Est quoque in Thermis Himeteorum: CORNELIVS EPAΦRVITVS. Et Regii Brutiorum: FABIA SPERATA SAΛΛVSTIS. Λ pro L, peruetusti seculi vestigiis. Pariter in tessera ossea penes me spectaculis olim dicata Π Græcum loco P Romani sculptum. Nam Tacitus Annal. lib. XI. diserte: *Forma litteris Latinis, quæ veterrimis Græcorum*. Tales forsan apud Plin. lib. XXXV. cap. X. *antiquæ litteræ Latinæ*. Cuius generis quidpiam si occurrisset Henrico Stephano cetera diligentissimo, huius characteris loco P Compositione CXLIIX, & CLXXVII *pondera*, præter artis, quam non callebat, legem neutiquam reposuisset.

Sextarium unum] Scriberem, Sextario uno, nisi vulgatam lectionem suspicarer eadem ratione, qua Plautinum illud Amphitr. Act. I. Sc. I. *in mentem fuit*, A. Gellio lib. I. cap. VII, probari posse. Attamen Marcellus bene, *Sextariis duobus*. Nam reliquæ molis maceratio ac tritura non minus exigit.

Nucis iuglandis] Varro de lingua Lat. lib. IV: *Nux iuglans, quod hæc nux antequam purgetur similis glandi. Hæc glans optima & maxima, ab Ioue & glande iuglans est appellata*. Marcello Empirico cap. VI. est *nux escaria*.

CXLIX.

Aluminis fissi] Alumen scissile rotundo efficacius indicat Dioscor. lib. V. cap. CXXIII.

Tragacanthum] Dioscor. lib. III. cap. XXIII. similiter cum scissilis aluminis exiguo ad renum dolorem & vesicæ rosiones commendat.

Victoriati pondo huic viciæ m. d.] Marcellus: *ad denarii semissem, vel tertia detracta, datur ex passi cyathis tribus*. Verum nihil causæ cur à Scribonio discedam, quandoquidem viciæ pondus à tertia victoriati parte non multum dissidet. Marcello autem particula *vel* redundat.

C L.

Ad initia vetustaue comprimenda & emendanda benefacit] Dubito num hæc Scribonii fuerint. Adeo sunt insipida, nec à glossemate aliena. Hoc itaq; initium esto, Ad calculosos herba &c. Nec Marcellus aliter.

Herba σκολοπένδριον] Signate. Nam & Σκολόπενδρα siue σκολόπενδρος, animalculum est marinum, Dioscoridi lib. II. cap. XVI. notum, quod Vlysses Aldrouandus Histor. Serpent. lib. I. cap. XXI. depinxit: non tamen cum Galeno de usu part. lib. III. cap. II. multorum pedum censuit; nisi amethystini coloris intelligas. Herba vero σκολοπένδριον Diosc. lib. III. cap. CLI. à similitudine animalis Scolopendræ, quam foliis refert, *Scolopendros* Marcello cap. XXVI: Æginetæ lib. VII. cap. III. *Asplenum*, Oribasio Coll. XI. *Hemionium* ex Dioscoride, Scribonio est Calcifraga, quod ex mente Dioscoridis calculos in vesica comminuit, Marcello item *Saxifraga*, quoniam de saxis erumpit; Matthiæ Lobelio *Crithmum*, Plinio lib. XXVI. cap. XV. *Crethmos*: quod urinam prouocat, autore Dioscoride lib. II. cap. CLVII. *Ceterach* & *Lingua ceruina* officinis.

Di-

Diuersa longe sententia Plin. lib. xxvii. cap. 11: *Empetron* (alii, ut Salmasius in Solinum, Empetros) *quam nostri calcifragam vocant, nascitur in montibus maritimis, fere in saxo.* Huius forsan autoritate, ubi apud Dioscoridem lib. iv. cap. clxxxi ἐμπετρον, Latinus interpres lemmati addidit, *seu Calcifraga.* Pituitam vero & bilem trahere dicitur. Empetron phacoides igitur Iacobus Dalechampius, & Ioannes Bauhinus in Historia generali Stirpium vere Thymelæam foliis acutis, succisæ capitulo intellexere. Plinius autem discedit à Dioscoride, quando ait: *Recens urinas ciet decoctum in aqua vel tritum, calculosque frangit.* Quod Adianto tribuit Dioscorides lib. iv. cap. cxxxvi. Postrema tamen Plinii verba huic desunt cap. clxxxi. imo quibusdam Dioscoridis codicibus caput hoc desiderati animaduertit Ioan. Ant. Saracenus. At diuersum eiusdem vocis usum optime Salmasius in Solinum excusat, quod calcifragæ aut saxifragæ nomen omnibus ex æquo herbis conuenire possit, quæ in saxis nascuntur, vel calculum frangere possunt.

Belle facit] belle facit. Vid. Comp. 1.

Triginta, eodem] triginta. Eodem.

ἱερα] Ald. & Steph. ἱερὰ βοτάνη. Marcell. *Hierabotane*. Sic etiam Apuleius de vir. herb. cap. 1. Vtrumque modum Iosephus Antonius Gonsalus Comment. in Petronium admittit.

Vettonicam] Rembertus Dodonæus Histor. Stirp. Pempt. 1. lib. v. cap. xxxiv. monet hanc vocem librariorum negligentia irrepsisse pro Verbena, quæ ἱερὰ βοτάνη. Et sane apud Marcellum cap. xxvi. est *Verbenaca*, quam appellationem Italis adscribit Apuleius de vir. herb. cap. iii. editionis Aldinæ, qui etiam Vettonicæ meminit editionis Parisinæ cap. 1. *Verbena* ibidem in lemmate cap. iv. Vetonica tamen, quæ aliis Betonica, consistentes in renibus calculos rumpere ac pellere creditur, veluti notat Galenus de Simpl. facult. lib. vii. Nec à Vetonica discrepat Æginetæ Βετ͂όνικη, quam lib. vii. cap. iii. describit, renibusque conferre tradit, sed à Romanorum Bettonica & Cestro Dioscoridis forma plane discernit. Cestron autem Dioscorides lib. iv. cap. 1. esse Romanis Betonicam, & post Galenum loco pridem nominato affirmat Ætius Tetr. 1. Serm. 1. itemque Oribas. Coll. med. lib. xv. quæ Nicolao Myrepso de Antidotis Sect. 1. cap. xi. ψροσίζοτων: quanquam Galenus etiam de san. tuenda lib. v. cap. v. distincte nominet. Sed Vetonicæ quoque altilis ac siluestris succum Fuchsius calculo terendo & educendo aptum censet. Quidni ergo vulgata Scribonii lectio retineri poterit? Ita putarem omnino, suspicatus Græcum nomen aliunde accessisse, nisi iam ipsum in Marcello viderem. Miror sane hanc appellationum confusionem non animaduertisse Ioannem Ruellium rei herbariæ satis peritum, quum primus Scribonium emitteret. Equidem, si Verbenæ quis eam mihi potentiam interiorem confirmauerit; interserta et particula, siquidem Hieraborane sine ulla expositione Comp. clxiii. nominatur, vel sine hac Paulum sequutus, libris hactenus excusis audacter adhærebo. De Vetonicæ nempe dotibus inter omnes conuenit. Quas etiam Verbenæ concedit Plinius lib. xxvi. cap. 11: *Ad calculos quidam Vettonicam, & Verbenacam, & millefolium æquis portionibus ex aqua pro singulari remedio bibere suadent.* Huic plane similis Æmilius Macer, licet suspectæ vetustatis autor cap. de Verbena:

Her-

Herbam cui nomen foliis de mille dedere,
Betonicamque pari Verbena pondere iunge.
Hæc mixta potantur aqua, nullum medicamen
Vtilius credunt illis, quos calculus angit.

Subscribit Apuleius de vir. herb. cap. III. editionis Aldinæ: *Verbenaca radix contusa ex mulso optimo tepide data incredibiliter calculosis succurrit.* Verbenam porro esse Hierabotanen patet ex Dioscoride lib. IV. cap. LX. siquidem περιστερεῶν Capite sequenti Ἱερὰ βοτάνη, qui in expiationibus sit ad amuleta perutilis. Inde Plinius forsan lib. XXV. cap. IX: *Nulla Romana nobilitatis plus habet, quam Hierabotane. Aliqui Peristereon, nostri Verbenacam vocant.* Marsilius Ficinus etiam de Immortalitate animæ lib. IV. cap. I. dicit Hierabotanon Medicorum diuinationibus conferre.

Dicimus, item] dicimus; item &c. Hæc postrema in Marcello desiderantur, nec obscuritate ac redundantia vacant, utcunque interpungantur. Absit enim Scribonium putemus inaniloquum.

Genete] legendum credo, pondere. Nisi modus idem intelligendus, veluti Comp. CXXII.

Tantum, licet] tantum. Licet autem utraque earum uti c. i.

Ieiunum] vir doctus magis probat, ieiuno. Sic enim lepidissimus Poeta lib. IX. Epigr. XII:

Nobis non licet esse tam disertis.

Hoc autem Græcæ consuetudinis est; illud Latinæ, à qua Scribonium nolim abduci.

C L I.

Cai Iuli, nasci] *Casilini nasci.* Marcell. cap. XXVI. Sanior hæc Scribonii lectio: Multos cum admiratione effectus audiui narrantes, Cai Iuli, nasci in lapidicinis &c. Callistum enim illum ipsum, quem in principio & fine operis, heic ad maiorem attentionem fidemque compellat: in cuius nempe gratiam librum concinnauit. Nec tarum adeo hoc animalculum, quod oniscum crediderim à Scribonio Comp. XXXIX. laudatum, ut ei sine loci natalis mentione affecta foret fides, ac si Casilinn esset peculiare: cuius oppidi meminit Strabo lib. V. Malo tamen *in lapicidinis*; ut ut Festo *Lapidicina, ubi exscinduntur lapides.* Varro enim de ling. Lat. lib. VII. ait, *Qui lapides cadunt, lapicidas dici.* Proinde lib. IV legendum *Lapicidinæ*, secus quam in melioribus libris hactenus calamo typisque sctiptis vidimus. Eundemque modum tuetur Fridericus Taubmannus apud Plautum Captiu. Act. IV. Sc. I. autoritate MSS. pariterque Io. Gerardus Vossius De vit. Sermon.

Verrucas:] *verruculas.* Marcell. Quo etiam Diminutiuo Columella delectatus lib. VII. cap. VI.

Has quinque e. a.] Marcell. *has datas tritas e. a.* Lege: *has tritas datas e. a.* vel, si Scribonii lectio placet; harum quinque tr. d. &c. quanquam & vulgatissima seruari possit, si intelligis, *numera.*

Suffundere] *findere.* Marcellus. Quid si fuerit initio *diffindere.* At enim vulgaris etiam lectio sibi constabit, si bestiolæ lapidem subducunt.

Lapides certum est,] Marcellus addit, *de vesica*. Scribonius quoscunque rectius innuit. Sed maxime Renum, de quibus Comp. CCXV. Vesicæ enim calculus vix deducitur, nisi perexiguus, aut nondum concretus. Difficili urinæ animalculum hoc ex vino auxiliari testatur Dioscorides lib. II. cap. XXXVII. cuius etiam cum oleo cocti usum ad inueteratum capitis dolorem pro illitu Galeni autoritate præcipit Æt. Tetr. II. Serm. II. cap. XLIX. Attenuat enim, digerit, ac deterget.

C L I I.

Æt. Tetr. III. Serm. III. cap. XI II. Andromacho ad calculosos hanc tribuit antidotum.

Ad calculosos, cucumeris] Ad calculosos. Cucumeris seminis *decorticati*, Æt.

Apii] Omisit Galen. de Comp. med. sec. loc. lib. X. cap. I.

Myrrhæ] ad odorem, ut monet Gal. de Comp. med. sec. loc. lib. IX. cap. IV. vel ad maiorem penetrationem, quam innuit idem lib. VI. cap. I.

Singulorum ✱ p. trium & victoriati,] *Drach.* VI. Galeno: *sesquidrach.* Ætio.

Casiæ, daphnidis,] casiæ daphnitidis, ut Comp. CCXXIX. & post Galenum Marcellus cap. XXVI. De qua Dioscorid. lib. I. cap. XII. *ab Alexandria negotiatoribus Daphnitis appellatur*. Vt ingenium circa hunc locum frustra occupauerit Adr. Turneb. Aduers. lib. XVII. cap. XVI.

Nardi,] *Celtica*. Gal. & Æt.

✱ p. unius,] *singulorum drach.* IV. Gal. *sesquidrach.* Æt.

Dantur] *ieiunis*. Galen. & Æt.

Per dies quadraginta] Hunc ipsum dictum numerum præscripsit Dioscor. lib. III. cap. CLI. & lib. IV. cap. XIV. Pseudo-Macer etiam de Chamomilla, quam verius Chamæmelon dixerim:

Plinius affirmat hanc quadraginta diebus
Vnaquaque die bis sumtam pondere drachma
Cum geminis cyathis vini subtilis & albi,
Cum lotio sensim totum purgare lienem.

Atqui Natural. Hist. lib. XXII. cap. XXI. nihil huius generis exstat. Galenus & Ætius habent *dies triginta*.

Componitur,] *quadam religione*. Gal.

Pilum ligneum fit, qui contunditur, anulum ferreum non habeat,] Lege: pilum ligneum sit: qui contundit, a.f.n.h. Sic ego priusquam inspicerem Marcellum. T vero finale minus aliquando librarii vitio productius passiuam terminationem refert. Coniectutam hanc Fortunii Liceti Viri acutissimi iudicio quum subiecissem, pro candore suo libere monuit, se non ignorare nihil in me dendo veteribus religione frequentius, attamen hoc loco subesse nullam. Sed factum id ad munditiem, ne anuli attritu scobs ligno decideret; forsan & commoditatis gratia, ne anulus tundenti esset impedimento. Hæc quidem ingenuose: verbis tamen Scribonii disertis nihil facile detraxerim. Nam & similem ritum veluti sacrum se à rustico accepisse memorat Galenus de Compos. med. sec. loc. lib. X. cap. I. Ætius quoque mysterii modo habendum præcipit,

pit. Nec aliam credo mentem fuisse Marcello cap. xix. quando ait: *Lapathi agrestis radices surculo erue, easque sine ferro contunde.* Item, *lapathi agrestis radix sine ferro tundenda.* Et Apuleio cap. xxv. *Chamædryn contusam de ligno potui dato.* Sic enim legendum, non *data*, ut in editione Parisina. Plinio de re medica similiter lib. i. cap. xx. *Cardui agrestis radicem ante solis ortum palo ligneo effodies, tundes ex ligno roboreo.* Anulum vero ferreum servis fuisse peculiarem nemo paulo humanior ignorat; eiusque conditionis veterum seplasiarios. Qualis & unguentarii servus Comp. cxiix. & Atimetus Comp. cxx. Lacedæmonibus quidem fortitudinis argumento decorum fuisse ostendit Regius olim Hafniæ professor Nicolaus Cragius lib. iii. de Lacedæm. legibus. Romanis etiam initio non vilescebat, quando ex Plin. lib. xxxiii. cap. i. *Anulus in digito ferreus erat æque triumphantis & servi.* Isque unus non ornatus, sed signandi causa, ut notat Macrobius Saturnal. lib. vii. cap. xiii. Quem solis postea servis relictum credibile est, quum senatus sententia servos à liberis cultus distingueret: postremis etiam temporibus. *Nam & anuli ferro fiunt*, inquit Q. Sept. Florens De cultu femin. lib. i. cap. iv. Æneos quoque fuisse, ostendunt bini apud me probatæ vetustatis anuli; quorum alter viridi colore, alter ferrugineo tam probe infectus, ut ferreum diceres. Bitumine forsan tingebantur, velut ferrum apud Plinium lib. xxxv. cap. xv. Quod etiam in nummis quibusdam æneis deprehendi. Id nempe genus maiori compendio promtum erat conflari, quam ex ferro, quod ipsum colore simulabat. Vnum è tot vetustatis reliquiis non multis forsan visum inter mea rariora servo Matthæi Calotti Patavini notæ fidei artificis munere ferreum; cui ex auro simillimum larda simulacrum referente ornatum Nicolaus Heinsius Romæ paravit. Meo aureum ferrum vulgari nostro longe purius ferruginisque expers. Nec tamen alienum fortassis fuerit, quod suspicatur M. Aur. Severinus, consueta Scribonii verba de pilo accipere, modo particula *qui* sit instrumenti nota: cui pari superstitione ferrum negari video. Sed hæc accuratiori filo exspectamus à Francisco Bernardino Ferrario, interiorum literarum mysta, qui eruditum & copiosum prisci anuli apparatum in scriniis habet. Galenus & Ætius addunt pilam ligneam; nec admittunt calceamenta clavis ferrata.

Ambrosius Medicus Puteolanus] Scribonio hic famam debet, ignotus ceteris, præter Marcellum Largi æmulum à Iul. Cæsare Capacio Historiæ Neapolitanæ lib. ii. cap. xxiv. eo nomine frustra memoratum. Qui fortassis artem suam commendavit superstitione, ut propinqua religioni, cuius Romana gens erat observantissima. Puteolis autem ingens procul dubio medicorum erat numerus, quum ad aquas calidas vicinasque Baias valetudinis & deliciarum causa plurimi confluerent.

Quasi arenam.] Vide Compos. cxliv.

Post diem septimum] Veterum de hoc numero plures nugas manifestat Galenus de Diebus decretoriis lib. iii. cap. xi.

CLIII.

Ad calculosos, lienosos, hydropicos, u. d.] Ad calculosos, lienosos, hydropicos.

Vrinam detrahit, lapidem extenuat.

Eryngii,] Huius radix urinas mouet Dioscoridis autoritate lib. III. cap. XXIV.

Saliuncæ,] Glossa vetus: *Saliunca*: Ἀγριόροδον, Λευκόροδον. Quid autori sit ea, patet Comp. CXCV, & CCLIIX. De qua Plinius lib. XXI. cap. VII: *Pannonia hanc gignit & Norici, Alpiumque aprica: urbium Eporrhedia, tantæ suauitatis, ut metallum esse cœperit*. Sic lib. XXVII. cap. IV. de Aloe: *fuere, qui traderent in Iudæa super Hierosolymam metallicam eius naturam*. Iacobus Dalechampius istæc de vectigali publico intellexit: Gaspar Hofmannus Var. lect. lib. III. cap. III. ingeniose traxit ad inuestigationis diligentiam; siquidem *Metallum* ἀπὸ τοῦ μεταλλᾶν ab inquirendo proprie dicitur, quod propter usum studiose quæritur. Adde, quod Metallum Ennodio quidquid è terra nascitur; unde & Manilio fruges, quæ eadem terra proueniunt, qua etiam metalla; ut notat G. Barthius Aduers. lib. X. cap. XI. & lib. V. cap. XXIII.

Calcifragæ] Marcell. *Saxifragæ*. Priorem lectionem confirmat Comp. CL. Sed utriusque vis eadem.

Ebuli] Radicem in vino decoctam hydropicos adiuuare scribit Dioscorides lib. IV. cap. CLXXV. itemque aquas aluo detrahere.

Aristolochiæ] Plin. lib. XXV. cap. IIX: *Inter nobilissimas* (herbas) *Aristolochiæ nomen dedisse grauidæ videntur, quoniam esset* ἀρίστη λεχώσαις. *Nostri malum terræ vocant*. Vbi Salmasius in Solini cap. XXXVII. emendat ἀρίστη λοχείοις quanquam & Dioscorides vulgatus lib. III. cap. IV. habeat: ἄριστα βοηθεῖν ταῖς λοχείαις. Apuleius de vir. herb. cap. XX. quidem hoc modo notat Latine appellari. Sed usu forsan, non origine. Hanc enim ab inuentore Aristolocho deriuatam tradit Cicero de Diuinat. lib. I. Victor Trincauellius de curat. part. lib. II. cap. XI. Arthanitam putat, deceptus forsan similitudine appellationis, quandoquidem Cyclaminus apud Plinium lib. XXV. cap. IX. tuber terræ vocatur, sicut Aristolochia malum terræ.

Singulorum ✱ p.] *Denarios quinos*. Marcellus.

Oxymyrsinæ] *Oxymyrsines*. Marcellus. Quod probo. Est enim ὀξυμυρσίνη quasi acuta myrtus. Quo nomine myrtum siluestrem appellari scribit Plin. lib. XV. cap. VII. ubi easdem ipsi post Dioscoridem lib. IV. cap. CXLVI. vires tribuit, quas heic Scribonius.

Scopa regia] Sic etiam Marcellus cap. XXVI. Numquid ob communem usum, veluti via regia, vel quod M. Aurel. Seuerini coniectura detergendis laquearibus regiis conferat? Glossa vetus: *Scopa regia*, σιδηρῖτις, Ϛοτάνη. Lege Σιδηρῖτις, ex Dioscoride lib. IV cap. XXXIII. cuius exemplo Plinius etiam lib. XXV. cap. V. *Sideritis*. Hæc autem Fuchsio in Iconibus Sideritis latissima, G. Bauhino Plin. lib. III. Sect. I. Eruca lutea latifolia, seu Barbarea. Ceterum Oxymyrsine Ruscus est. Plinius enim lib. XXIII. cap. IX: *Castor oxymyrsinen myrti foliis acutis, ex qua fiunt ruri scopæ, Ruscum vocant*. Scopis numerum singularem negat quidem Angelus Politianus Miscellan. cap. XX. Iis pariter, quæ feminina perpetuo pluralia iungunt Diomedes lib. I. Donatus de Generibus Nominum, & Consentius de Nomine. Imo, pluralia singulariter efferri, vitiosum affirmat Quint. Inst. Orator. lib. I. cap. V. Sic addit Plinius: *Nostri eam, quæ est latissimo folio, scopas regias vocat*. Vsus tamen institutis potentior. Hinc Var-

ro

ro de ling. Lat. lib. IX: *Scopa dicitur una scopa.* Quæ lectio si vera, qualem dedit Iosephus Scaliger, minus recte Grammatici posteriores hanc vocem inter eas reponunt, quæ per numeros barbaræ. Hac etiam flexione Cælius Symphosius Ænigmate LXXIIX. Scopa.

In filiis genita, & laqueo connexa tenaci,
Iuncta solo plano, manibus compressa duabus,
Ducor ubique sequens, & me quoque cuncta sequuntur.

Quid multa? Huius generis plura videantur apud eruditissimum Vossium De Analogia lib. I. cap. XLIII.

Succo] Annon, *succi hemina. Hæc omnia contusa ligno colliguntur ex aqua. Fiunt pastilli* &c. Sic Marcellus, qui heic variat, Verba tamen Scribonii plana, si legantur: o. q. s. r. v. S. h. o. c. ligno colliguntur. F. p. Non ut H. Stephan. contusa, ligno colliguntur.

Illecebræ] Dioscor. lib. IV. cap. XCI: *Tertium videtur semperviui genus, quod aliqui Portulacam agrestem aut Telephium vocaverunt, Romani Illecebram.* Plinius paulo clarior lib. XXV. cap. XIII: *Sedum minus in muris parietinisque nascitur & tegulis. Huic similis est, quam Græci Andrachnen agrian vocant, Itali Illecebram,* &c. Ætius Tetrab. IV. Ser. I. cap. CXXIII. *Sempervivum minus, quod Romani Illecebram vocant.* Huius etiam Galenus meminit de Comp. med. sec. loc. lib. V. cap. XI.

Auriculæ murinæ] Marcellus legit: *aut testa auriculæ marinæ.* Quid vero auricula marina? Credo scriptum fuisse, *conchulæ marinæ*, ad discrimen conchæ maioris; Concha vero minor capit cyathi dimidium, seu binas aridorum ligulas, quæ sex drachmas cum duobus scrupulis efficiunt. Quænam vis enim auriculæ murinæ ad hæc vitia? Dioscorides lib. II. cap. CCXIV, ubi μυὸς ὦτα, solum ad ægilopas eam commendat; Plin. lib. XXVII. cap. XII. similiter, quoniam septica & exulceratrix. At Dalechampius recte malunt *Styptica.* Nam siccat ordine secundo, sine manifesta caliditate, modo credendum Galeno de Simpl. fac. lib. VII. Oribasius tamen Coll. med. lib. XV. putat aqueæ & frigidæ naturæ, ideoque refrigerare citra adstrictionem. Betonicæ usum longe certiorem ostendit Dioscorides lib. IV. cap. I. & Galenus, cui de Simpl. fac. lib. V. cap. XIII. minus calida, renibus utilis de Ther. ad Pis. cap. IV. quorum calculos rumpit, de Simpl. fac. lib. VII.

Decoquitur, inde] decoquitur. Inde f. c. t.

Nitri] Renatus Moræus Lutetiæ Regius professor celeberrimus candide monuit opinari se legendum *vitri*. Nec dissentio, modo ustum intellexerit: quanquam eius etiam simplicem trituram pro dentifricio poscat Scribonius Comp. LX. Illud enim minus calidum urinam provocat Galeno autore de Simpl. fac. lib. V. cap. XIII. Quale procul dubio Æginetæ desideravit, quando lib. VII. cap. III. ait tritum & cum vino tenui & albo potum calculos vesicæ atterere. Sed aliena fide id refert. Ætius Tetrab. I. Ser. II. cap. XXXI. tenuissime tritum asseverat eos potenter confringere. Nec dubito quin conducibile fuerit, maximeque Augustanorum placito cinefactum. Ideoque Antonius Guainerius ævi sui medicus percelebris de Calculi pass. cap. IX. iure laudat. Nitrum tamen cur excludamus causa urget nulla: siquidem crassos lentosque

humores attenuat, ut monet Galenus de Simpl. fac. lib. v. cap. xii. satisq; detergit, velut addit Meth. med. lib. iix. cap. xiv. datur etiam hydropicis, ut notat Plin. lib. xxxi. cap. x. imo, quod lib. xxxvi. cap. xxvi. maiorum fama se fatetur accepisse, vitio præbuit originem. Nitrum vero præparatum, quod hodie fixum appellamus, ut purius, ita & efficacius arbitror. Cuius inuentio ut priscis reddatur, en claram eius rationem apud Plinium lib. xxxi. cap. x. *Sal nitrum sulfuri concoctum in lapidem vertitur*.

Datur p. i.] Marcellus ponderis non meminit. Et vere. Hoc enim ex præcedenti contextu videtur per incogitantiam surrepsisse.

Mulsi mixti] Quod non mel acum, sed ex melle, aqua, & vino simul coctis paratum.

CLIV.

Ad lumborum dolorem diutinum, & Paralysin.] Rectius Index: Ad lumborum dolorem. Quod vero hanc & sequentem compositionem Marcellus in unam cogit, Compositioni clv. & clvi. magis conuenisset ob argumenti similitudinem.

Dolorem, cucurbitæ] dolorem. Cucurbitæ silu. fl.

Floccorum] Crederem legendum foliorum, nisi consentiret Scribonio Marcellus cap. xxv. Quid vero flocci? Lanuginem forsan seu teneros fructus innuit; quemadmodum Ouidius Elegia in Nucem per vellera teneriores fructus lanugine ac villosa pube vestitos. Floccos autem ouibus proprios constat ex Varrone de re rust. lib. ii. cap. xi. Plinius etiam Valerianus lib. ii. cap. xi. & xvii. floccum lanæ dixit. Lumborum dolor quid significet Comp. lxxix monui. Nec ab ea sententia recedit Dioscorides, qui lib. iv. cap. cliv. de cucumere silvestri, ἰσχιάδι δὲ τὸ ἔγκλυσμα. Quæ interpres diuerso quidem ab autore ordine, sed vere, traduxit: *Ischiadicis infunditur*. In MS enim ἰσχιαδικῶν legit Gaspar Gabrielius Patauinus priori seculo Ferrariæ non vulgaris doctrinæ professor medicus. Nec aliter membranæ in bibliotheca Vaticana. Qua ratione Hieronymus Bagolinus: *Decoctio ischiadicis infunditur*. Sic Dioscorides lib. i. cap. xxxv. ὠφελεῖ ἰσχιαδικούς. Hoc modo in Dioscoride quodam MS. lib. iv. cap. cliv. Gabrielius reperit: ἐπιτεθεῖσα ὠφελεῖ ποδάγρας: quod in vulgatis, καταπλασθεῖσα ποδάγρας διαφορεῖ. Nec inepte; quoniam partium est tenuiũ apud Galenum de Comp. med. sec. loc. lib. iii. cap. i. Est & in meo codice veteri ἰσχιάδων. Plinius lib. xx. cap. i. huius tamen mali non meminit, sed solius podagræ. Verum & internus cucurbitæ siluestris usus satis heic tutus, quoniam sine mordacitate fatetur Galenus. At quantitate minua imperatur, etiamsi catapotia fiant denarii pondere. Quamuis enim autor libri de Dynamidiis Elaterii siue succi cucurbitæ siluestris tres obolos, id est, drachmæ semissem præscribat, nollem tamen eius periculum fieri; siquidem recentiorum experimentis iam constat hoc medicamentum non destitui malignitate, utcunque leniente liquore, cinnamo, aut spica correctum. Quod vero de Euphorbio monet is, melius ex eo cum melle cocto catapotia formari, Scribonio plane accedit. Hoc autem recte additur, quia Galeno de Ptisana cap. vi. lentum reliquorum acrimoniam hebetat, vimque promouet partium tenuitate ac facultate detergendi; sed præ-

cipue

tipuè coctum cuicquid habet ventosi amittit, urinamque mouet, eodem autore de Aliment. fac. lib. III. cap. XXXIX. qui accuratum cocturæ modum tradidit de Comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. II. & meth. med. lib. VII. cap. VII.

Brathys] Βράθυς Diosco. lib. I. cap. CV. Interpreti *Sabina* Plinii exemplo, cuius verba sunt lib. XXIV. cap. XI: *Herba Sabina brathy appellata à Græcis*, lib. XII. cap. XVII. videtur eidem *Bruta*. Sed in codice Palatino Salmasius deprehendit *Brathys*. Apuleio igitur cap. LXXXV; ubi est in editione Aldina, *Græci eam Nerion dicunt, alii Arathy, alii Baryton*; reponendum, *alii brathy, alii brathyn*. Extenuare ac digerere docet Galenus de Simpl. med. fac. lib. VI. Ideoque urinam vehementer mouet.

Per clysterem] Nam & hoc partes, quæ non multum à sede distant, promtius iuuari tradit Gal. de loc. aff. lib. I. cap. IV. Prudenti autem consilio temperatur, ut medicamentum latis validum minori noxa intestinorum permeet.

C L V.

Ad lumbotum d. e. patal.] Ad lumborum dolorem & Patalyticos. Cucurb. silu.

Cyathis tribus: licet] cyathis tribus. Licet h. c. f.

Idem ponderis] Marcellus cap. XXV. ait; *fiunt pastilli ad mensuram denariorum binorum, vel singulorum*. Quæ verba conjecturam mihi nupertam confirmant. Sufficit tamen denarii pondus, cuius si dimidium daretur Scribonii præcepto, parum ab autore libri inter Galenicos habiti deflecteretur.

Acri] Ratione vitii, non intestinorum, nisi paralyticis fuerint segniora.

C L V I.

Ad lumb. d. e. p.] Ad lumborum dolorem, & paralyticos. Idem refert autor Comp. CI.

Hiera Pacchii Antiochi] Hunc locum in mentem si reuocasset celeberrimus Gaspar Hofmannus, hanc utique antidoton De Medicam. Officin. lib. I. cap. III. inter ea non admisisset medicamenta, quæ posteriores tribuerunt Galeno, quem seculo Scribonius integro præcessit. Sed γεροντικώτερον est memoriola vacillare, ut eleganter Tullius ad Atticum lib. XII. Ep. I. Quod viro acerrimi alioquin iudicii humaniter indulgendum: ut sileam, paucis etiam cultioris ingenii viris præter multiscium Mercurialem hactenus Largum fuisse familiarem.

Acopum] Lassitudines emendans Galeno de Comp. med. sec. loca lib. VII. cap. I. vel quod ad armum neruorumque dolores paratur. Cuius rationem optime tradit idem de Comp. med. per gen. lib. VII. cap. XI.

In sole diu fricare] tecto capite, monitu Cælii Aureliani Tardar. Pass. lib. I. cap. IV.

Sabini] Hoc tenuissimum, sed minus dolorem sedat, monitu Galeni Meth. med. lib. VI. cap. I.

Olei cyprini] Cuius rationem docuit Plin. lib. XIII. cap. I. & lib. XV. cap. VII. Me-

VII. Medicamentum eo mitigatur Galeno autore de Comp. med. per gen. lib. II. cap. II.

Olei veteris dua,] Ruel. & Cratander: Aldus atque Stephanus duo.

Transmissi p. ✱ as.] Marcellus cap. xxv. transmissi ✱ II. In autographo forsan erat p ✱ *un. us*, ut mox. Detritis vero primis syllabis librarius postremum in *as* mutauit. Nisi legendum, *p.* ✱ *ac semis*, quod leui à Marcello discrepantia, rescripsi Comp. CCXXXI.

Muliebres locos] Varro de ling. Lat. lib. IV: *Loci muliebres, ubi nascendi initia consistunt.* Vbi Adrianus Turnebus notat uterum honesto vocabulo sic appellari solitum. Cato de re rust. cap. CLVII: *Si mulier eo lotio locos fouebit, nunquam ei vitiosifient.* Etiam Celsus fine adiectione protulit lib. II. cap. I. IX: *Quæ locis laborat*; & lib. V. cap. XXV. uteri strangulatum indicans apertius: *vitio locorum prolabitur & obmutescit.* Alia flexionis forma Columella lib. IIX. cap. XI. de pauonibus educandis: *loca feminarum tentanda sunt.* Inter omnia vero lilii oleum heic efficacissimum colligo ex Dioscoride lib. III. cap. CXVI.

CLVII.

Marcellus cap. XXV. pondera primo casu tradit; Magmatis loco scribit *manna*. Quid vero Manna; nisi thuris indicauerit, quæ toto opere Compos. LXXXI. semel tantum occurrit. At nulla ipsi vis mitigandi dolorem: cui aptius magma reliquorum seu fex, quæ ad unitatem simul omnium satis confert: nisi malis crocomagmatis, ad leniendum dolorem, & colorem medicamento inducendum, ut Comp. IV. & CCLIX.

Picis liquidæ] Hanc oleo laurino sufficit Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. I. cap. II.

Olei veteris] Quod digerit eiusdem sententia de Comp. med. per gen. lib. III. cap. IX. & medicamenti robur tuetur cap. II.

Resinæ terebinthinæ] Quæ acopis miscetur Dioscoridis monitu lib. I. cap. XCI. aliisque resinis præfertur: non quidem caliditate, sed ob multiplices usus, iudicio Galeni de Comp. med. per gen. lib. III. cap. II.

Ceræ] Hæc aliorum medicamentorum veluti materia lib. VII. de med. Simpl. facult.

Aphronitri] Quod substantiæ tenuis, de Comp. med. per gen. lib. III. cap. II. sine adstrictione siccat lib. XI. cap. V.

CLIIX.

Ad podagram caldam.] Postrema vox superuacua est. Marcellus etiam cap. XXXVI. eam non admisit.

Caldam] Marcel. *calidam*, Syncope usitatior poetis, ut Martiali lib. I. Epigr. XII. lib. XII. ep. LXL. & lib. XIV. ep. CV. Sed antiquis etiam oratoribus. Varro de ling. Lat. lib. IV: *testa calda*; item, *calda puls*. Imo frequentius. De quo Marcell. Donatus Dilucidat. in Vulcat. Gallican.

Her-

Herba urceolaris,] Huius memini ad Comp. XXXIX. De qua Dioscorides lib. IV. cap. LXXXVII. Δύναμιν δ' ἔχει τὰ φύλλα ψυκτικὴν, συσταλτικήν. Interpres Latinus vertit: *Folia refrigerandi spissandique naturam habent*. Melius: *vim habent folia refrigerandi, adstringendi.* Nam & Galenus de Simpl. med. facult. lib. VI. censet vim ei inesse leniter constringendi cum humiditate subfrigida: & ex eo Collect. med. lib. XV. cap. I Oribasius, assentiente Ægineta lib. VII. cap. XI. ac Ætio Tetr. I. Serm. I. ubi cum Oribasio de Virt. Simplicium lib. II. cap. I. affirmat ea omnes inflammationes in principio & augmento usque ad vigorem, maximeque calidas, persanari. Quod Scribonius *primis diebus* indicat.

Caseus mollis recens] Nam reprimit blande refrigerans, Galenus de Simpl. med. fac. lib. X. Qua procul dubio de causa Dioscorides lib. II. cap. LXXIX. ad oculorum inflammationes ponit.

Per se. Postea] in progressu morbi.

Salis pusillum] Quod cum modica adstrictione discutit apud Galenum de Comp. med. sec. loc. lib. VI. cap. III. Sic Plinius de Perdicio lib. XXII. cap. XVII: *Medetur cum mica salis trita iisdem omnibus, quibus lamium, & eodem modo.* Lamium vero podagris prodesse scribit cap. XIV.

Apium] Sed in principio, quandoquidem adstringit, ac repellit. Quo etiam modo Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. IV. cap. IIX. ex mente Archigenis ad oculorum epiphoras præcipit.

Per se & c. p.] per se, & cum polenta. Dioscorides lib. III. cap. LXXIV. modum posteriorem ad inflammationes oculorum probat: Anodynis quoque misceri tradit. Polentæ pro nutrimento meminit Celsus lib. III. cap. XIX. & lib. IV. cap. IV. quam Galenus de Aliment. fac. lib. I. cap. XI. docet ex recenti hordeo factam, eoque deficiente ex aliis. Nam & triticeam proponit Hippocrates De victu in acutis, quam Commento IV. Sect. CXIII. laudat Galenus. Verum ex hordei tosti farina subtiliter molita; quod aqua conspersum aliquoties priusquam siccatetur Dioscorid. lib. II. cap. CIIX Ἄλφιτον, minus quam Ptisana creditur nutrire. Quare polenta Galeni ætate militibus Romanis prudenter subnacta. Sebastianus Rubeaquensis ad Æginetæ cap. LV. de tuenda valetud. putat Germanorum edulium, quod *Gerstmus* appellant. Confectura eius apud Plin. Valer. in Præfatione traditur. De qua prolixe Antonius Musa Brasauolus ad Hipp. de rat. vict. lib. II. Sect. XXXIV. Suidas etiam Galenum illustrat.

Portulaca,] Diosc. lib. II. cap. CL.

Spongia vel Rhodia, vel Africana,] Has olim fuisse notissimas velut indignatus memorat Plin. lib. XXXI. cap. XI. ubi de spongiis: *Medici inscitia ad duo nomina eas redegere, Africanas, quorum firmius sit robur, Rhodiacasque ad fouendum molliores.*

Aqua frigida,] Hæc tamen ceteraque refrigerantia parum tuta, nisi corpus ante vacuatum. Frigida enim eurem densat, quemadmodum vere Galenus de sanit. tuenda lib. III. cap. IV. Itaque securius quod sequitur auxilium. Quin etiam anodyna moderate calida tectius admouentur. Cuiusmodi est omentum caprinum: etsi Marcellus habet *lomentum fabæ molitæ*.

Faba] Quæ inflammationes compescit Dioscor. lib. II. cap. CXXVII.

Mo-

Molita] Omnes *mollita* Stephan.

Valvulis] Ita & Columella lib. II. cap. XII. Marcellus *Valgulis*. Recte Scribonius Festi consensu: Cuius autoritate scribendum Valuolis. Sic enim ille: *Valuoli folliculi fabæ appellati sunt, quasi valliuoli, quia vallo facti fustibus excutiantur*. Planior locus erit, si rescribatur *fracti*. Vallo nempe excutiuntur, non fustibus, quibus rumpuntur. Huic vero contéctura lucem adfert Varro de re rust. lib. I. cap. LII: *oportet e terra subiactari vallis aut ventilabris, cum ventus spirat lenis*. Vulgus lexicographorum exponit concauitates folliculorum in leguminibus, quibus grana ipsa recipiuntur. Malo ipsos folliculos cum Hadriano Iunio, & eruditissimo Iano Laurenbergio: quamquam Iunius Antonio Nebrissensi parum æquus ex Varrone pridem aduocato. Nonnihil adstringunt, ideoque Podagræ conueniunt experimento Ætii Tetr. I. Serm. I.

Imposita, ducit] imposita. Ducit &c. Marcellus longe clarius, *educit*. In quam sententiam Plin. lib. XXII. cap. XXV: *Farina vim extrahendi humoris habet*. Quidni & polenta, quæ, ipso assentiente, ab ea distat eo quod torreatur.

Mala citria] Diosc. lib. I. cap. CLXVI. Κεδ. όμηλα, Ῥωμαιςὶ Κίτρια. Phrynichus Ecloga dictionum Atticarum: Μῆλα Μηδικὰ τὰ νῦν κίτρα. *Mala Medica, quæ nunc Citra appellantur*. Robertus Constantinus Supplemento linguæ Latinæ in voce *Cedrus* notat Cedri poma ex Græcia Venetias allata, quædam cucurbitæ longæ magnitudine. Sed, quæ humani ingenii solertia, nunc in hortis Venetorum passimque in Gallia cisalpina læte proueniunt, eaque copia, ut in Germaniam venum transportentur. Marcellus meo iudicio bene addit *quinque*.

Aloe aceto diluta] Dioscor. lib. III. cap. XXV. hoc modo ait dolorem capitis leuare: somnum quoque allicere.

Opium] Sed caute: nec ultra grana bina cum quaternis croci, adhibitis post sedatum dolorem calefacientibus, ne pars debilitata fluxioni opportunior fiat.

Lacte muliebri] Sic etiam Dioscor. lib. II. cap. LXXIIX.

Mirifice] Refer ad sequentem Compositionem. Sic ergo legendum.

CLIX.

Mirifice vero hoc cataplasma. Tollit enim triduo dolorem. Lomenti hemina, &c. Quæ enim interiecta glossema redolent. Indis vero ex medicamentis maxime probati cataplasmata notat Strabo Geogr. lib. XV.

Lomenti] id est, farinæ fabaceæ. Galenus de Compos. med. sec. loc. lib. X. cap. III. in simili casu lomenti fabæ nigræ mentionem facit. Ioannes Thomas Minadous de Arthritide cap. XXVI. addit, panem quoque fabaceum notare, secutus forsan Georgii Alexandrini enarrationem priscarum vocum rusticarum. Quod tamen ex Palladio non colligitur. At Glossæ veteri, quæ habet *Lomenta* σμήγματα, prælucebit Plinius lib. XXXIII. cap. XII. ubi lomentum creta fullonum.

Fœniculi] Vereor ne legendum fuerit fœni Græci, ut Comp. sequenti. Sic enim Erasistratus Sicyonius apud Galenum in Epithemate, quod serosos sanguinis humores exsugit. Cuiusmodi hic redundant. Fœniculum autem ordine tertio calidum, & primo siccum Galeno de Simpl. facult. lib. VII. vix conue-

nit feruido tumori, sed frigido velut Compositione proxima.

Duo, polentæ tenuis] Hæc sistit impetus rubicundi tumoris, ut autor Plinius lib. XXII. cap. XXV. Vnde Galenus refrigerantibus addit Meth.med. lib.x. cap. IX.

Molita,] Recte omnes. H. St. mollita.

Aqua pluvia] Quam limpidissimam ac tenuissimam affirmat Ægineta de re medica lib. I. cap. L. itemque Oribas. Collect. lib. V. cap. I. Quod ex Galeno de Aquis depromtum aduertit Ioannes Baptista Rasarius interpres: quanquam & Augustinus Gadaldinus alios in hanc societatem trahat. Quicquid sit, Hippocratem uno omnes animo autorem nominant: cuius id effatum Libro de Aere, aqua, & locis notissimum.

Leuat.] Addit Marcellus: *id est, intra triduum tollit dolorem.* Quod mihi non displicet ad faciliorem explicatum.

C L X.

Piperis nigri moliti] Quanto enim comminutum accuratius, tanto calefacit citius, ut autor est Galenus de Simpl. med. facult. lib. I. cap. XI.

Fœniculi] Hoc non minus quam piper conuenit. Marcellus tamen hoc remedium non habet. Nec sane ita est tutum, veluti quod mox sequitur longe temperatius: nisi, quod magis probo, legendum fuerit cum Marcello: *ciceris nigri moliti sextarius coquitur ex aqua, & diligenter teritur, cui adiicitur axungia* &c. Hoc enim leguminis genus ex Gal. de Simpl.fac. lib. VI. discutit parotidas, quibus aliqua ratione affinis hæc podagra.

Panno spisso inducto medicamentum imponitur.] panno spisso inductum medic. imp. Ita Comp. CXXXI. in panno inlitum medicamentum imponitur; & Comp. CXXXI. aloe inducta pedibus. Ita porro hæc interpunge: medicamentum imponitur: bene facit. Ad idem genus &c. Sextarius cribrari i. u. c.

Ad hos] Has voces omitte, velut & Marcellus, atq; lege: Bene facit & hibisci radix. Quo etiam modo Celsus lib. IV. cap. XXIV. & Plin. lib. XIX. cap. V. Quos Dioscoridis interpretes lib. VI. cap. I. sequuti. Theodorus Gaza etiam apud Theophr. lib. IX. cap. XV. Quidam tamen sine adspiratione scripsere, ut Apul. de vir. herb. cap. XXXIX. Pallad. rei rust. lib. XI. Tit. XIV. Et vere. Ait enim Dioscorides: ἣν ἴβισκον ὀνομάζουσι ῥωμαῖοι. Vnde Scribonio Ebiscum est Comp. LXXX. & LXXXI. Matthiæ Lobelio *Ibiscus.* Officinis vocatur *Maluauiscus,* quasi *Maluo ibiscus.* Et sane Plinio Valeriano lib. III. cap. XIV. itemque P. Vegetio art. vet. lib. III. cap. LXIV. (LXVII.) ac lib. IV. cap. XXVII. est *Euiscus.* Galeno de med. Simpl. fac. lib. VI. *est malua siluestris, quæ præterquam quod digerit & laxat, ἀντιφλεγμαντικὸν est, nempe inflammationem leuat.* Dioscoridi tamen lib. III. cap. CLXIII. ἀλθαία est ἴβισκος: cui nomen id impositum putat Angelus Decembrius de Politia literaria lib. VII. Partic. XC. quia ibicibus grata.

Sabucum] Marcell. cap. XXXVI. *Sambucum.* Glossa verus *Sabucus.* Scribonio suffragium undique suppetit. Q. Serenus Felli, Vomitui, vel Phthisi, arcendis:

Præterea caulem, frondes si parua Sabucus,

 Deco-

Decoctum sale permisces.

Item cap. XXVII. ad Hydropem:

Conuenit teneræ radix decocta Sabuci
In geminis calidi cyathis potanda Lyæi.

Et cap. XLII. de Podagra:

Parua Sabucus item est hircino collita seuo.

Sic Baptista Fiera superioris æui medicus inter Italos non infimi nominis in Cœna, quam Caroli Auantii manibus eultiorem debemus:

Flos venit hortensi candens ab olente Sabuco.

Chamæacten innuit: quæ verius est Ebulus, etsi viribus nihil discrepet à Sambuco, si Galeni arbitrio standum. Plinio lib. XXIV. cap. IIX. appellatur *Sambucus*: quem hodie imitantur omnes. Neque enim Poetæ licentia in exemplum trahenda. Errori minus patrocinabitur compendiosa scriptionis ratio, qua sæpe vox hæc occurrit. 'Ακτῆ, in Excerptis ex vet. Lex. Græcolat. & Glossa vetus 'Ακτῆ, εἶδος βοτάνης, Siccat, & modice digerit Galeno de Simpl. med. facul. lib. VI.

Cum axungia] Plinius etiam lib. XXIV. cap. IIX. de Chamæacte: *Podagricis cum seuo hircino vehementer prosunt cauliculi illiti.* Dioscorides lib. IV. cap. CXXV. item taurinum probat.

Brassicæ cinis] Diosc. lib. II. cap. CXLVI: *Crudus succus cum fœni Græci farina podagris & articulorum vitiis illinitur.* Cinis autem valde siccat Oribasio teste Coll. XV. cap. I. ex Galeno, qui urentem pronunciat de Simpl. med. fac. lib. VII. digerit etiam, ut affirmat Oribas. de Virt. Simpl. lib. II. cap. 1.

Vel semen caulium.] Hæc non vacant suspicione. Marcellus etiam non habet. Brassica quippe vulgo caulis. Qua mente capitata Matthiolo Caulis capitatus Trago apud G. Bauh. Pin. lib. III. Sect. III.

Calda aqua marina] Heic enim tumor nullus. Ipsa vero elicit ac discutit, autore Dioscoride lib. V. cap. XIX. Modum vide apud Celsum lib. IV. cap. XXIV. Symmachus fabulo marino usus videtur lib. IIX. Epist. XLVI. De qua Isaacus Casaubonus in Sueton. Octau. cap. LXXX. Recte, ubi impetus cessauerit. Nam discutientia morbi declinationi maxime conueniunt: eaque temperata, ne tenuiori parte dissipata crassior induresc at.

Adicito, post] adiicito. Post &c. Adde Galen. de Simpl. med. fac. lib. IV. cap. XX.

Epiphemate] Sic etiam Aldus post Basiliensem Cratandri editionem. Parisina Ruellii, & H. Stephani, quod olim reposueram, epithemate. Marcellus eadem potestate legit *malágmate*: qua voce post Corn. Celsum Scribonius diuersis in locis usus, altera neutiquam.

Ad parotidas scriptum est.] Comp. CCVI. & CCLXVI.

C L X I.

Lanam succidam] Ita Plin. lib. XXIX. cap. II. scribit, quem sequuntur omnes. Varro tamen de re rust. lib. II. cap. XI: *à sudore recens lana tonsa sucida appellata est.*

Pondo libra.] Scribendum videtur, pondo libræ; Oesypi compendium satis efficax tradit autor: cuius ratio prolixior à Dioscoride recensetur lib. I I. cap. XXXIV. & Plinio lib. XXIX. cap. II. Nec male conuenit, siquidem butyri in-modum concoquit, ac nonnihil digerit, ex Galeno de Simpl. med. fac. lib. X.

In oleario fictili.] Vide Lexicon.

Ad corpus] ut cutem tangat.

In duplici calceo.] Calceos Romanis proprios, ut Græcis crepidas vinculis adstrictas, notat in Persi Sat. I. versu CXXIV. Theodorus Marcilius. Calceos tamen ligulis etiam ætatos patet Compos. CCIII. Iulius Pollux autem lib. VII. cap. XXI. nimis anxius dubitat, num calcei cavi profundi ad mediam tibiam pertingentes per abusionem calcei sint vocandi: qui venatorum tales lib. V. cap. III. agnoscit. Huius generis etiam perones, qui non rusticorum quidem sunt, veluti putat Seruius, sed quemadmodum Iacobus Rætardus Var. lect. lib. I. cap. IIX. mavult calcei niui imbribusque accommodati. Sic enim Iuuenalis Sat. V. versu CXXXXV:

Nil vetitum fecisse volet, quem non pudet alto
Per glaciem perone tegi.

Etenim Romanis altiusculi non solum imos pedes, sed tibias etiam, calcei crure tenus velabant. Vnde Horatius Serm. lib. I. Sat. VI:

—— nigris medium impedit crus
Pellibus.

Quales adhuc in quibusdam Germaniæ locis & Dania gestantur. Nisi malis id calcei genus, quod Gallis vocatur *Galloches*, & pedes à frigore atque humore munit; de quo Lazarus Bayfius de re vestiaria; Cicero Gallicas dixit notante A. Gellio lib. XIII. cap. XX; quas Paulus Manutius ad II. Philipp. Castrense pedum calciamentum putat: in plerisque enim libris sunt caligæ: vel quales ad crurum debilitatem Lutetiæ parantur, ut duplici corio ingressus firmior sit. Huiusmodi enim calcei sunt crassi. Quo modo pannus duplex apud Horatium lib. I. Epist. pro crasso, interprete I. Mellero Palmerio in Spicilegio, forsan & pallium duplex Tertulliano lib. de Pall. cap. V. De quibus Gabriel Fallopius de Luxat. cap. XV. Italis medicis appellantur *Stiualetti* nomenque idem fortitur fascia comprimendis tibiæ tumoribus à pedis planta supra genu circumducta: quam tetigit Felix Platerus vir exercitatissimus Prax. Tract. III. cap. III. Hinc lucem forsassis accepit Hesychius Criticorum doctissimus, quando ait: Ἰατρικὸς ἐπίδεσμος, σανδάλιον. Σανδάλιον autem Lexici Græcolatini veteris autori est *Gallicula*; cuius heic meminit. Eius sorte generis apud Galenum de Fasciis cap. CXXXVII. ex Sorano *Calceus*; tametsi usu aliquantum diuersus. Nec multum his videtur dissimile quod Hippocrates de Articul. Comm. III. Sect. XV. Calciamentum Cretense appellat. Eius generis in Asia fuisse usurpatos memorat in hunc locum Galenus, qui & accuratissime describit. Cuius verba eo libentius ponam: *In Asia nostra, & non minus in Creta, nunc calciamenta in usu sunt, quæ ad medium usque crus attingunt, in quibus fissa pellis est multis locis, & ab utraque parte dextra scilicet & sinistra æqualiter extenta extremis partibus foramina habet, per quæ traiectum lorum partes pellis incisas inter se contrahat.* In aperto autem est huiusmodi calcei pedem cum universa com-

missura, quæ ad tales est, contineri atque adstringi. His utuntur apud nos venatores potissimum quum feras sectantur, quandoquidem in asperis atque inæqualibus locis non solum currere, sed saltare etiam coguntur. Eadem causa Cretenses ad talium calceorum usum impulit ob vastos insulæ montes atque asperitatem. Scribonii autem seculo Romanis hæc satis familiaria fuisse, vel inde colligitur, quod Celsus ferme ipsius æqualis lib. IIX. cap. XXII. curata luxatione tali calceamentis primo tempore humilioribus utendum consulat, ne vinctura talum ipsum lædat. Qua ratione, præter veteris libri Florentini autoritatem, legendum suadet ratio, non *iunctura*, ut est in Ambrosiano MS, editisque omnibus. Id quod Paulus Aicardus in Pinelli etiam exemplari, & Ioannes Caius neutiquam præterit. Hæcue calceolorum appellatione indicauit Scribonius Comp. CCIIX, ubi ligulas adiicit? Quid opus multas agere heic ambages? Largus calceo ex duplici corio pellem caninam indi postulat.

Pellem caninam habere.] Podagricos etiam pellibus vituli marini calceari iubet Plin. Valerianus lib. III. cap. IV. quorum & Marcellus meminit cap. XXXVI. Quod occultæ proprietati adscribit Hollerius de morbis Internis lib. I. cap. LXIII. Ætius quoque Tetr. I. Serm. II. cap. CLXXIX. Iano Cornario interprete, post Ælianum De Animalibus lib. XIV. cap. XXI. tradit canis fluuiatilis pellem ad calceamentorum redactam pedum ac neruorum morbum egregie mitigare. Lutra vero Κύων ποτάμιος, capite ac dentibus cani similis, pisces venatur: cui pilus est mollissimus. Nec prætereundum, phocam seu vitulum marinum Belgis canem marinum appellari. Catulos quoque concolores partibus hoc malo vexatis magno commodo admoueri credidit post Antonium Mizaldum Ioan. Baptista Porta, ob insignem huius animalis cum homine concordiam. Ceterum & pellis caninæ usus nostri æui fidem tulit: præsertim apud medicos Neapoli celeberrimos, qui longo usu, maiorumque, inter quos princeps Iulius Iasolinus, experimentis edocti, appatentibus inflamatum partium tumoribus illico ipsam cothurnis indi præcipiunt. Patauii quoque ad tumores crurum œdematosos tibialia inde confecta scio, & Antonium Nigrum Equitem multæ experientiæ medicum professorem ex cane rufo laudasse. Animal quippe istoc eximio calore pollet, qui superfluum humorem absorbet. Curatio itaque physica, non occulta censebitur.

CLXII.

Torpedinem nigram viuam] Athenæus Deipnos. lib. VII. notat torpedinem non totam adficere corpora, sed aliqua sui parte. Paulus Ægineta lib. VII. cap. III. narrat oleum, in quo viua fuerit cocta, illitum acriores morbi articularis dolores mitigare. Cui consentit Plin. Valer. lib. III. cap. XIV. Ægineta præterea lib. III. cap. LXXIIX. in doloribus articularibus ceratum lib. VII. cap. XVII describtum, & oleum ex torpedine commendat.

Mare] Aqua enim marina valide siccat, adeoque roborat.

Sentiat]Marcellus. *Sentiatur torpor per totum pedem*, vel, quod clarius, sentiat torpere pedem totum &c. In quam sententiam Annæus Epist. LXXIX: *Finis dolendi est, obtorpuisse*. Ea tamen cautela, quam habet autor Comp. XI. Neque

enim

enim probandus L. Ælius Præconinus, qui veneno sibi pedes enecuit, ut refert Sueton. de Illustr. Grammaticis cap. III. Quod forsan hyoscyamo vel mandragora factum: quorum in hoc malo efficaciam prædicat Plin. lib. XXVI. cap. X. qui & lib. XXIII. cap. I. narrat M. Agrippam, tanti putasse usu pedum sensuq; omni carere, dummodo & dolore careret, demersis in acetum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi.

Anthero] Marcellus: *Anteros Cæsaris libertus*. De quo forsan vetus inscriptio apud Ianum Gruterum ex Fuluio Vrsino: ANTEROS BALNEATOR. Nec dubium quin munus hoc fuerit seruile. Cuiusmodi & nomen minime obscurum ex Cicerone ad Att. lib. XI. Ep. I: *Accepi à te signatum libellum, quem Anteros attulit*. Nam & ipse Familiar. lib. IX. Epist. XI: *Duabus tuis epistolis respondebo; uni, quam triduo ante acceperam à Zetho, alteri quam attulerat Phileros tabellarius*. Libertis quoq; in Romanis monumentis Q. SERTORIVS ANTEROS accensetur. Cæsaris autem indulgentia ipsum libertati vindicatum postea præfectum fuisse hæreditatibus in aula obuenientibus, ei neutiquam mirum videbitur, qui aciem conuerterit ad ea quæ Comp. CXX. monui. Quam Latini sermonis consuetudinem non satis percipiens Marcellus, seu potius interpolator ipsius, maluit *supra fidem*, quam supra hæreditates. Scribonii vero dictionem Isacus Casaubonus lib V. ad Suetonium vere asseruit similitudine Græcorum, quibus ἐπὶ Officia connotat. Qua etiam ratione Veneris Ærarii præfecti vulgo appellantur *sopra la zecca*. Venetiis quoque in æde D. Francisci Modestæ à Puteo matronæ lectissimæ epitaphium habet *Officium super aquis*. Hæreditas porro ipsa bona significat Plinio lib. XXXVI. cap. XXVI: *Remisit & Tiberius Cæsar Heliopolitarum ceremoniis repertam ibi in hæreditate eius, qui præfuerat Aegypto, obsidianam imaginē Menelai*. Sunt qui sine diphthongo scribunt. Quod Aldo placuit. Simili modo in Pandectis Florent. MSS venerandæ antiquitatis, priscisque monumentis reperitur. Nec sine ratione, quum eruditi hanc vocem malint ab hero quam ab hærendo petitam. Huius porro generis forsitan Q. Plotius Maximus *Promagister hereditatium* apud Auximates, è veteri saxo, quod nonnullis medii seculi videtur: quanquam & libellorum magister, qui principibus aderat, *Promagister* appellaretur, velut ex antiquissima libelli subscriptione demonstrat Iacobus Ræuardus To. I. Comment. de diuersis Regulis Iuris. Hunc vero tradit Iacobus Gutherius de Offic. dom. Aug. lib. I. cap. XXXV. absentis à principe libellorum magistri vice functum esse. Quo sane modo & lib. III. cap. XXXV. Promagistrum hereditatium exponit Supprocuratorem ex antiquo marmore. Procuratores enim vocabantur magistri, quos ex edicto fieri solitos narrat Cicero ad Attic. lib. VI. Ep. I. iisq; primam rerum curam incumbere notat Cuiacius ad Tit. XVI. lib. LVII. de verb. sign. Scribonium itaque de hereditatum procuratore bene accipit idem Commentario ad Tit. LIV. lib. VII. Codicis, quia procuratores rerum fiscalium plerumque erant liberti principum. Hoc tamen officium domus Augustæ perantiquum fuisse Procuratoris nomine testantur inscriptiones. Quamquam enim L. Vocontius Vicosius V. C. Proc. XX. Her. Valenti Imp. monumentum erexit, T. Appæus Proc. August. XX. Hered. quoque memoratur: T. Flauius tamen triumphi curator Germanici Secundi hoc ipso titulo celebris fertur. Qualis &

Ha-

Hadriano Priscus Licinius in expeditione Iudaica notus, in Dacica Traiano Memmius Apollinaris. Procuratores quoque hereditatium nominat Marcianus L. Sed si xxxii. D. De Iur. Fisc. Ceterum vicesimam hereditatum augendi ærarii causa extraneis heredibus nec inopibus lege Iulia irrogatam refert Dio lib. LV. interprete Gulielmo Xylandro: *Augustus instituit, ut vigesima pars hereditatum ac legatorum, exceptis iis quæ proxime genere iunctis ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare inferrentur, quasi scriptum in Cæsaris commentariis id pensionis genus reperisset*. Mira etiam arte seruatum narrat idem lib. LXXI. Ea tandem abolita paucis abhinc annis à Venetis reuocata. Hac formula Magister Societatis apud Ciceronem ad familiares lib. XIII. Ep. IX. ceteris præest.

CLXIII.

Genera medicamentorum, & demonstrationes] Genera medicamentorum, & compositiones ad serpentum. i. m. Sic enim legendum ostendit res ipsa; nec ulla ictus morsusue heic signa. Vnde Compositioni CXCIX. in vulgatis editionibus annexa, & quæ CC. sequuntur ad mali medicamenti suspicionem velut uniuersalia, cuiusmodi titulus hic indicat, parum apte posita æquus arbiter facile percipiet; quamuis nihil immutem.

Incinctum] Sic etiam Compositione proxima. Scriptum forsan erat, in cinctu, flexione apud Plinium lib. XXIV. cap. IX. recepta, quod paulo post autor dixit in cincto. Nec quidquam innouo, quoniam eadem utrobique sententia; postrema quoq; Compositionis verba communem lectionem poscunt, nisi obstarent sordes, quæ commodius in zona, quam circumligatæ gestantur. Sic Plinius lib. XXIX. cap. IIX: *Si cinctus suos venator flagellumque imperitans equo septenis alligauerit nodis*. Nam quicquid circumferri consueuit, vel in sinu, vel in manica, vel in cinctu, aut subligaribus recondebatur. Brachæ nimirum, in quibus hodie loculi, Romanis tegmen barbarum, etiam longe ab ætate Scribonii, veluti ex Tacito Histor. lib. II. in confesso est. Cinctus autem zona, inquit vetus interpres Iuvenalis ad Sat. IV. versu CCXCVII.

Peucedanum] Incensum serpentes abigit Dioscoridis autoritate lib. III. cap. XCII. Succus eius bibitur contra serpentes, & exoleo perunctos tuetur, Plinio teste lib. XXV. cap. IX. Scribonii placitum confirmat Apuleius de vir. herbar. cap. XCV. qui affirmat Peucedanum arcere serpentes odore suo.

Ceruis] Est enim serpentibus exitio, referente Plinio lib. XXIIX. cap. IX.

Ad nares versus,] Dele *ad*: nisi angulus ille significatur, qui versus est ad nares. Quo modo Liuius Dec. IV. lib. VII: *Ora maritima, quæ in Peloponnesum versa est*. Ab autore tamen est Varro de re rust. lib. III. cap. IX: *caueas quæ spectent ad exorientem versus*. Et Pub. Veget. Art. Veterinar. lib. I. cap. XLVI: *Manum ad interiorem partem mittes, & a ceruice vesicæ sub ipso ano ad hippocentaurum versus palpabis digitis, & calculum ibi inuenies*. Libri tamen MSS. Vaticani & Medicei non habent, *ad hippocentaurum versus*. Item cap. LII: *manum subiicies in anum, & deprimes usque ad veretrum versus: ubi inueneris vesicam eius lotio plenam, quam à dextra & sinistra parte leniter adducis sursum ad anum versus*. Ioan. Sambucus tamen postremum *ad* in MS. non deprehendit

lib.

lib. III. cap. (XXV.) XXIIX. pariter: *Quatuor digitis ab umbilico ad veretrum versus sagitta pungis.* Florentinæ autem membranæ & codex Vaticanus habent: *aduersus veretrum.*

Sordes] Centesimo primum anno ceruis lacrimam nasci summum ad venena sudoriferum affirmat Iul. Scaliger Exercit. CXII.

Odoris, has] odoris. Has Siciliæ v. d. c.

Antedictam] ante dictam, ut Comp. CLXXI.

Hierabotane,] Ab hac mente Apuleius de vir. herb. cap. IV: *Herbam verminaciam cum suis foliis & radicibus quisquis unctam occultamque secum portauerit, ab omnibus serpentibus erit tutus.* Ita editio Parisina. Vbi Gabriel Humelbergius cum Aldo legit: *verbenacam &c. offultam cinctamque.* Prior tamen veritati non refragatur.

Trifolium acutum, quod ὀξυτρίφυλλον Græci appellant: nascitur] appellant. Nascitur e. h. S. plurimum. Nam in I.r.&c. *Nam* vero superfluum videtur, nisi affirmandi causa iunctum. Dioscorides lib. III. cap. CXXIII. ait diuisim Τρίφυλλον, οἱ δὲ ὀξύφυλλον. Ioannes Antonius Saracenus vertit *Oxytriphyllon*, Ruellius *ocytriphyllon*. Oribasius Collect. med. lib. XII. ad pleniorem Scribonii intelligentiam post Dioscoridem accurate delineat. Ex quo *Cnicon* permutandum in *Cnicion.* De quo G. Hofmannus accurate Var. lect. lib. VI. cap VII.

In Lunæ portu, cum] Plin. lib. III. cap. V: *Primum Hetruriæ oppidum Luna portu nobile.* Vnde Martiali lib. XIII. Ep. XXX. *Etrusca Luna.* De quo Strabo Geogr. lib. V: *Luna urbs est & portus. Vrbs quidem non magna, sed portus maximus iuxta ac pulcerrimus plures includens portus, omnes prope littus profundos. Cingitur portus montibus altis: unde maria cerni possunt, & Sardinia, & littoris utrinque magna pars.* Inde Persius Sat. VI:

qua latus ingens
Dant scopuli, & multa littus se valle receptat,
Lunai pretium est operæ cognoscere cives.

Vbi non male Pseudo-Cornutus *Lunai portum*, in modum lunæ factum interpretatur. Philippo Cluverio Geographiæ Italiæ Lunæ portus promontorii & oppidi nomen est, ad flumen Macram, quod Liguriam ab Hetruria diuidit. Nostra ætate appellatur *Porto di Spetia, & il Golfo della Speza.* Genuensibus patet. Mari tranquillo submersæ ciuitatis vestigia in conspectum veniunt. Fabulæ igitur simillimum, ob grauitatem aeris ab incolis desertam. quod incertus quidam eclogarius de Vrbibus inter meos nondum editos in commentaria retulit.

Britanniam] Tacitus in Agricola: *Agitasse C. Cæsarem de intranda Britannia satis constat, ni velox ingenio, mobilis pænitentia, & ingentes aduersus Germaniam conatus frustra fuissent. Divus Claudius auctor operis transuectis legionibus auxiliisque, & assumto in partem rerum Vespasiano, quod initium venturæ mox fortunæ fuit, domitæ gentes, capti reges, & monstratus fatis Vespasianus.* Expeditionem hanc tetigit quoque Suetonius cap. XVII. Claud. Quam exactius indicauit Dio lib. LX: *Claudius ab Vrbe Ostiam deuectus est nauigio, inde Massiliam, reliquoque itinere partim terra, partim mari facto ad Oceanum venit, transmisitque in Britanniam.* Ludos triumphales ob victoriam Britannicam ipsi decretos

notat

notat idem lib. XI. Quorum splendorem significat Plinius lib. XXXIII. cap. III. *Claudius cum de Britannia triumpharet, inter coronas aureas unam VII pondo habuit, quam contulisset Hispania citerior, alteram IX, quam Gallia comata, sicut titulus indicabit*. Addit C. Tacitus Annalium lib. XIV. *templum Diuo Claudio constitutum, quasi ara* (Lips. arra) *æternæ dominationis adspiciebatur*. De quo etiam in Apocolocyntosi Annæus: *Parum est quod templum in Britannia habet, quod hunc barbari colunt, & ut Deum orant*.

Peteremus] Imperatores enim secum plures ducebant medicos: quorum alii regere valetudines principis soliti, consilii copiam alii præbere. Qualis apud Tiberium Chariuncles, cuius solertia singularis Annal. lib. VI, a Tacito recensetur, & Xenophon, cuius scientia Claudius utebatur, veluti memorat idem Ann. lib. XII. De Alexandro Seuero Ælius Lampridius: *Medicus sub eo unus Palatinus salarium accepit, ceteri omnes, qui usque ad sex fuerunt, annonas binas aut ternas accipiebant*. Sed & Imperatorum plures fuisse Archiatros, comprobat Hieron. Mercurialis Var. lect. lib. IV. cap. I. Nec tamen certum horum numerum deprehendit Casaubonus. Hoc igitur modo de Scribonio statuendum fortassis: nisi putemus, velut in Proloquio ad Callistum, tropo quodam heic delectatum, quo de uno quidpiam pluraliter dicitur.

Cum Deo] Vide quæ dixi ad Comp. LX.

Montes.] Colum. rei rust. lib. VI. cap. XVII. ad ictus serpentis & noxiorum animalium: *Symonianum trifolium, quod inuenitur confragosis locis, efficacissimum traditur, odoris grauis, neque absimilis bitumini, & iccirco Græci eam ἀσφάλτιον appellant, nostri autem propter figuram vocant acutum trifolium. Nam longis & hirsutis foliis viret, caulemque robustiorem facit quam pratense*. Neque vero amuleti duntaxat loco fuisse, verum ad interiorem usum in cinctο seruatum, ex iis quæ sequuntur planum est: *Huius herbæ succus vino mistus infunditur faucibus*. Item: *si hanc herbam viridem tempus anni negat, semina eius collecta & leuigata cum vino dantur potanda*. Ex hoc itaque Columellæ loco, quem integrum descripsit, emendandus Pub. Vegetius de arte Veterin. lib. III. cap. IV. ubi legitur *Simonianum*. Cur autem *Symonianum*, seu *Symoniacum*, ut Ioanni Ruellio visum? Numquid à Syme insula, cuius Geogr. lib. XIV. meminit Strabo?

Lanuginem] Inde G. Bauhino Pin. lib. IIX. Sect. VI. ex mente Caroli Clusii Lotus pentaphyllos siliquosus villosus. At quomodo pentaphyllos? Figura certe nomini repugnat, quandoquidem terna singulis germinationibus exeunt folia loto similia, ut autor Dioscorides lib. XXIII. cap. CXXIII.

Aculeum] Nam folio est acuto etiam apud Plin. lib. XXI. cap. IX. Folia eius trita ex aceto mulso pota venenatorum morsibus medentur, ut autor Dioscorides. Plin. lib. XXI. cap. XXI. tradit semina ex vino aut posca contra serpentium ictus præualere.

Duorum pedum] id est, XXIV unciarum siue pollicum. Pes enim XII etat unciarum, quarum singulæ digitum ac tertiam digiti partem conficiunt. Eius ex veteri consuetudine in pinacotheca seruo modulum, ab insigni viro Nicolao Fabricio Peireschio Regio curiæ Aquæ-Sextiensis Senatore paulo ante obitum ex me desideratum.

Odorem grauem] Galen. de Simpl. med. fac. lib. IIX: Calidum & siccum est ordine tertio bituminis in modum, cui est odore simile. Quod de foliis iam adultis notat Dioscorides. Vnde bituminosum recentioribus appellatur. In Germania tamen stirpi aliquoties transportatæ odor euanescit Bauhino teste.

Patrense] Sic omnes. Scribe, pratense.

Herbas, quas cum inueneris] L. f. herbas cum inueneris.

Notare] Ad memoriam. Qua ratione iubet Cato rei rust. cap. CXIV. *signare vites*, cap. CLV. *Signare carbone*, cap. XLVI. *Signum apponere*. In quem modum Palladius lib. IX. Tit. IIX: *Signo aliquo vicinæ stirpis aut arboris pernotabis*. Et lib. XII. Tit. VII. *unicuique semini propter notam surculus debet adfigi*. Cuius generis *Indices* apud Columellam de re rust. lib. V. cap. IX. qui lib. VI. cap. III. eligit etiam herbæ quinquefolii folia ter circumscripta, Scribonius autem fruges quoque circumscribere præcipit.

Sinistra aure] Locus hic admodum difficilis, ac multis pæne desperatus. Numquid in vetustiori codice fuit *ante* literis Longobardicis, quæ huius scriptionis parum peritus vocem *aure* effinguxit? Sic tempus autem denotat, veluti apud Celsum lib. III. cap. XV; quod πρότερον Glossæ veteri, Latinis *prius*. Sinistra etiam vim Præpositionis obtinet, sicut postridie, obseruatione Turnebi Aduers. lib. XXVII. cap. XXXIX. Quod & IV. Academicar. Quæst. Cicero. Abnerbij more usurpauit. Quod si unius literulæ dispendio legendum *aue*? Certis enim auguriis olim herbæ in medicinam legebantur. Plinius Nat. hist. lib. XXV. cap. V. Dioscoridem lib. IV. cap. CLI, imitatus de Elleboro hunc ritum expressit: *Nigrum ex his Melampodion vocant, quo & domos suffiunt purgantq; spargentes, & pecora, cum precatione solenni. Hoc & religiosius colligitur. Primum enim gladio circumscribitur; deinde, qui succisurus est, ortum spectat, & precatur, ut id liceat sibi concedentibus Diis facere, obseruatque aquilæ volatus. Fere enim secantibus interest; & si prope aduolauit, moriturum illo anno, qui succidat, augurium est.* Apollinem Æsculapiumque precari monet Dioscorides. Addit Theophrastus Histor. plant. lib. IX. cap. IX: *circumscribere spectando ad ortum, & aquilam cauere, tam à dextra, quam à sinistra.* Sic Theodorus Gaza quidem vertit. Malo tamen φυλάξασθαι interpretari cum Plinio *obseruare*. Renatus Moræus Regius Lutetiæ Professor, quum meam per literas consecturam intellexisset, paucis mutatis in eam mecum venit sententiam, hunc locum ita constituendum: Sed utrasque superius dictas herbas, cum inueneris, pridie notare oportet, & circumscribere sinistra ante fruges illico spuentem, &c. Ingeniose fateor, neque audacter nimis. Noui enim quæ Plin. lib. XXIIX. cap. IV. aliique de saliua hominis habent superstitiosa. Marcellus etiam Empiricus cap. XI. aduersus linguæ pustulam ter spuendum scribit in terram. Quod hodieque in Dania vulgo receptum. Idem cap. XIV: *dum prendes araneam, ter in terram spues*. Nec Galenus in Hipp. de Offic. Med. Com. II. Text. II. eiusmodi tentamenta improbat. Hæc tamen singula dubius agitans animum serio Scribonii verbis quum admouissem, antiquæ religionis memor nihil heic immutandum deprehendi. Plana quippe omnia, dummodo hac ratione distinguantur. Sed utrasque superius dictas herbas, quas cum inueneris pridie notare oportet & circumscribere, sinistra aure fruges aliquas ponentem, atque postero die ante

solis ortum sinistra manu vellere; ita alligatas habere. Priscos autem ritu in nostra tempora transmisso herbam imposuisse auribus monstrat Apuleius de vir. herb. cap. xciv. editionis Parisinæ: *Herbam pulegium tecum, aut super aurem, aut sub anulo portato*. Et Q. Serenus imperante Alexandro Seuero clarus de Cap. medic. *Pulegiumue potens una super aure locabis*. Causam Strabus Gallus addidit Hortuli cap. xiix:

ramum coniungito pulei
Auriculæ, ne forte caput turbauerit æstus
Solis, in aerio si te perflarit aperto.

Procul dubio Plinii fide, qui nat. histor. lib. xx. cap. xiv. ait: *Dignior è pulegio corona Varroni, quam è rosis, cubiculis nostris pronunciata est. Nam & capitis dolores imposita dicitur leuare.* Nimirum sententia Scribonii est. Herbæ inuentæ quidpiam sinistræ auri imponendũ, ad firmandam similitudine memoriam, cui velut Deæ pars ista corporis dicata: vel iam repertam mox religionis causa manu sinistra circumscribendam prius quam pars eius nempe frutex auriculæ indatur. Coniecturam meam roborat Marcellus cap. xiv: *Herbæ Cymbalitis radicem ante solis ortum colliges sinistræ manus digitis pollice & medicinali*. Similem decerpendi ritum memorat Plin. lib. xxi. cap. xx. Alter etiam de re med. lib. ii. cap. lix. lib. iii. cap. xxxii. & lib. iv. cap. xl. Cuius causam de Consiligine reddidit Columella lib. vi. cap. v. atque ex eo P. Vegetius Art. Veter. lib. iii. cap. ii: *læua manu effoditur ante solis ortum. Sic enim lecta maiorem habere vim creditur*. In hanc religionem Apuleius de vir. herb. cap. i. de Betonica verba faciens: *Lege eam mense Augusto sine ferro*. Et cap. xciii: *Ebulum sine ferro lectum habeat.* Itaque Scribonii præcepto vellere oportet, non, ferro effodere. Quid vero ante solis ortum. Quo etiam modo Plin. lib. xxv. cap. xiii. Plin. Valerian. lib. ii. cap. xlv. Apul. de vir. herb. cap. xxiv. & xxix. Herbæ ad lunæ facem lectæ veneficiis efficaciores censebantur, quod eius spuma inficerentur. Inde Virgilius Æn. iv:

Falcibus & messæ ad lunam quæruntur abenis
Pubentes herbæ nigri cum lacte veneni.

Eadem pariter superstitione non modo lectæ, sed adhibitæ quoque fuerunt herbæ. De Coriandro Plin. lib. xx. cap. xx: *Sunt qui & ante solis ortum ceruicalibus subiici efficaciter putent.*

Illigatas habere.] Sic Apul. cap. xxiv: *Herbam chamæmelon si quis ante solis ortum carpserit, &c. secum alligatam gestet.* Mantissæ loco nouitium heic inuentum vero testimonio fraudare nefas duxi. Ioannes Preuotius Patauii doctor meus, ut sollertissimi erat ingenii, singularem huius trifolii ad tremorem, maximeque ab intemperatiori vino, persanandum efficaciam certis experimentis obseruauit: quam nec ignorauit fortasse Matth. de Grad. in ix. Ras. cap. xi. Conserua nempe ex foliis cum æquali parte sacchari aqua saluiæ diluti plurimum profuit. Parata insuper unctio ex herba, quantum manus tres quatuorue comprehendere possunt, cum qua lumbricorum terrestrium vino albo lotorum libra semis, vini albi meraci, & olei communis, aut, quod præstantius, chamæmelini cum lumbricis confecti, singulorum binæ libræ leni igne ad totius liquoris consumtionem incoctæ. Simile quidpiam intellexisse videtur

Heur-

Heurnius de Capitis morbis cap. XIIX. ubi tradit peculiariter tremorem leniri oleum de trifolio odorato. Vix enim crediderim cum Fuchsio ac Dodonæo Lotum hoc nomine indicasse hortensem odoram: cuius vis remolliens ab hoc instituto est prorsus aliena. Nec ignauiorem pratensis in umbra siccati puluerem, in vino quodam agresti didicit, è cuius foliis oleum ad hunc affectum deprædicat Eustachius Rudius de hum. corporis affect. lib. I. cap. XIIX. Imo & huius oleum à summo viro Benedicto Siluatico laudatum memini ad Tremorem: quanquam & bituminosi Arabibus commendatissimum. Obstetrices præterea Neapolitanæ, vulgari à qualicunque foliorum similitudine Phaseolariæ titulo, trifolio bituminoso lactentium epilepsiæ occurrere se credunt, si prolectum è cymis eius in mortariolo tritis succum pari portione terrestris erinacei felle permisto semel bisue die naturali cochlearis unius alteriusue mensura dextre propinant. Interdum succo per se, vel cum balsamo nigro, tempora, nares, & iugulum perfricant: utrumque longo usu edoctæ. Nec sine ratione. Huius enim vitii materia tenacior & crassior remedia postulat tenuantia & rarefacientia. Qualia sunt, quæ naturam sulfuris referunt: cui cognatum est bitumen, quod flammam promte concipit. Sed & Marcellus de Medicamentis cap. III. trifolium proponit ad vertiginem, cui malo sonticum illud parum dissimile. Tenebricosa enim vertigo, ut notat Galenus ad Sect. III. Aphor. XVII, quæ fit quum humor cum crasso spiritu in capite mouetur, epilepsiam præcedit. Fibros ad Lupiæ ripas abundantes victitare, atque inde Germanis *Biberklaut* appellatum, notat Gaspar Hofmannus de Medicam. Officin. lib. II. cap. CCXXIX. Numquid inde vomicæ siue castorei tanta in morbis efficacia?

CLXIV.

In Africa,] Plin. lib. XI. cap. XXV. de Scorpionibus ait *hoc malum Africæ volucre*. Pammene autore Ægypto pariter scorpiones alatos duplici aculeo armatos tribuit Ælianus De Animalibus lib. XVI. cap. XIII. Quales & Cl. Veslingius inibi sine alis vidit. Imo quibusdam plane pennas inesse ex Appollodoro accepit Plinius. Africam vero animalculorum hoc genere fœcundam optime indicat elegantissimus Hadriani nummus æneus, in quo AFRICA mulieris habitu desidens manu dextra scorpium tenet: Antonini quoque argenteus, qui ad muliens pedes eiusmodi bestiolam refert. De Scorpionis morsu eiusque notis Dioscorides lib. VII. cap. VII. qui comparat acui. Ideoq; *Scorpio* non inconcinne No. Marcello est *genus teli*. Scorpionem vero dirum animal Africæ scribit Plinius lib. V. cap. VII. Scorpiones Patauinos minus venenatos monet Fallopius de Tumor. cap. III. Plinius etiam lib. XI. cap. XXV aliquando in Italia innocuos. Nicandri Scholiastes in Ther. albi Scorpionis morsum non esse lethalem affirmat, penes quem fides esto. Credibile tamen est Italiam frigidioresque regiones minus terribiles edere; quod Celsus lib. V. cap. XXVII. de Anguibus prodidit: quamuis & perniciosissimos viderim.

Stellionem] Salmasius in Solinum intelligit Italicum, quia Græcus noxa vacat. Plin. lib. XI. cap. XXV: *Magnam aduersitatem oleo mersis* (Scorpionibus) *& Stellionibus putant esse*. Et lib. XXIX. cap. IV. *Scorpionibus contrarius maxi-*

me in vicem Stellio creditur, ut visu quoque pavorem iis adferat, & torporem frigidi sudoris; itaque in oleo putrefaciunt eum, & ita ea vulnera perungunt. Mirandum magis refert Galenus de Theriaca ad Pisonem cap. IX: *Stellionem si scorpiones intueantur, immobiles & demum mortui redduntur.* Stellione quoque admoto scorpium torpore affici tradit Ælianus De Animalibus lib. VI. cap. XXII. Non igitur fide caret Æginetæ monitum lib. VII. cap. III. Stellionem à scorpio ictis auxiliari. Vulgarum est, hominis ieiuni saliua scorpionem interimi, & Galeni experimento confirmatum de Simpl. med. fac. lib. x. Quod Demetrius Terillus de Generat. lib. II. cap. VII. religiose accipit de ieiunio, quo venereus ardor exstinguitur. Ætius tamen Tetr. I. Serm. II. cap. CIX. asseuerat citra omnem incantationem ex solo ieiuni sputo scorpium perisse. Nec spernendum Danielis Sennerti monitum Pract. lib. VI. Par. IX. cap. XIV. ab esu apii cauendum, ubi scorpiones fuit frequentes. Vnum naturæ prudentes celare nolo, obuium quidem fed præsentissimum huic animalculo antidotum, Henricus Furenius ciuis meus clarissimus, cuius iam supra quinquennium cum fratre Thoma rerum naturalium sagacissimo iucundissimum mihi fuit Patauii contubernium, dum hæc scribo Peti Indici folium Scorpio admouit: ex quo breui conuulsus interiit. Neque hoc experimento contentus illico fumum longe efficaciorem deprehendit. Adeo multa priscis ignota quandoque sera dies aperit. Curiosis de scorpii enixu oculata fide hoc naturæ scriptoribus intactum addam. Anno CIↃIↃCXXV die Iulii XXIX Patauii scorpius turgens numerosam mihi exclusit sobolem, quam non ouis, sed perfecti animantis figura cum spuma ori matris admotam vidi, eaque mox eius dorso & sub aluo undique hærebat initio candida, breui dorsum cineritia, post nigricans, donec euidentiore paulatim specie adulescens tandem sponte dilaberetur. Idem Thomæ Furenio contigit Anno CIↃIↃCXLV a. d. Iul. XXI, ubi mox candida compauit pellicula orbicularis, qua veluti secundinis proles manifeste obnuebatur. Hinc Aristoteles forsan de Hist. Anim. lib. V. cap. XXVI. ait: *Scorpiones terrestres vermiculos ouorum specie pariunt complures, & incubant.* Quod & Plinius notauit lib. XI. cap. XXV. Addit Philosophus: *Scorpiones undenos pariunt.* Imo plures quam tricenos, vel nostris experimentis. Nec tamen uno eodemque tempore. Anno enim CIↃ IↃC XLVII die Augusti XVII bestiola hæc undenos peperit, quod & Plinius obseruauit: qui numerus die XIX pæne triplicatus. At eodem ferme die sequentis mensis proles hæc interiit, quum in pastum matris binos appofuissem scarabæos, quos mox tuos non tetigit. Huic porro eiusdem nominis herbam remedio esse scribit Plinius lib. XXII. cap. XV. cuius semen habet similitudinem caudæ scorpionis. Quod malim de Aconito Pardalianche altero intelligere, quam de scorpio Theophrasti, cuius meminit Histor. Plant. lib. VI. cap. I. Illius enim radix scorpii caudam æmulatur, qua etiam admota scorpiones torpescere notat Dioscorides lib. IV. cap. LXXVII. Nec prætereundum, sæuire in se hanc nationem. Bini quippe vitro inclusi alter alterum acri pugna conficit, victusque pabulo cedit; quamuis multos ceteroquin dies, imo frigidiori cœlo tres interdum menses traducat citra escam, quam muscæ præstant. Singularis autem ipsius ad venena virtus exploratis G. Scioppii & Hieronymi Ferrantis cognomine Oruietani alexiphar-
macis

macis claret. Dictu memorabile, quam intulit perniciem suo etiam corpore luit. Oleo enim mersum animal scorpii morsum elidit. Si Dioscorides lib. IIX. cap. v. audiendus, procul dubio κατά τινα ἀντιπάθειαν, quam Plinius lib. XXII. cap. XXIII. optime repugnantiam naturæ appellauit. Præstantissimum remedium notauit Antonius Benuenius de Abdit. morb. caus. cap. LVI. solam ex vino generosiori theriacam, qua famulum suum à morsu corpore uniuerso frigidum sudantem liberauit.

CLXV.

Theriace] Galeottus Martius de promiscua doctrina cap. V. vocis originem deducit à θηρίω quod est *feruo*. Veriorem forsan eius rationem tradit Galenus de Theriaca ad Pis. cap. V. quia morsibus serpentum maxime succurrit; vel quia carnes viperinas habet admistas, quod Critoni placuisse tradit de Vsu Theriacæ ad Pamphilianum. Tale quidpiam heic & Compos. CLXIII indicat Scribonius. Nec aliter Plinio lib. XX. cap. XXIV Theriaca compositio est aduersus venenata animalia, imo venena omnia, ut docet Introductionis autor cap. XIV. Veteribus amaram potionem ex Varrone monstrat Petrus Victorius Var. lect. lib. I. cap. XXII. Mulsum tamen Varro dixit sitienti Theriacam, puta, præsens remedium, illi præcipue, qui siti confectus. Nisi ingeniosa doctissimi Mureti Var. lect. lib. IV. cap. XIV. coniectura quis maluerit: *Sitienti videri acam mulsam*: hoc est *aquam* more prisco. Theriacæ vero appellatione intelligit Varro, cum Scribonio Compos. CLXIII. quoduis ad serpentum morsus atque ictus medicamentum. At nostra ætate receptam primus Neronis imperio Andromachus excogitauit, quæ Principibus olim magni fuit. Narrat enim Galenus de Antidot. lib. I. cap. I. Aurelium Antoninum Imperatorem, quo se in primis tutum à veneno præstaret, singulis diebus tantum Theriacæ, quantum est Ægyptiæ fabæ magnitudo, sumsisse. Verum id non tam timoris causa factum, quam ad stomachi pectorisque valetudinem, memorat Dio Hist. Rom. lib. LXXI. Vnde summo etiam studio simplicia pro ea quæsiuisse fertur. Galenus eiusdem de Antidot. lib. I. cap. XIII. Antonino & Seuero Imperatoribus theriacam se fatetur parasse. Nostri vero seculi priscorum opinioni vix respondet. Efficacior forsitan ea, quam Cayri mense Maio componi scribit Prosper Alpinus Dial. de Balsamo & de Med. Ægypt. lib. IV. cap. IIX. Itaque prudenti consilio Fernelii Henricus II. Galliarum Rex Turcarum Imperatorem de medicamentis & herbario ad Mithridatii compositionem rogauit. Neque enim dubium medicamenta ibi recentiora. Theriacam vero viperæ veneno magis destinatam, omnibus promiscue venenis Mithridatium conuenire nimis curiose videtur aduertisse Hannibal Albertinus de affect. Cord. lib. II. cap. XL: Galeni fortassis autoritate, qui de Antidot. lib. II. cap. II. notat Mithridatium minus resistere viperinis morsibus. Etsi non ignorem hoc minori caloris acrimonia pollere, ac nonnullis pro sequiori sexu Theriacæ præferri, ut nesciam quam vere monuerit Ioannes Philippus de Lignamine cap. IV. de conseruat. Sanitatis, Theriacam æstate, Mithridatium hieme conuenire. De vino Theriacæ videatur Constantinus Geoponicus de Agric. lib. IV. cap. IIX. qui Dionysius est

Vti-

Vticensis indicio Nicolai Guiberti de Murrhinis cap. 11. Matthaei Autogalli beneficio Graece ad Ianum Cornarium missus, ut refert ipse lib. 11. cap. 1. comm. Gal. de Comp. med. sec. loca & in Praefatione memorati operis: quem lib. VII. cap. XIV. constat sacratum literarum non fuisse ignarum.

Interiorum partium] Scribe maiori perspicacia: & ad convulsiones, interiorum partium, laterisque e. q. c.

Vitis albae] Contra Viperarum ictus & laterum dolores commendaturà Dioscoride lib. IV. cap. CLXXXIV. Vitis alba silvestris ad viperae morsum quoque laudata P. Vegetio lib. III. cap. (LXXIX.) LXXXII.

Panacis] Lege, panacis ✱ p. IIII. Panaces cum aristolochia venenaris animalium ictibus opponitur ab eodem lib. III. cap. LV. Malum vero terrae aristolochiam exponit autor Comp. CCII.

Rori marini] Sic editio prima Simonis Silvii, & Cratandri; Aldi, & H. Stephani roris marini. Quod probo. Scribonius tamen Compos. CCLXVII. habet Rosmarini. P. Vegetius pariter lib. III. cap. (LXXIX.) LXXI. Plin. Val. lib. I. cap. XI. *Rosmarini*; lib. etiam II. cap. II. Vtrumque recte: quia *Rosmarinus*, & *Rosmarinum* ex tecto & obliquo dicitur. Idem lib. II. cap. XXXIIX. *adducies rosmarinum*. Lib. III. cap. XIV. *Recipe rosmarinum*. Lib. V. cap. XXVII: *admisces rosmarinum*. & : *in pultes rosmarinum mittes*. Diosc. lib. III. cap. XXXXVII. Siccae radices contra serpentium morsus conveniunt. At Plinius lib. XXIV. cap. XI: *Rosmarinum adversatur venenis & venenatis, praeterquam anguibus*. Antiquissimum eius in sacris usum indicat Apuleius de vir. herb. cap. LXXXI: *Antequam thus sciretur, roremarino homines Deos placabant*.

Laseris] Hoc valet adversus omnia animalia, quae virus eiaculantur, ut autor Dioscorides lib. III. cap. XCIV.

Gingiberis] Ita Ruellius. Melius Zingiberis. Est enim ζιγγίβερ Dioscoridi lib. I. cap. XIII. & Ζιγγίβερις lib. II. cap. CXC. ab Indica voce *Zengobil*, ut quidam putant, Sui generis planta in Antidota addi solet; atque in primis in Theriacam ex Gal. de Ther. ad Pisonem cap. VII. De figura eius dispar sententia est inter autores. Plinii lib. XII. cap. VII. verba sunt: *Non est piperis arboris radix, quod Zingeberi vocant, quamquam sapore simile. Id enim in Arabia & Troglodytica in villis nascitur, parvae herbae radice candida. celeriter ea cariem sentit, quamvis in tanta amaritudine*. Aet. Tetr. I. Serm. I. hoc aquosae substantiae excrementitiae adscribit. Garcias ab Horto & Christophorus à Costa Indis speciem plantam exhibent. Eius generis florentem certe vidi tertio ac decimo ab urbe Patavina lapide prope municipium S. Petri in horto Illustrissimi Nicolai Contareni Nobilis Veneti, quem sedulus ille naturae admirator invidiae pene capacis stirpium cultu peritissime instruxit. Piperis quidem viribus respondere putat Dioscorides lib. II. cap. CXC. Oribasius tamen Coll. lib. XV. cap. I. affirmat partium esse minus tenuium, quandoquidem non primo occursu, ut Piper, valide excalefacit.

Rutae silvaticae] Antidotis haec forte indita, quia movet urinam Galeni sententia de Simpl. med. fac. lib. VII.

Cumini Aethiopici] Dioscorid. lib. III. cap. LXIIX. scribit conferre demorsis à serpente, in vino. Plin. lib. XX. cap. XV: *Hippocrates regium appellavit, quia* effica-

efficacius in Aegypto indicauit. Vbi legendum videtur, *quam in Aegypto*, vel, *efficacius Aegyptio*, si verum quod affirmat Dioscorides hoc locum secundum tenere.

Castorei] Galen. de Ther. ad Pis. cap. VII.

Eryngii radicis] Hæc ad serpentium morsus & hausta venena cum vino prodest ex Diosc. lib. III. cap. XXIV.

Serpylli] Diosc. lib. III. cap. XLVI. Plin. Valer. lib. IV. cap. XXXIIX. *Atque serpilli potentiam intelligas, subdidi theriacam in templo Aesculapii ab Antiocho Rege Syriæ versibus dedicatam.* De qua idem lib. III. cap. LVII: *Adeo probata est experimentis, ut apud insulam Coum in templo incisa sit in lapide.* Hanc pariter Plin. maior lib. XX. cap. XXIV. ait *Compositionem clarissimam aduersus venenata animalia, incisam lapide versibus in limine ædis Aesculapii.* Valerianus addit, regem aduersus omnes serpentes usum præter aspidem.

Erui] Dioscor. lib. II. cap. CXXI. ad viperarum morsus laudat. De Theriacæ usu Ætius Tetr. IV. Serm. I. cap. XCVI: *In venenatis pharmacis, aut venenum iaculantis animalis plaga, nucis Ponticæ magnitudine in vini cyathis tribus dissolutam bibendam præbemus.* Muretus tamen loco nuper laudato negat potui fuisse. Hæc autem liquoris copia indicat efficaciorem fuisse nostra, quæ illa rei peratura hebetesceret. Porro ad omne venenum ante & post vomitum dari præcipit Æt. Tetr. IV. Serm. I. cap. LXIX.

Moliti] Omnes libri: H. Stephanus, molliti.

CLXVI.

Facit: Cinnami] facit. Cinnami &c.

Staphisagria] Similiter Aldus. Recte H. Stephanus, Staphisagriæ: quanquam & malim staphidis agriæ, ut Comp. IIX. *σταφὶδ@ ἀγρίας*. Quidam enim plagis ferpentium utique illinunt, inquit Plinius lib. XXIII. cap. I. At folus, quod videram, autor libri de Catharticis, qui Galeno adscriptus, eam inter fudorifica recenset, quæ per os accipiuntur. Qua procul dubio ratione heic locum obtinuit, Celso lib. III. cap. XXI. etiam mouet urinam. Sed uvam is taminiam intelligit. Quam vulgo sententiam vere adscribit Plin. lib. XXIII. I. Hæc enim potius vitis est silvestris, cuius radix aquas alui purgat indicio Dioscoridis lib. IV. cap. CLXXXII. assentiente Plinio. Nec Scribonius aliter intelligendus. Nam & autoritate Galeni de Simpl. fac. lib. IV. cap. XIIX. abstergit expurgatque, & in venis crassitiem incidit vitis silvestris, quo modo Theodoricus Gerardus heic exponit Staphisagriam. Id vero perneccessarium erat Theriacæ mouenti urinam, quam humorum in venis serum ex Hippocrate docet Galenus Com. I. lib. III. Epidem. Ægroto II.

Peucedani lactis] Dioscor. lib. III. cap. XCI: *Tam lac quam succus è radice & caulibus extrahi solet. Verum inefficacior succo lacrima habetur, & velocius exspirat.* *Peucedanum incensum serpentes abigit.* Clarius autor libri de Simplic. Medicam. ad Paternianum: *Radix eius incensa serpentes & viperas fugat.* Vide quæ notaui Comp. CLXXII.

Glycysidæ] *Γλυκυσίδη* Diosc. lib. III. cap. CLVII. Theophrast. Hist. plant. lib. IX.

lib. IX. cap. IX. Plin. lib. XXV. cap. IV. & lib. XXVII. cap. X. Oribas. Collect. lib. XI. *Glycysis, & Glycysides*. *Dulcisida* Theodoro Gazæ Theophrasti interpreti. Quod nomen etiam retinuit Dodon. Histor. Stirp. Pempt. II. lib. I. cap. XXXII. Sed vocis usu inflexo, quandoquidem pæonia ex se amara. Galenus de Simpl. facultat. lib. VI. docet hanc omnino desiccare. Ideoque pueris epilepticis à collo suspensam conferre.

Saliuncæ] id est, nardi siluestris. Comp. CXCV. Nardi autem radices antidotis misceri prodit Dioscorides lib. I. cap. VI.

Mithridatii] H. Stephan. Mithridatis. Quod magis placet. Nam & hoc modo Comp. CLXX. autor.

CLXVII.

Hic nonnullæ desunt compositiones.] Lacunam veteris libri Ruellius indicat: quam nulla hactenus diligentia nobis explere licuit. Cetera lemmata suis quæque compositionibus ordine rectius præfiguntur.

Ad aspidis morsum] Heic somniculosa grauedo vitæ finem adducit. Nicand. Theriac. Ioanne Leoniceno interprete.

Data. Gentianæ] Gentiana à Gentio Illyriorum Rege inuenta contra venenatos morsus auxiliatur apud Diosc. lib. III. cap. III.

Galbani.] Quod serpentes necat, ex Diosc. lib. III. cap. XCVII.

Petroselini] Antidotis urinam cientibus admisceri notat idem lib. III. cap. LXXVII.

Rutæ siluaticæ] Vide quæ Comp. CXVII. dixi.

Maceris,] Μάκερ Macer Dioscoridi lib. I. cap. CXI. qui ortum eius videtur ignorasse, licet fateatur ex Barbaria aduehi. Plin. lib. XII. cap. IIX. apertius: *Macir ex India aduehitur cortex rubens radicis magnæ, nomine arboris suæ; qualis sit ea, incompertum habeo*. Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. VI. cap. I. corticem ait aromaticum, qui ex India adfertur, multum calefacientem & adstringentem, quem & valide siccantem pronunciat lib. VII. de Simpl. fac. cum leni quadam acrimonia multum acerbum censuit Oribas. med. Coll. lib. XV. cap. I. Nec mirum Bartholomæum Vrbeuetanum, & Angelum Paleam Distin. I. Censuræ in Antidotarium Ioannis Mesuæ affirmare Macim & Macerem solo nomine differre, quandoquidem ipsorum ætate India nondum Orientalis frequentabatur. Nec forsitan Macis Arabum liquido innotuerat Græcis; quam postea cataphus Lusitanorum Batauorumque gentibus Europæis detexit. Ideoque Ioannis Serapionis & Simonis Ianuensis æquius ferenda fuerit opinio, ut ut sibi parum constantes monstrat Gentilis in Auicennam lib. II. Tract. II. cap. CCCCLVI. & DCXCIV. Horum procul dubio autoritate singularis alioquin doctrinæ vir Hadrianus Iunius ait: *Macis, vel Macer nucis myristicæ amiculum*. At macis cortex medius est nucis myristicæ, maceri colore similis. Quas autem Dioscorides Maceris memorat vires, ita suis experimentis confirmat Christophorus à Costa lib. de Aromatis, ut inter Carolum Clusium Histor. Aromatum lib. I. cap. X. adseuerasse Græcorum macerem nostro æuo ignotum, siquidem ipse historiam Latina consuetudine suaque opera non indignam censuit.

Var-

Varbasci.] Sic omnes libri. Scribe Verbasci. Quo modo Plinius lib. xxv. cap. x. Folia eius cocta in aqua contra scorpionum ictus proponit Dioscor. lib. iv. cap. civ.

Aiugæ Idææ] id est chamæpitys Cretica, ex Ida monte. Creticam quippe nominat Galenus de Antidot. lib. i. cap. xii. & lib. de Ther. ad Pis. cap. xii. in Andromachi Theriaca recenset. De qua in Lexico plura. Actuarius Meth. med. lib. v. cap. ix. inter antiquos unus eam phlegmagogis adnumerat. Quod autor libri alt. de Dynamid. Chamæpity totidem verbis tribuit.

Chamælex] Chamelææ. Hæc pituitam bilemque detrahit ex Dioscoride lib. iv. cap. clxxii.

Marrubii tenuis,] Album angustifolium fortassis innuit. Marrubium Dioscorides lib. iii. cap. cxix. commendat, qui venenum hauserunt, aut à serpentibus demorsi. Adde Galenum de Simpl. med. fac. lib. ix. & cap. vii. de Ther. ad Pis.

Conyzæ minoris] Hæc odore præstantior sententia Dioscoridis lib. iii. cap. cxxxvi. cuius folia serpentium plagis illinuntur. G. Bauhin. Pinac. lib. vii. Sect. iii. monet esse feminam Theophrasti.

Lachrymæ papaueris,] Gifanio magis placet *lacrimæ*, quamuis & Stephanus cum Aldo y admittat. Eam plantæ fudat; quo differt à succo papaueris, cuius mentio Comp. clxxx. Sic Dioscoridis lib. i. cap. cxlii. δάκρυον τῆς αἰθιοπικῆς ἐλαίας interpreti vere *lacrima quam Aethiopica olea stillat*. Pythagoricos autem arboribus lacrimas & dolores adsignasse scribit Mercurialis de morb. puer. lib. ii. cap. xxvii. Succus etiam emanat apud Dioscoridem lib. iv. cap. lxv.

Agarici,] Agaricum Dioscoridi lib. iii. cap. i. radix; sed fama. Plinio lib. xxv. cap. ix. verius est fungus candidus, antidotis efficax. Vnde recentioribus Medicamentum theriacale. Ab Agaro Sarmatiæ promontorio nomen traxisse putat Ioan. Ant. Saracenus in Dioscoridem. Laricibus adnatum vidi in saltibus Tridentinis, quum ad montem Baldum insignium herbarum feracem curiosius diuertens Tridento Patauium repeterem. Eo Veneti utuntur. Sed Augerius Ferrerius Castigat. Pract. cap. i. aduertit antiquorum illud adstringere; nostrum ex Alpibus flatulentum, vomitorium, & minus efficax.

Schœni, id est iunci odorati floris,] H. Stephanus: Schœni (id est iunci) odorati floris. Melius: Schœni, id est iunci odorati, floris. Nam Iuncus odoratus, σχοῖνος, quod officinis est *Squinanthum*. Diosc. lib. i. cap. xvi. σχοῖνος *in Africa & Arabia nascitur, antidotis miscetur*. Qua appellatione G. Bauhinus Pin. lib. i. Sect. ii. Iuncum odoratum eximiè intelligi putat. Iunci odorati rotundi florem nominat Ætii interpres Tetr. i. Serm. i. σχοῖνος enim Celso lib. iii. cap. xxvii. Iuncus rotundus. Quem sine flore etiam in antidotis usurpari sola odoris gratia laudatum significat Galenus de Antidot. lib. i. cap. xiv. Sed uberiorem nunc debemus Tiphy Batauico. Nam & Amstelodami apud virum conspicuum Paulum de Villem insigni copia floridulum videre licuit.

Radicis Ponticæ,] Prosper Alpinus Disp. de Rhapont. & Io. Ant. Saracen. in Diosc. putant hanc à Rhabarbaro non differre genere, sed specie, ratione soli, imo, colore, gustu, & odore, pro cœli etiam diuersitate, non facultate, censet Prosper Calanius Comment. de sanit. tuenda. Nec de alio Dioscoridem inter-

præfatur G. Bauhinus Pin. lib. III. Sect. V. Rhapontici tamen vis diuersa est à Rheo, etiamsi huic, quod Agarico, pondus adscribitur à Diosc. lib. III. cap. II. ubi Ruellius interpres *Rhaponticum* addidit. Rheum nempe ait ille adstringere. At Rhabarbarum ventrem soluit. Hoc ῥᾶ & ῥῆον Græcis illud ῥίζα ποντικὰ, *Rhacoma* Plinio lib. XXVII. cap. XII. Quæ tamen vox Hermolao Barbaro in lib. III. cap. II. Dioscoridis, & post ipsum Ioanni Ruellio de nat. stirp. lib. I. cap. XX. suspecta. Verum prisci rhabarbarum antidotis miscere contenti laxandi vim eius ignorabant, quam primus notauit Auerrhoes, ut curiose monuit Petrus Iacobus Zouellus de Peste cap. VII. Inter Græcos tamen Paulus Ægineta lib. I. cap. XLIII. ad soluendum ventrem terebinthinæ rheum iubet addere. Sed & recentiorum experimentis compertum est, vim Rhapontici eandem quæ Rhabarbari, quamquam remissiorem. Quod nec Prosper Alpinus præteriit de Plantis Exoticis lib. II. cap. V.

Dauci Cretici] Daucus hic, qui Meum folio anethi G. Bauhino, Diosc. lib. III. cap. LXXXIII. probatissimus, cuius radix venenis maxime resistit. Vnde Andromachus etiam semen eius accipit apud Galen. cap. VII. de Ther. ad Pisonem.

Opopanacis] Diosc. lib. III. cap. LV. Panacis semen laudat contra animalia quæ venenum eiaculantur.

Sagapeni] Serpentium ictibus conferre docet idem cap. XCV.

Abrotoni] Celso lib. III. cap. XXI. est *Abrotanum*. Sed Plinius lib. XXI. cap. X. & XXI. *Abrotonum* scribit exemplo Dioscoridis, cui lib. III. cap. XXIX. Ἀβρότονον. Plerique tamen Celsum hodie sequuntur. Venenatis animalibus obsistere, præter Dioscoridem tradit Æt. Tetr. IV. Serm. I. cap. VII. Hinc Lucanus lib. IX. versu DCCCCXX:

—— fumoque grauem serpentibus urunt
Abrotanum.

Styracis dictamni,] Sic omnes libri. Sed interstinguenda, etiam tironi constat.

Cyrenaicæ lacrimæ] Succus Cyrenaicus est siue Laserpitium antiquorum, ὀπὸς Κυρηναϊκὸς Dioscoridi lib. VI. cap. XXXII. & Ther. cap. II. Straboni pariter Geograph. lib. XVII. Palladio etiam de re rust. lib. III. Tit. XXIX. *Cyrenaicus liquor* Saraceno interprete. De quo Dioscorides lib. III. cap. XCIV. Cardanus de erroribus Medicorum putat esse Benioin officinarum, quod Fernelius etiam Consil. XIII. eius loco proponit. Hieronymus Accoramboni autem de Catarrho differens affirmat nostrum Benioin ex odore ingrato myrrham veterum. Qua forsan de causa Salmasius etiam in Solinum Asam negat hisce temporibus odoratam reperiri. Ioannes Baptista Correfius Miscell. med. Epist. VII. Cyrenaicum quoque inficiatur Asam dulcem, quæ Capiuaccio de Febr. cap. XXXVII. odorata.

Hinnuli coaguli] Aduersus aconitum laudatur à Dioscoride lib. II. cap. LXXXV. Plinius lib. XXIIX. cap. IX. addit: *summis remediis præfertur hinnuli coagulum matris utero exsecti.*

Satis sit inde f. n.] sans sit. Inde f. n.

Antipatrum] Antipatrum publice medicinam Romæ professum memorat

Gale-

Galenus de loc. affect. lib. IV. cap. III. At quoniam æqualis hic ipsius, qui seculo integro distat à Scribonio, credibile est Antipatrum heic nominari, quem sectæ methodicæ propagatorem narrat auctor Introductionis cap. IV: cuius varia describit Galenus medicamenta, sed hanc in primis Theriacam, qua se usum fatetur de Antidot. lib. II. cap. X. Eamque ex communi fonte accepit, tam ostendit congruentia. Galenus tamen in quibusdam euidentior. Nimirum trifolii radicem accipit, Aristolochiam quoque tenuem poscit, quæ Andreæ Cæsalpino fortassis Aristolochia altera tenui radice. Sed maceris non meminit. Victoriati loco habet obolos quatuor, hoc est scripula bina, ubi de thym. ammoniaco. Rectius dauco, sagapeno, & abrotono adsciuit postea tres. Ad quam normam prior locus forsan redigendus. Et Iane Græcus libet haber τρίβολον. Aiugam vero sine dubio librarius omisit Græcus Latini sermonis parum gnarus, perperamque Latinus interpres Iulius Martianus Rota Verbasco iunxit Idææ cognomen, addita insuper chamæpity, quandoquidem in Græco est ἰδαία χαμαιπίτυς. Conyzam præterea, quæ Scribonio minor, Galenus tenuem appellauit, & succum papaueris, quæ alteri lacrima; quod & de lacrima Cyrenaica factum. Radici quoque Ponticæ non male Rheum substituit. Nec frustra scriptum, dictamni tantundem, styracis tantundem. Quod librarios vel hinc animaduertisse oportuit, eosue quorum in restituendo hoc loco desideratur diligentia.

CLXIIX.

Non restituta.] Nec ab ingenio medelæ spes ulla, nisi desperata in hunc diem MS veteris copia fuerit. Eam tamen, si libet, supplere licet ex Dioscor. lib. VI. cap. X. & lib. IIX. cap. IIX. itemque ex Galeno passim, ex Æginetà, Ætio, & Actuario, nec non P. Vegetio Art. veter. lib. III. cap. LXXIX. itemque ex Apsyrto, Hierocle, atque Hippocrate veterinariis, Amato Lusitano Cent. I. Cur. I. & Eustachio Rudio de Morbis occultis lib. III. cap. XIIX. Præsentissimum heic auxilium urinam humanam cum saccharo potam calide refert Zacutus Lusitanus Praxis admir. lib. III. obs. XC. Insignem heic Balsami vim credimus, modo vera quæ Romuleo Amasæo interprete Bœotic. lib. IX. narrat Pausanias: *Sunt balsami arbores ea qua myrti stirpes magnitudine: folia illis qualia herbæ amaraco. Habent sua circa eas plantas cubitu viperæ, plures uno, alio pauciores loco. Quod si quem morsu appetierint, plaga est qualis è ferri vulnere, sed veneni omnino expers, quod scilicet balsami pastu liquoris unius omnium odore præstantissimi veneni acerbitas illa pristina mitescit.* Nec Dioscorides lib. I. cap. XIIX. siluit Balsami semen commodum Θηριοδήκτοις, *à serpente demorsis*. Rariori exemplo Thomas Bartholinus de Angina Camp niæ Siciliæque epidemia Exercitatione VI viperas Melitæ innocuas monuit. In opere tam pernicioso naturæ secreta M. Aurelius Seuerinus libro singulari in lucem protulit.

CLXIX.

Antidoros Zopyti] Hanc, omisso præter consuetudinem Scribonii nomine, procul dubio ex communi fundo bona fide Galenus de Antidot. lib. II. cap. IX.

describit paucissimis mutatis, quæ suo loco adferam. Antidotum quoque Zopyriam habet cap. XVII. plane diuersam, sed ex Hera; qua se usum profitetur; nec ab ea nisi pondere discrepat, quam Ægineta lib. VII. cap. XI. proponit. Meo tamen iudicio ea minus efficax, velut & altera, quam Celsus lib. V. cap. XXIII. ait regi Ptolemæo à Zopyro Ambrosiæ nomine compositum. Est quoque Ambrosia quædam Philippi Macedonis antidotus apud Gal. cap. IIX. iam memorato: qui & Ambrosiam præbuit, quam de loc. aff. lib. IV. cap. IIX Mithridaticæ Compositioni ac Theriacæ adnumerat. Zopyri diuersa præterea medicamenta recenset Oribas. Coll. med. lib. XIV. Scribonius etiam Compos. CLXXII. Zopyrum Gordiensem medicum nominat. Libertus forsan is fuit, qualem refert vetus inscriptio:

ZOPYRVS
ALEXANDRI
F. ALEXANDER
MEDICVS

Seruos autem manumissos ac libertate donatos nomen & cognomen domini obtinuisse, notum est ex veterum momentis. Talis Laurea Tullii, libertus Ciceronis, cuius epigramma laudatum à Plinio lib. XXXI. cap. II. De Seruorum nominibus Varro plenius lib. VII. de Lingua Latina: *quum emerunt seruos, nonnunquam alius declinat nomen ab eo qui vendit, alius aut ab regione, quod ibi emit, aut ab urbe: sic alius ab aliqua alia re, ut visum est.* Hinc idem lib. IIX: *Quotusquisque iam habet seruos priscis nominibus?*

Efficax, ratio] efficax. Ratio c. h. est. Opobalsami &c.

Myrrhæ, troglitidis,] Sic vulgati omnes libri. Scribo, myrrhæ Troglodytidis, veluti apud Marcell. cap. XXIX. atque adeo Græca flexione Comp. XCIV. Ita corrigendus P. Vegetius Art. veterin. lib. I. cap. XI. ubi vulgo legitur, *myrrhæ trigonitis*, cuius loco nihil aptius *draganti* repositum in editione Sambuci; pariter cap. XVI. ubi ad marginem *troglitæ*. Galenus bene coniunxit: apud quem χοῖν@ interpretis iudicio est *Iuncus rotundus odoratus*, qui heic rotundus. Characiæ autem Rota interpres quamobrem asteriscum præfixerit non video: nisi vox χαρακίν ipsi vere fuerit suspecta. Namque ut ut Scribonius etiam eius meminit, nulla tamen vis eius ad venena. Calami forsan vox in libro Scribonii fuit initio; veluti Comp. CCLXXX. Quem Græcus exscriptor facile mutare potuit in χαρακίαν. De qua arundinis specie Theophrastus Hist. Plantar. lib. IV. cap. XII. καλοῦσι δὲ τὸν μὲν ἰσχυρὸν καὶ παχὺν, χαρακίαν. *validam & crassam, Vallatoriam vocant.* Plinio itaque iure lib. XVI. cap. XXXVI. crassior firmiorque calamus est aquaticus: etiamsi Dioscoridi lib. I. cap. CXV. vulgo λεπτὸς, *gracilis.* Rectius proculdubio, ut notauit Iacobus Goupylus, ὑπόλεπτ@, *subtenuis.* Quem heic malo, quam tithymalum characiam, prudentibus medicis recte inuisum, siquidem omnium validissimus, Galeno teste de Simpl. medic. facult. lib. IIX. Vero igitur simile Galeni autoritate repositum characiæ vocabulum curiose nimis, quemadmodum & alia Comp. CX.

Piperis nigri] Galen. de Antid. lib. II. cap. IIX. πεπέρεως περεατικοῦ, *piperis pereatici.*

Scor-

Scordii] Hoc à Scorodo, id est allio, cui acrimonia est simile, nomen accepit Galen sententia de Simpl. med. fac. lib. IIX. qua etiam de Antid. lib. I. cap. XII. Creta pulcerrimum mittit, pariter ac Ponticum efficax Dioscoridis autoritate lib. III. cap. CXXV. Putredini eximie resistere, in cadaueribus militum, qui super ea herba forte occubuerant, obseruatum narrat Galenus. In Febribus malignis præclarum eius deprehendi usum, quomodocunq; exhiberetur. Aceto etiam incoctum eluendis partibus sideratis plurimum confert.

Meu] Malim mei. Nam Dioscoridi lib. I. cap. III. *Melor* appellatur, etiamsi Plin. lib. XX. cap. XXIII. sit *Meu*. Quo usus etiam Andromachus apud Gal. de Ther. ad Pis. cap. VII. Dioscoridi est diureticum, non inconueniens Theriacæ.

Cardamomi] Diosc. lib. I. cap. V. ad scorpionum ictus proponit. De quo Plin. lib. XII. cap. XIII. Maius indicari, quando indistinctè sine discriminis adiectione occurrit, Quiricus de Augustis monuit.

Thuris masculi,] Plinio lib. XII. cap. XIV tale, quod rotunditate guttæ pependit specie testium. Ianus Cornarius in Gal. de med. Comp. sec. loc. lib. X. cap. II. *non sectum* interpretatur. Iul. Scaliger de caus. ling. Lat. cap. XCI. optime ab actione & à relatione nomen habuisse tradit. Primas hoc tenet sua pte natura rotundum indicio Dioscoridis lib. I. cap. LXXXII. cui subscribit Æt. Tetr. I. Serm. II. cap. CXCVI. cum Oribasio Coll. med. lib. XI.

Opobalsami] Huius initio meminit autor. Verius itaque Carpobalsami, ut est Compos. CLXX. & apud Gal. de Antid. lib. II. cap. IIX. præeunte Andromacho cap. VII. de Ther. ad Pis.

Casiæ rufæ] *fulue* Galenus loco de Antid. memorato.

Coricii] L. Corycii: qualiter & Galenus. Diosc. lib. I. cap. XXV: *Crocum in usu medico præstantissimum est Corycium: quod ex Centuripino Siciliæ agro, viribus minus pollet*. In hancrem Strabo lib. XIV. de Cilicia: *Corycus promontorium, supra quod ad viginti stadia antrum est Corycum, in quo optimus crocus nascitur*. Ex quo apud Columellam de re rust. lib. III. cap. IIX. legendum videtur: *Corycon florere croco*: pro quo in vulgatis libris *Coryclon*. Ita Vibius Sequester de Montibus: *Corycos Ciliciæ, ubi optimum crocum nascitur*: etsi liber scriptus non temnendus Canonicorum Regularium S. Io. in Viridario Patauii corrupte habeat *Siciliæ*. Iulius Solinus cap. XXXIX. plenissime: *circa Corycum Cilicia crocum plurimum optimumque, det licet Sicilia, det Cirena, det & Licia, hoc primum est. Spirat fragrantius, colore plus aureo est: succi ope citius proficit ad medelam. Ibi Corycos opidum est* &c. Totum in paucula contulit Plinius lib. XXI. cap. VI: *Prima nobilitas Cilicio croco, & ibi Coryco in monte*. Hinc Martialis venuste Lib. XI. Epigr. IX:

Vltima Corycio quæ cadit aura croco.

Ex aqua mulsa.] *Mulsa*, Galenus. Illa vero dilutior febrientibus magis confert.

Prodest] Antidoti vim longe uberiorem tradit Galenus de Ant. lib. II. cap. IIX.

CLXX.

Antidotos Mithridatis recipit hæc, Meu &c.] Plinius lib. XXIII. cap. IIX. aliam

aliam refert Mithridatis antidotum, quæ vix agresti, nedum Rege digna. Plebi fane fallacem obferuaui, quum ex obsidione Mantuana pestis orta uniuersam prope Italiam,sed urbem in primis Patauinam,Anno cIↄ Iↄc xxxI diris modis vastaret. Hanc vero antidotum unde suppleuerit Ruellius,non satis liquet. Diuersam ab ea planum est, quam Celsus habet lib. v. cap. xxIII. & Galenus de Antidotis lib. II. cap. I. II. & IX. Illud tantum monebo; Scincos a Scribonio neglectos. Et certe usus ipsorum hoc loco non usque magnus. Partes enim circa renes ad venerem commendat Ætius Tetr. I. Serm. II. cap. CXCI. Vnde in Diascinco Mithridatis Eupatoris apud Galenum de Antidot. lib. II. cap. IX. rectius accipiuntur, & à Nicol. Myrepso de Antidot. Sect. I. cap. LXV. & LXIX. ubi Leonardus Fuchsius vulgarem sepiasæ lapsum vere indicat; quas *Stincos* appellauit. Nam Dioscoridi lib. III. cap. CXLIV. est σκίγκος, Plinio lib. XIX. cap. XXV. *Scincos*, & lib. XXIIX. cap. IIX. *Scincus*.

Casiæ nigræ] Huius quoque mentio apud Celsum lib. v. cap. XXIII. De qua Theophrastus hist. plant. lib. VI. cap. II. eamque fuluæ præfert Dioscorides lib. I. cap. XII.

Hypocystidis succi] hypocistidis succi. Hypocistis enim ad cisti radices nascitur. Ex qua succus acaciæ in modum exprimitur. Sed aliquanto magis siccat & adstringit sententia Dioscoridis lib. I. cap. CXXIIX.

Cyphi] Cyphi est Dioscoridi lib. I. cap. XXIV. odorati suffimenti compositio, qua Ægyptii sacerdotes usi; sed Antidotis etiam addita. De qua Galenus lib. de Comp. med. sec. loca IIX. cap. VII: qui & præter Dioscoridem eamde Antid. lib. II. cap. II. describit ex Democrate; sed nemo clarior Ætio Tetr. IV. Serm. I. cap. XCIX. post Plutarchum lib. de Iside & Osiride.

Malobathri] malabathri. Ita Celsus lib. V. cap. XXIII. Dioscorid. lib. I. cap. XI. est Μαλάβαθρον. Plinius tamen lib. XII. cap. XXVI. & lib. XIV. cap. XVI. habet *malobathron*. Dioscorides ait *folium sui generis, quod Indicæ gignunt paludes, lentis palustris modo innatans aquis; sine radice*. In quem locum Io. Anton. Saracenus asseuerat esse folium arboris Indicæ; quod eximie appellatur Folium, & interdum Malabathri folium. Cuius etiam sententiæ Iacobus Dalechampius ad Plin. lib. XXVI. cap. XII. & Salmasius in Solinum. Quo modo Galeott. Mart. de doctrina promiscua cap. IV. putat Auicennæ folium Indum; & Græcis φύλλον notat Brodæus Miscellan. lib. X. cap. XX. Malabathri folium nominat Galenus Meth. med. lib. VII. cap. IV. & cap. VII. de Ther. ad Pis. itemque Ægin. lib. VII. cap. III. & Oribas. Collect. med. lib. XV. cap. I. Sed à folio Indico diuersum, & quod Betre nostris temporibus putat Salmasius. Malobathrum vero unguentum malobathrinum sæpius indicare pereruditè monuit Gasp. Hofmannus var. lect. lib. III. cap. IV. qui legendus etiam de Medicamentis Officinalibus lib. II. cap. CXXXIIX.

Costi] Costum ad viperarum morsus, & Antidota proponit Dioscor. lib. I. cap. XV.

Balsami seminis] id est, carpobalsami. De quo Dioscorides lib. I. cap. XIIX. ὁ καρπὸς τινὸς δένδρου ἀρμόζει θηριοδήκτοις. *Fructus potui datus conuenit demorsis à serpente*. Vulgaris interpres vertit *Semen* imitatus haud dubie Plinium lib. XII. cap. XXV. Scribonius paulo significantius Comp. CLXXVII. appellat balsa-
mi

mi feminis grana. Quorum notas præter Dioſcoridem ſub carpobalſami nomine accuratas deſcribit autor libri de Simpl. med. facult. monetque Plinius, *petitus in grano, quod leuius atque viridius*.

Thlaſpis] Vid. Galen. de Antidot. lib. I. cap. XV.

Rubricæ Lemniæ] Terram intellige, de qua Dioſcorides lib. V. cap. CXII. & prolixe ac diligenter Galenus de Simpl. facultat lib. IX. ubi à rubrica diſcernit, quod colore non inficiat. Eiuſmodi vero fabrilis rubrica, quam inter colores qui naſcuntur enumerat Plinius lib. XXXV. cap. VI.

Dandum] medicamentum.

Malum medicamentum] id eſt, venenum. Qualiter Dioſcoridis intepres expoſuit δηλητήριον φάρμακον. De quo in Lexico fuſius.

Si poterit,] ſi fieri poterit; vel quemadmodum in vulgatis per ellipſin verbi antecedentis, nempe dari.

Miſti meracius] id eſt, minori aquæ copia. Celſus lib. I. cap. III. *licet minus, ſed meracius bibere*.

Cotidie] vel cottidie, ut Romani olim teſte Priſciano lib. XIIX. Sic etiam gloſſarium vetus MS bibliothecæ Vaticanæ. Laurentius Abſtemius de locis obſcuris mavult cotidie. Quod à Tortelii temporibus ad noſtram uſque ætatem uſitatiſſimum recepit Abſtemius Sylloge IV Var. Annotationum: etiamſi in alteram partem inclinent non poſtremi veterum Grammaticorum M. Victorinus lib. I. de Orthograph. Velius Longus, Caſſiodorus ex Papiriano, itemque Beda, ſed Priſciano inferiores. Verum hæc iam, ut Quintiliani de hoc ipſo argumento Inſtitut. Orat. lib. I. cap. VII. verbis utar, inter etiam ipſas ineptias euanuerunt. Itaque Comp. XCIX. etiam vere ſcriptum quotidie. Velut & Aldus atque Stephanus.

Danda] Antidotus.

Aut arquati] aut qui arquati ſunt.

Fabæ noſtratis magnitudinis] fabæ noſtratis magnitudine. Hoc modo Celſus lib. V. cap. XXV. *Catapotia fiunt ad noſtræ fabæ magnitudinem*. Fabæ vero Latinæ pondus indicaui ad Compoſ. XCV.

Prodeſt enim & his.] ſ. Prodeſt etiam ex his v. m. a. a. febrium; & t. o. ſ. c. Adiuuat etiam e. l. m.

Teranicis,] id eſt, tetano correptis, quem Celſus lib. I I. cap. I. rigorem nominat.

Opiſthotonicis.] Quid ſit ὀπισθότονος, graphice prodit autor Comp. CCLV. itemque Celſus lib. IV. cap. III. Cælio Aureliano Acutor. lib. III. cap. VI. *Raptus* appellatur *Supinus*. Nam tentio eſt ad poſteriora Galeno interprete Comm. IV. Aphor. LVII.

Spaſmo] Σπασμὸς neruorum diſtentio apud Celſum lib. II. cap. I; ab ipſo ſymptomate, convulſio monitu Galeni Meth. med. lib. II. cap. II. Suidas hoc vitium à tetano non diſtinguit, quando ait, Τέτανος, σπασμός. Quod viro extra artis profeſſionem condonandum.

Apu-

CLXXI.

Apulei Celsi] Etiam in veteri fragmento lapidis fuit: C. APVLEIVS. Claudii temporibus posteriorem opinatur G. Barthius Aduers. lib. XXXIX. cap. XVI. Attamen Valentis & Scribonii præceptorem indicat Compositio XCIV: quorum uterque ipso imperante floruit.

Centuripas,] Centuripæ, Κεντουρίπαι Siciliæ oppidum ad Ætnæ radices, vulgo *Centorue*, & *Centorbe*. De quo Strabo lib. VI: *Sita sunt Centoripa supra Catanam, montes Aetneos attingentia, & Symæthum flumen, quod in agrum Catanæum meat*. Plinio autem lib. III. cap. IIX. *Latinæ conditionis Centuripini*.

In Sicilia] Hieronymus Mercurialis De Hydrophobia cap. IV. addit, hoc fieri ob regionis caliditatem, quam inter vitii causas recenset. Sic Plinius lib. XIX. cap. XL: *Rabies canum Sirio ardente homini pestifera*. Atqui canes in locis æstuosis minus interdum sæuiunt, quam in frigidis; imo non raro in temperatis, humoribus forsan alimenti vitio eximie corruptis. Occultior tamen causa videtur subesse, non secus ac pestilentis & malignæ febris, quam intemperie calida & sicca quidem comitatam patet, præsidiis autem peculiaribus tolli: qualia etiam Hydrophobia exigit. Nec diffitetur Aurelianus cap. IX. *sine manifesta causa hanc passionem corporibus innasci, quum talis fuerit strictio sponte generata, qualia venena*. Eamque fortassis ob causam, ut scribit idem cap. XV, *Creta aliorum venenosorum animalium difficilis atq; pene libera, sola canum rabie vexatur frequentissime*. Cuius ea est vehementia, ut ex promontorio in mare se præcipitent, modo vera memoret Ælianus de Animalibus lib. XII. cap. XXII. Non sine aliqua ratione idem tamen lib. IIX. cap. IX. retenta bilis atræ copia periculosum canibus morbum nasci putat. Hydrophobiam sine canis morsu prodidit Franciscus Sanchez obseruat. Pract. Pag. CCCLXXVIII. CCCLXXIX. Viperas profecto ex insulis nullo veneno efferis delatas in Siculas oras confestim sæuire, autor mihi notæ fidei M. Aurel. Seuerinus. Causam is conicit in crebram mephitim, quã Puteolis in eos usq; tractus halare prodidit Strabo lib. V. unde virus in proxima reptilia inquilina eructatur, quod situ valde austrino aerisque insigni æstu plurimum augescit.

Aquæ, id est, liquoris] aquæ, id est liquoris, timore nunquam tententur. Qui c. a. &c. In omnibus tamen libris est *tenetur*.

ὑδροφόβοι] Plinius lib. XXIX. cap. V. Latino flexit *Hydrophobos*; Cæl. Aurelian. Acut. lib. III. cap. IX. *Aquifugas* dixit. Glossa vetus: ὑδροφόβος, *Lymphata*. Lege: *Lymphatus*, seu *Lymphaticus*. Isidorus Origin. lib. IV. cap. VI: *Latini hunc morbum ob aquæ metum lymphaticum vocant*. Cui consentit Glossa, ipsius nomine vulgata. ὑδροφοβίαν *Græci appellant*, inquit Celsus lib. V. cap. XXVII: Alii teste Aureliano unius literæ mutatione ὑγροφοβίαν, quia cuiuscunque liquoris metus demotos infestat. Quod experimentis maxime consonum. Malum hoc priscis notum indicat Actæonis fabula, in quem Diana consulto aquas eiaculabatur. Ideoque mirari subit, qui Hieronymus Mercurialis To. III. Consil. LXI. & lib. de Hydrophobia cap. XVI. affirmet Hydrophobiam, vel

igno-

ignoratam antiquis, vel non obseruatam Aristotelis ætate, eiusque curationem Celsum tradidisse primum. Nam & Epicharmus Pythagoræ discipulus altero ante Stagiritam seculo huius morbi meminit, ut autor est Plinius lib. xx. cap. ix. Quam in rem cumulatissime Aurelianus cap. xv. Dioscorides Anazarbeus certe Cornelio Celso prior lib. vii. cap. ii. τὸ δ᾽ ὑδροφοβικὸν exacte describit, & cap. iii. eius remedium ex cancris fluuiatilibus & gentiana. Quale adhuc in Italia celebratur de cancris Arni fluminis, quod priuata quadam vi plerique efficax putant: unde & Antonius Guainerius de Venenis cap. xii. cancros huius veneni bezoar censet. Galenus etiam de Simpl. med. fac. lib. xi. refert Aschrionem suum præceptorem thure addito eiusmodi remedium feliciter exhibuisse. Cuius tamen effectum videtur adscribere vi exsiccandi ustorum cinerum, qui canum rabientium venenum absumant, simulque digerant. Eius sententiam ingeniosa disputatione tuetur Iosephus de Aromatariis, medicorum Venetorum omnisque disciplinæ liberalis columen. Quotidianis vero experimentis aduersatur, quod Hist. Anim. lib. iix. cap xxii. tradit naturæ genius; *furore & cane rabido morsa interire omnia præter hominem*. Is enim raro euadit, nisi perquam opportunis auxiliis malo mox occurratur. Quæ nec reliquis animantibus defutura, præcipue candentia ferramenta vulneribus salutaria. Eiusdem fere commatis videtur, quod Columella lib. iix. cap. xvii. narrat, murænam rabie vexari. Si namque perpetuum ipsi stabulum præbet aqua naturæ consultis frigida & humida; qui rabie canino generi non absimili stimulabitur, cuius proximam causam faventur medici intemperiem calidam & siccam: etiamsi occultiorem veneni vim existimem? Numquid autor cultissimus pecudis huius aquatilis mordacitatem hyperbole voluit exprimere? De qua Plin. lib. xxxii. cap. ii: *Murænæ amplius deuorant quam hamum, admouentque dentibus lineas, atque ita erodunt*. Quid mirum, si duplici eorum præditæ sunt ordine, velut autor Ælian. de Animal. lib. ix. cap. xl. Sed in maxillis imisque faucibus Aldrouandus de Piscibus lib. iii. cap. clxxvii. hunc obseruat.

Sumant, & minus] sumant. Et minus q. l.

Nemo adhuc] Prudenter. *Pulcrum enim est*, ait Hipp. de Articul. *etiam ea discere, quæ in experimentum adsumta successu caruerint, & cur successum non habuerint*. Certissimum tamen Gallis Belgisque experimentum, demorsos mari tempestiue immergere. Quod etiam Coriandri antidotum memorat Nicander in Alexipharmacis. Durum nimis remedium, sed Christianis etiam rebus deploratis hodie probatum, rabidos culcita suffocare, ne alios in eandem secum trahant perniciem.

Peruenit ad me opinio,] Recte. *Opinio enim hominem suspectum facit*, autore Cornel. Frontone de Differ. vocum: quanquam & mox idem: *opinio ostendit*.

Barbarum] Romani fastu quodam omnes alias gentes putabant barbaras. Barbaros autem Græcis peiores ac stultiores pronunciat Galenus de Hippocr. & Platon. decretis lib. ii. cap. ii. Non veretur tamen sapientissimus Plato ad ipsorum sententiam prouocare lib. ix. de Legibus, in hæc verba: τῆς δὲ ἀπαιδευσίας ἢ τοῦ κακῶς ἐπαιδεῦσθαι πλέγον ἀντία φήμη παρὰ τῶν Ἑλλήνων τοῖς βαρβάροις

Ignorantiæ autem causa est, quod communi quadam & inter Græcos & barbaros pervulgata opinione diuitiæ perperam laudantur. Sed par pari aliæ quoque gentes retulere, quamquam non sine laude. Sic enim Pyrrhus apud Plutarchum in Flaminio dixit, οὐ βαρβαρικὴν αὐτῷ φαίνεσθαι τὴν τῶν βαρβάρων παράταξιν. *non barbaram sibi videri eam barbarorum aciem.* Neç de semet aliter in Trinummi Prologo Latinus ille Comicus:

Huic nomen Græce est THESAVRO Fabulæ:
Philemon scripsit, Plautus vortit barbare.

Sed nec Scribonii ætate Græcos adhuc defecerat cultus opinio; quorum inane superuacua discendi studium Romanos quoque inuasisse conqueritur Stoicorum Latinorum princeps de breuit. vitæ cap. XIII. Mihi proinde verisimile, Afrum hunc fuisse in Cretam tempestate delatum. Huius forsan generis Arabs ille, cuius malagma ad strumam prodidit Celsus lib. V. cap. XIIX: Muliercula etiam, cuius meminit autor Comp. CXXII. Sic Ouid. Epist. VI. vers. XIX:

Barbara narratur venisse venefica tecum:

Maiorem natu publice] Locum hunc intricatum sic expedies: maiorem natu, publice mercedem accipientem, qui etiam, cum liquorem timent & latratus edunt spasmoque vexantur, remedio brachio sinistro alligato efficere ut & potionem accipiant, & liberentur vitio, quod adhuc ante antidotum Celsi inter omnes quasi insanabile constitit. Is nempe ex remedio, quod sibimet salutare fuerat expertus, annis iam edoctus pro opera mercedem siue sostrum accepit, quemadmodum hodie circumforanei, quales Ciceronis imitatione Antonius Augustinus apud Herennium Modestinum Iurisconsultum Græcum *περιοδευτὰς* intelligit; quos vetus interpres L. VI. §. 1. D. de excusat. tut. *circuitores* exposuit, qui hominibus reddendæ sanitatis causa urbem circumeuntes medendi artem exercent. quanquam nec dissimulandum, à Tullio non medicum, sed pharmacopolam eo nomine insigniri. Mercedem vero Medici quoque titulo non immerito postulauit. Nam & Ætius Tetr. II. Serm. IV. cap. XVI. pro remedio efficaci præexigendam suadet mercedem. Quod medico forsan ipsi magno stetit. Galenus quippe de Simpl. med. fac. lib. IX. fatetur se adolescentem ingenti mercede didicisse medicamenta præparare. Id tamen in magno morbo, ubi medendi occasio præceps, impium recte monet Septalius lib. I. Animadu. XXI. Nec mirum operæ mercedem barbarum hunc petiisse. Medici namque fuerunt apud veteres mercenarii. Andromachum etiam apud Galenum de medic. sec. loca lib. VII. cap. V. mercedem ex remedio ad calculum extorquentem reprehendit Eustachius Rudius Art. med. lib. I. cap. XXXVI. nisi in seculum valde ingratum inciderit. Nec histrionale putandum, brachio remedium aptari, quoniam & consuetudinis huius testis Dioscorides lib. II. cap. LX. quam nostri æui usus confirmat.

Vt & potionem accipiant,] Hoc enim sanationis initium.

CLXXII.

Hospite meo] quem hospitio receperam. Cicero lib. VI. Ep. VI. ad Cæcinam: *Memini me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia, in qua tu eras, venerant,*

rant, audire, te de glorioso & celeri reditu meo confirmare. Hac etiam significatione occurrit vox istæc apud Senecam de benefic. lib. IV. cap. XXXVII, ubi & altera, sicut in Ouid. Metam. I:

Non hospes ab hospite tutus.

Qualiter & Plinio nat. hist. lib. XXV, cap. II, hospes, ad quem ipse diuertit.

Legato] *Legati, qui ut publice mittantur, legantur,* inquit Varro de ling. Lat. lib. V. Sic Dionys. Halicarnas. lecti à Senatu viri ætate & honore præstantissimi, Varro adhuc euidentius lib. IV: *Legati qui lecti publice, quorum opera consilioque uteretur peregre magistratus.* Et: *Nationum legati, qui ad senatum missi.* Eiusmodi forsan honore Zopyrus fungebatur apud Romanos.

Inde] è Creta.

Gordiense] Qui Gordii natus erat. Ideoque sine inciso scribendum: nomine Zopyro Gordiense medico. Qualis & Atimetus, de quo Comp. CXX, Gordium vero Strabone autore Geograph. lib. XII. pagus erat, quem eius tempore Cleo prædonum dux auxit urbemque fecit, ac Iuliopolim denominauit. Stephano Gordieum appellatur, cuius hæc verba: Γορδίειον, πόλις τῆς μεγάλης Φρυγίας πρὸς τῇ Καππαδοκίᾳ, ἀπὸ Γορδίου τοῦ πατρὸς Μίδου. *Gordium urbs magnæ Phrygiæ iuxta Cappadociam, à Gordio patre Midæ.* Nostra vero ætate plerisque in locis longe habentur liberalius, ubi pro cuiusque sorte honoratium officio reponitur. Lucem hinc accipit Quintus Curtius lib. III. cap. II: *Phrygia erat, per quam ducebatur exercitus, pluribus viris, quam urbibus frequens. Tunc habebat nobilem quondam Midæ regiam, Gordium nomen est urbi, quam Sangarius amnis interfluit.* Sic omnes quidem libri. Holstenius tamen, ut vir est ingenio præstantissimus, Gortynense legendum opinatur, quod Zopyrum medicum Gortyna Cretæ metropolis Romam delegasset. Plinio sane lib. IV. cap. XII. in mediterraneo Cretæ Gortyna recensetur, Æliano Var. Hist. lib. XII. cap. XII. Γόρτυνα, cuius etiam meminit Stephanus de Vrbibus: Γόρτυν, πόλις Κρήτης, ἀπὸ ἥρωος Γόρτυος. φασὶ δὲ τὴν αἰτιατικὴν οἱ μὲν δισυλλάβως Γόρτυν, οἱ δὲ τρισυλλάβως Γορτυνάτε τειχιόεσσαν. Sic enim rectius distinguendum, quam in Aldi editione. Medicos autem fuisse hoc in loco exercitatos vel inde conicere licet, quod Τρύφων Γορτυνιάτης laudatus à Galeno de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. II. Quos & docuisse mercede, constat ex Menone Platonis, eorumque meminit Algaredus de Motu cordis apud me in membranis exaratus.

Pro magno munere] Huc facit, quod Tacitus de moribus Germanorum prodit: *Abeunti si quid popôsceris, concedere moris, & poscendi inuicem eadem facilitas.* Xenium itaque non solum aduenis dabatur, sed hospitio relinquebant & ipsi gratæ mentis tesseram. Credibile est enim habitos liberaliter, siquidem veteres in tertium officii gradum ante cognatos astulerunt, imo secundum ante clientes detulere, velut ex antiquorum monumentis prodit A. Gellius lib. V. cap. XIII. De Veterum hospitalitate plura Tomasinus Æmoniæ præsul peculiari de Tesseris Hospitalitatis commentatio.

Hyænæ corii] Plinius lib. XXIX. cap. IIX. scribit, *carnes hyænæ, si edantur, contra canis rabidi morsus efficaces esse: opitulari à cane morsis adipem illitum & corium substratum.* Scribonio magis accedit Ætius Tetr. I. Serm. II. cap. CLXII: *Hyænæ pellem quidam domi repositam adserunt, & usu expetente ipsam*

à rabioso cane commorsis circumdant. Nam proprietate quadam prohibet, ne commorsus in aquæ timorem delabatur, sed illapsis auxiliatur. Ad hominis quoque morsum hyænæ sanguinem proponit Plin. Valer. lib. III, cap. III. Nec pellem hanc inferioris apud agricolas fuisse olim existimationis palam fit ex Columella de re rust. lib. II. cap. IX: *Nonnulli pelle hyænæ satoriam trimodiam vestiunt, atque ita ex ea, quum paulum immorata sunt, semina iaciunt, non dubitantes prouentura, quæ sic sata sunt.* Inde sine dubio Palladius lib. I. Tit. XXXV. *Si modium, quo feratur, hyænæ pelle vestieris, sata bene prouenire firmantur.* Legendum putarem *affirmantur*; nisi & hoc verbo sic uteretur autor lib. XI, Tit. XII. Cuius opinionis ratio non obscura ex eodem lib. I. Tit. XXXV: *Grandini creditur obviare, si quis crocodili pellem, vel hyænæ, vel marini vituli, per spatia possessionis circumferat.* Huius etiam in magicis usum Lucanus ita videtur indicasse lib. VI, vers. DCLXXII:

— non diræ nodus hyænæ
Defuit.

Quod ego] Ingenue. Aurea Menandri sententia, ἐλευθέρῳ γὰρ ἀνδρὶ τ' ἀληθῆ λέγειν.

Magna cura] id est, insigni pretio, ut Comp. CXXII.

Quia n. i. e. e. q. e. opto] Pie ac prudenter. Nam *grauissima insania est medici, opus quærere*, ut vere Seneca de Benef. lib. VI, cap. XXXVI.

Ne incidat: sed quia] ne incidat. Sed quia &c.

Antidotus a. C. h. r.] Hæc ad proximam compositionem traducenda, ratio & Index commonstrant.

CLXXIII.

Vini Falerni] Optimum Romanis prædicat Strabo Geogr. lib. V.

Postero die contusis] postero die, contusis ceteris, miscentur &c.

Habeant, & rursus] habeant, rursus p. f. i. i. m. q. f. i. ea spatha fraxinea. Neque hoc temere, si verum est auxiliari viperarum ictibus, ut auctor Dioscorides lib. I. cap. CIX.

Adiiciuntur: vase] adiiciuntur. Vase v. a. t.

Tussienteis,] Bene. Rectus enim singularis in NS terminatur. De quo Priscianus.

Tenere in exulcerationem, neque p. c. d.] Celsus lib. III. cap. XXI. eleganter dixit, *seruare ulcera*. Quod Germanis est *den schaden offen halten*. Idem vero in simili casu cucurbitulam commendat lib. V. cap. XXVII. Virulentiam quippe allicit, ne altius penetrans præcipuas partes offendat.

CLXXIV.

Extra itaque] Hæc superioribus adiungenda; quorum loco aliud compositum vidit, quisquis Indicem præmisit operi.

Allum] Vesicatorium notauit Ioannes Costæus ad Mesuen; summam quoque cutem exulcerare Dioscorides lib. I. cap. CLXXXII.

Lepidium] Vis foliorum acris & exulcerans Diosc. lib. II. cap. CCV. Nomen ei deriuatum videtur à λεπίζω, quod est decortico. *Lepidium* quippe Plinio autore lib. XX. cap. XVII. post Dioscoridem, ordine quarto calefaciens iudicio Galeni de Simpl. med. fac. lib. VII, *inter urentia intelligitur. Sic & in facie cutem emendat exulcerando, ut tamen cera & oleo rosaceo facile sanetur.* Inde Columella rei rust. lib. X.

——— *herba*

Deiectura quidem fronti data signa fugarum.

Qua ratione omnino legendum, pro vulgato *furcarum*, etiamsi Ioannes Baptista Pius Annotat. poster. Sylloge III. cap. CLXIII. præter sententiam & carminis legem emendarit *fucorum*; quam lectionem quoque seruat Ioannes Franciscus Quintianus Stoa Epograph. Sextæ cap. II. ancipitis moduli ratus præter aliorum autoritatem, nisi scribendum forsan *focorum*; quod Lipsio etiam placuit Elector. lib. II. cap. XV. pariterque in veteri codice visum fatetur Iosephus Scaliger Auson. lect. lib. I. cap. XXI. vel: *Deletura quidem furcæ fronti data signa*. Nam Serui à fuga recuperati stigmate notabantur. Rei herbariæ scriptoribus Piperitis appellatur à sapore piperis. Plinio tamen distincte habetur. De eo Columella lib. X. *Lactis gustum quæ condiat herba:* qui lib. XII cap. IIX. lucem accipit.

Celidonium] Chelidonium. χελιδόνιον Diosc. lib. II. cap. CCXI. *Chelidonia* Plinio lib. XXV. cap. IIX. χελιδὼν quippe, hoc est hirundo, ei nomen dedit monitu Æginetæ lib. VII. cap. III. In quam sententiam Marcellus Burdegalensis cap. IIX: *Chelidonia herba in hirundinum stercore nascitur.* Verius Dioscorides: *primo hirundinum aduentu è terra erumpit*. Plinius pariter lib. XXV. cap. IIX. de Chelidoniis: *florent aduentu hirundinum, discessu marcescunt*. Vtrique acris quidem vis est: minus tamen heic intelligendum, quod summam cutem exulcerate scribit Dioscorides cap. CCXII. & Galenus de Simpl. med. fac. lib. IX. diserte acrius pronunciat.

Batracium,] batrachium. Βατράχιον Dioscor. lib. II. cap. CCVI. Plinius lib. XXV. cap. XIII: *Ranunculum vocamus, quem Græci Batrachion.* Qualiter emendandus est Apuleius de vir. herbar. cap. X. ubi *Batration* est in editione Lutetiana. Sed ab Aldo restitutum cap. IX. Plinius etiam lib. XXV. cap. XIII: *Ranunculum vocamus, quem Græci batrachion. Ei vis caustica, & ad tollenda stigmata.* Lib. XXVII. cap. XII. plenius: *Polyanthemum, quam quidam Batrachion appellant, caustica vi exulcerat cicatrices, & ad colorem reducit.* Constantino Geoponic. lib. II. cap. V. Chrysanthemum. Qua etiam ratione Leonardo Fuchsio Chrysanthemum simplex. Dioscoridi folia, flores, & cauliculi recentes illiti exulcerant, & crustas cum dolore gignunt. Radix tamen siccata post unum alterumue mensem amittit vim causticam obseruatione Ioachimi Camerarii in Horto medico.

Sinapis,] Adi Lexicon.

Scylla,] Scilla, ut Comp. LXXVI. Atque hoc modo ubiuis.

Cepa cum aceto.] Diosc. lib. II. cap. CLXXXVII. rutam & mel addit.

Caprifici liber] Isidorus Orig. lib. XVII. cap. VI: *Liber est corticis pars interior, dictus à liberato cortice, id est ablato. Est autem medium quoddam inter li-*

gnum

gnum & corticem.

Contritus] Sic enim ſuccum mittit, qui ad medicamenta exulcerantia laudatur à Dioſc. lib. I. cap. CLXXXV.

Laſer] Dioſc. lib. III. cap. XCIV: *Iis prodeſt, quos beſtia in rabiem efferata momorderit, vulneribus immiſſum*.

C L X X V.

Emplaſtrum antidotum, ſed m. m. &c.] Scribe: Emplaſtrum antidotum, lemmatis loco, quod ſeparatim vulgari titulo ſufficitur: deinde: Sed multo magis &c. Galenus de Antid. lib. II. cap. VI. Similiter Antidotis inunctiones quaſdam accenſet, quas Aſclepiades vocabat συγχρίσματα.

Quo] Ruellius, Cratander, & Aldus, manifeſto librarii errore. Legendum cum Stephano: quod Auguſta propter huiuſmodi caſus. Idem libri dicti cap. XI refert Galenus de Baſilica, quæ ſolo prope ordine ab hoc emplaſtro differt.

A Triphone præceptore] Scribe Tryphone. Hic fortaſſis, quem Celſus lib. VI. cap. V. & Proœmio lib. VII. patrem nominat: Eius nominis Chirurgum aduocat Scribonius Compoſ. CCI. & CCXI. Tryphonis Archæi, Iano Cornario de Comp. med. ſec. loca lib. V. cap. VII. interprete, Antiqui cephalicum tradit idem de Comp. med. ſec. gen. lib. IV. cap. XIII. & Tryphonis aliud lib. V. cap. XIV. Tryphonis Gortyniatæ Cretenſis pharmacum deſcribit Galenus de Compoſ. med. ſec. loca lib. IX. cap. II. quem forſan ipſum inter vetuſtiores commemorat Cæl. Aurel. Chron. lib. I. cap. IV. Ptolemæi Tryphonis etiam mentio fit apud Ælianum Var. hiſt. lib. XIV. cap. XXXI: quem Iuſtus Vulteius ibidem Voluptarium appellat. Similiter alterius in Vitruuio de re milit. lib. X. cap. poſtremo, qui ſtrategemate nobilitatus. Eſt & apud Martialem lib. IV. Epigr. LXXII. bibliopola Tryphon. Sententiis quoque ſapienter prolatis grammaticus quidam innotuit.

Iris] vid. Lexicon.

Caſtorei Pontici] Strabo Geograph. lib. III. *Hiſpanicum caſtoreum non eaſdem habet cum Pontico vires*. Huic enim vis medica peculiaris. Dioſcoridi lib. II. cap. XXVI. Καστόριον, Galeno de Simpl. med. facult. lib. XI. Καστόριον. Latinus Dioſcoridis interpres Ruellius babet: *Huius teſtes ſerpentium venenis aduerſantur*. vbi eſt in Græco etiam MS: ποιεῖ μὲν καὶ πρὸς ἑρπετά. Qua dicendi formula Scribonius Compoſ. XXV. & alibi, *facit ad*.

Caprificus] caprifici, Comp. CLXXIV. & Plin. Valer. lib. I. cap. LXV. LXVII. & lib. III. cap. XXIIX. XXIX: quæ flexio videtur etiam placuiſſe Plinio nat. hiſtor. lib. XVI. cap. XXV. & XXVII.

Canis nigri] Apud Galenum de Antid. lib. II. cap. XI. eſt κυνὸς μελαίνης, ἐαλυῖς, ἀνὰ δραχμὰς ια. Quod Martianus Rota reddidit, *Canis nigræ, ſanguinis eiuſdem*, &c. Scribonium, ut videtur, magis imitatus, quam autorem ipſum. Rationem habet Æt. Tetr. I. Serm. II. cap. LXXXIIX. quoniam nigriora quoque in brutis fere in totum fortiora ſunt. Maſculorum vero animalium adipem calidiorem ſicciore mque, & feminam inter iuvenilia mare humidiorem minuſque calidam tradit Galen. de Simpl. med. facult. lib. X.

Lepo-

Leporis coaguli] Galenus eodem libro reliquis hoc præfert.

Salis ammoniaci,] Hammoniacum vocat Plinius lib. xxxi. cap. vii.

Syrenaici] Cyrenaici, ut Comp. clxxvii. Nam Galenus etiam habet ὀπὸ κυρηναικῶ. Quod plerisque interpretum est *Asa dulcis*. Rectius forsan odorata, seu validi odoris, non autem suaueolentis.

Syriaci] Galenus bene addit: ἐὰν δὲ μὴ παρῇ κυρηναικός. *Si non adsit Cyrenaicus.* Nam & huius raritatem innuit Scribonius Comp. lxvii.

Miscentur,] Sententia sine ulla interstinctione planior euadit.

Vitreo] Vitro, quemadmodum Comp. cx. vel addendum, vase, ut Comp. clxxiii.

CLXXVI.

Cassii medici] De quo autor Compos. cxx. Huiusne Problemata, quæ Hadriano Iunio Latina debemus?

Toxicum] Dioscoridi lib. vi. cap. xx. inde appellatum videtur, quod barbari sagittas, quas τοξεύματα seu τόξα vocant, eo illinerent, cuius etiam consuetudinis meminit lib. vii. cap. i. Quam Gerrhæis fluvii Euphratis accolis tribuit Nicander in Alexipharmacis. Inde *venena venatoria* Celso lib. v. cap. xxvii. quibus Galli præcipue utebantur. Eos vero limeo herba sagittas in venatu tinxisse narrat Plin. lib. xxvii. cap. xi. quam Aloysius Anguillara horti quondam Patauini præfectus Aconitum pardalianches, Melchior Guilandinus Helleborum album, interpretatur. Sed res adhuc in obscuro. Nec veretur ingenue fateri Io. Baptista Codronchius Methodi testificandi cap. vii. ignotum sibi hoc venenum. Grammaticis dignior fortassis; quæ apud Plin. lib. xvi. cap. x. est notatio: etsi non ignorem taxi vim plerisq; censeri lethalem, ut ut arbor apud Germanos & Belgas minus deprehenditur noxia. Idem præterea lib. xxvi. cap. iix. refert *Ladanum fieri in Syria atque Africa, quod Toxicon vocant. Neruos enim in arcum circumdatos lanis trahunt, adhærescente roscido lanugini.* Adeo euentus rei sæpe nomen indidit.

Eadem] Repone, *Item*: qua loquendi ratione Scribonio nihil familiarius: aut intellige *facit*, veluti Comp. clxxv.

Telo] Nimirum leui. Graue namque hastam denotat. L. ccxxiii. §. Telum. D. de verb. sign. quoniam telum non arcu tantum, sed manu etiam mittitur, cuius diuersa apud priscos genera enumerat A. Gellius lib. x. cap. xxv.

Dolore, aut quouis correpta.] Dele *aut*, & scribe: alioquie dolore quouis correpta.

Nardi spicæ Syriacæ] Explicatius Comp. cx. Nardi Syr. spicæ.

Piperis longi] Hoc Antidotis accommodatum tradit Dioscor. lib. ii. cap. clxxxix.

Phu Pontici] In Ponto enim nascitur, & inseritur antidotis monente Dioscoride lib. i. cap. x. Quod Galeno autore de Compos. med. sec. loca lib. ix. cap. iv. partim nardo Celticæ, partim petroselino, & urinam cientibus seminibus simile existit.

Rapæ seminis] Potum contra venena salutare est. Diosc. lib. ii. cap. cxxxiv. Et Plin. lib. xx. cap. iii; *Rapi semen illitum & potum in vino contra serpentes*

& to-

& toxica salutare esse proditur. à multis vero antidoti vim habere in vino & oleo.

Satis erit, ad venenum] satis erit. Ad venenum, e. a. s. e, e. vino; Scillæ Victoriati ✱ p: aut, ✱ pondus, vel victoriati, veluti Comp. CLXXXIIX.

Pondus,] Libri omnes. Lege. Scillæ ✱ pondus & victoriati, ut Comp. XXVI. obseruaui.

Schœni] Operarum negligentia Henricus Stephanus *fœni*. Iuncum autem odoratum antidotis commisceri Dioscorides lib. I, cap. XVI. perhibet.

CLXXVII.

Τελεῖα] Libri omnes. τελέια Stephanus.

Nardi Indicæ] Acetum & syrupum hinc paratum ad morsus venenatorum animalium tam extrinsecus quam intrinsecus præsentissimum tradit Iacobus Bontius Animadu. in Garc. ab Orta cap. XXXIII.

Cirenaici] Cyrenaici.

Stœcados] Stœchados.

Ι'] id est, numero, sicut Comp. CXLIIX.

Napi siluatici] Napus siluestris Hieronymo Trago Rapum siluestre: cuius folia erucæ similia obseruatione Plinii lib. XIX. cap. V. Dioscoridi lib. II. cap. CXXXVI. Βυνιάς: qui ait, semen ipsius præbibitum venena reddit inefficacia, Ob id etiam in antidotos assumitur. Sic & Plin. lib. XX. cap. IV. Raphano & rapo similem habet, alter Valerianus lib. IV. cap. XXXIII. lautissimi seminis, & contra venena fortissimi, sine quo Theriacam optimam compositam negat.

Anatis feminæ] Diosc. lib. II. cap. XCVII. Plin. lib. XXIX. cap. V: *Aduersus omnia mala medicamina pollet sanguis anatum Ponticarum. Quidam feminæ anatis efficaciorem putant*. Causam Dalechampius addit, quoniam herbis medicatis pascuntur. Mithridates primus antidotis miscuit, quoniam viuerent veneno, referente Plin. lib. XXV. cap. II. & A. Gellio lib. XVII. cap. XVI.

Anatis masculi] Masculam dixit Plinius lib. XXX. cap. VII.

Hœdi masculi] In antidotis cum vino probatur Dioscoridi lib. II. cap. XCVII. cum aceto præparatus hic sanguis etiam sanguinem reiicientibus confert, veluti Xenocratis autoritate refert Æt. Tetr. I. Serm. II. cap. LXXXV. sequutus Galenum de Simpl. med. fac. lib. X.

Testudinis marinæ sanguinis] Dioscorides loco iam dicto. De cuius præparatione Ægin. lib. V. cap. XXIII. & Æt. Tetr. IV. Serm. I. cap. XXIV. Asclepiades quoque malagmati miscuit aduersus dolorem indicio Galeni de Simpl. med. fac. lib. X.

Anseris] Plin. lib. XXX. cap. V. *Contra omnia mala medicamenta adseruatur cum Lemnia rubrica.*

Facit ad omnia: hæc ego composita habeo.] Facit ad omnia. Hæc ego composita habeo. Distinctius. Obscura tamen omnia & intricata, nisi hoc modo digerantur. Facit ad omnia.

Quo-

CLXXIIX.

Quoniam hæc ego composita habeo, antidotos, quas optimas sciuimus po- sui in facientibus ad omne malum vitium: aliud medicamentum etiam ex mul- tis tebus. Simplicia quoque medicamenta, & propria remedia monstraui. Propria vero remedia, quæ ad singula faciunt, autor indicat Compos. cc. quanquam & Physica, quæ fine ratione prosunt, intelligere liceat.

Quam antidotos faciunt.] quam antidotos, faciunt.

Singulorum] quæ frequentiora & vehementiora.

CLXXIX.

Ad Cicutam.]Ea tamen in Italia minus exitialis. Calidam & siccam tertio gra- du putat cum Rasi Auerroes: quandoquidem insigni vi attenuat. Quod Petrus Aponensis Diff.cv. de terrestri accipit: minus fortassis inepte, quam censet Eu- stachius Rudius de morbis occult. lib. III. cap. III. Myrrhidis enim est spe- cies, ut vere Clarissimus Gregorius Horstius ad Conciliat. Exercit. IV. Quic- quid sit, emplastrum ex cicuta ad lienis duritiem mirabile deprædicat Ioannes Heurnius Methodi ad Prax. lib. II cap. x. Quod fine ulla ipsius mentione in- suum Antidotarium Londinenses traduxere. Cellus etiam lib. v. cap. VI. ci- cutæ femen inter ea refert, quæ rodunt vulnera. Cicutam vero Atheniensium fuisse simpliciter frigidam suspicantur nonnulli, quod Socratis interitus fuerit naturali similis. Nec sane mirum Atheniensium hierophantas, ut memorat D. Hieronymus lib. I. contra Iouinianum, cicutæ sorbitione castratos. Medico enim ipsius id usu fieri posse planum est apud Galenum lib. v. de Simpl. facult. cap. XIV. Qua etiam ratione apud Nicolaum Fontanum lib I. observat. LV. ci- curæ in acetariis esus mulieri somnum conciliauit.

Caligo,] Quam Nicander in Alexipharmacis eleganter depingit.

Mentisque alienatio.] Galenus lib. quod an. mor. temp. corp. seq. cap. III. fatetur se causam ignorare. Quod cicuta forsan ipsi de Simpl. med. fac. lib. III. cap. XIII. sit ordine quarto frigida: delirium vero à causa vi calida agnoscat de loc. aff. lib. II. cap. IX. Id tamen haut usque mirum, si à capitis repletione delirium: quale putat ebriorum lib. II. de diffic. respirat. cap. X. Nec alia de causa crediderim abstemios largiori aquæ potu aliquando tanquam lymphati- cos fuisse.

Gelatio] Cicuta enim refrigerando perimit ex Dioscoride lib. IV. cap. LXXIX. & sanguis ea quasi conglaciatur, ut notat Ælianus de Animalibus lib. IV. cap. XXIII. Qualem se Ioannes Hayn vidisse memorat de Morb. Astralib. cap. V.

Nihilque sentiunt.] Inde mitioris forsan pœnæ loco habita. Quam non se- luit Plinius lib. XXV. cap. XIII: *Cicuta venenum est, publica Atheniensium pœna inuisa*. Nec Lipsius aliter Tacitum interpretatur Annalium lib. XV. qui ait: *Seneca interim durante tractu & lentitudine mortis, Statium Annæum diu sibi amicitiæ fide & arte medicinæ probatum orat, prouisum pridem venenum, quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur, promeret.* Socratis qui-

 dem

dem interitu nobilitatum hoc medicamentum. Sed compositum opinatur Antonius Guainerius de Venenis cap. IX Valerii Maximi autoritate: qui lib. II. cap. VI. narrat se in Ceo insula venenum cicuta temperatum animaduertisse. Cuius forsan generis prouisum pridem venenum. Qualia utinam ætas quoque nostra ignoraret. Lilii, quod corona Imperialis appellatur, eandem ferme noxam ostendit Patauii nobilis Germani pedisequus, qui bulbum concisum in patella ex oleo & sale curiosius frictum postquam absumsisset, similibus cicutæ malis correptus vix potentissimis auxiliis pristinæ sanitati restitui potuit.

Quam plurimo] Sic enim superatur venenum, quod exiguo vino ad cor deduci prodit Galen. de Simpl. med. facult. lib. III. cap. XX. Addit Plinius lib. XXV. cap. XIII: *Remedio est, priusquam perueniat ad vitalia, vini natura excalfactoria. Sed in vino pota irremediabilis existimatur.* Quorundam sententia aromata etiam venenum exstinguunt, e quibus & styrax antidotis alexiteris iungitur apud Galenum de Simpl. med. fac. lib. V. cap. XIX.

Clustere] f. clystere. Sicut & Stephanus. quomodo passim apud autores: quamuis & altera lectio possit admitti, propter mutuum veteribus u & y usum; quem Scribonius retinuit Compos. CIX. & CXCIII, itemque CCXIV. & CCXX. Celsus pariter lib. II. cap. XVII. & lib. III. cap. XXI. etiam in MSS melioribus. De hoc ad Annæi Cornuti mentem Cassiodorus de Orthographia cap. I: *Y litera antiqui non semper usi sunt, sed aliquando loco illius V ponebant: itaque in illorum quoque libris hanc scripturam obseruandam censeo, Sumam, Suracusam, sumbola, sucophantas, quod in nostris corrumpi non debet.* Idem tamen ex Papiriano cap. IV. addit: *Y Græcum nos in quibusdam in V conuertimus, ut, Cymas, Cumas, cyminum, cuminum; in quibusdam non vertimus; ut, Syria, Syriacus, Symbolum, Sycophanta.* Velii proinde Longi de Orthographia monitum heic valebit: *Quod ad Latina pertinet, in quibus late aliquid ambigitur, antiqua consuetudo recipienda est.*

Et extra super] Optime Nicolaus Leonicenus: & super v.i. f.o. Alterutrum enim redundat.

Farinam ordeaceam] Dioscor. lib. II. cap. CIIX. Plin. lib. XXII. cap. XXV. Ad. Lexic.

Triticeam] Diosc. libri ei. cap. CVII. Galen. de Ant. lib. II. cap. VII. ex Asclepiade. Ordinatiorem porro singulorum usum persequitur Ægineta lib. V. cap. XLI. cui suffragantur Æt. Tetr. IV. Serm. I. cap. XXIII. & Actuar. meth. med. lib. V. cap. XII.

CLXXX.

Opium] Dioscor. lib. VI. cap. XVII. Nicand. Alexipharm. XV. Papaueris succum Scribonius intelligit Compos. XXII. De quo Plin. lib. XX. cap. XIIX: *Succus meconium vocatur, multum opio ignauior.* Nec male, si opium intelligatur Ægyptium, quod fit exsudatione capitum papaueris nigri. De quo Gentilis apud Matth. de Grad. in IX Rasis Part. I. cap. LV.

Papaueris viridis] Sed nigri, quod mense Aprili vel Maio colligitur.

Aqua cum oleo] Legendum videtur: aqua & oleo: quod in scripto forsan fue-

faerit compendio. Hoc enim non solum euacuantur venena, sed vis eorum ulcerans hebetatur, autore Dioscoride lib. 1. cap. xxx. Inde fortassis oleum per somnum bibere, venenum aut morbum præsagiisse veteres narrat Artemidorus Oneirocrit. lib. 1. cap. LXIIX.

In vinum admixtis] in unum admixtis. Ita Comp. LVI. commisceri in unum, & Comp. CLXXXIII. in unum misceri.

Per pinnam,] Priscam hanc rationem ostendit Suetonius cap. XXXIII. de Claudio: *Nec temere unquam triclinio abscessit, nisi distentus ac madens, & ut statim supino ac per somnum hianti pinna in os indereturad exonerandum stomachum.* Eamque ut magis obuiam, natura præsertim in vomitum inclinante, altera frequentiorem fuisse, non obscurum est ex Tacito, qui Annalium lib. XII. sic de Xenophonte medico: *Tanquam nisus euomentis adiuvaret, pinnam rapido veneno illitam faucibus eius demisisse creditur.* Pennam vero commode tingi oleo cyprino tradit Ægineta lib. VII. cap. x.

Lorum vomitorium] Vomitoria enim blanda, qualia hæc præcipiuntur, ventriculum non nauseantem sine irritamento vix concitant. Et lorum quidem penna multo efficacius. Lorū autem vomitorium corrigia eft nautea herba à coriariis tractata, quæ in os demissa tetro sapore vomitum ciebat. Sic quidem Hieron. Mercurialis Var. lect. lib. VI. cap. XVII. & de morb. venen. lib. I. cap. XXII. post Adrianum Turnebum Aduers. lib. XVII. cap. XVI. Corrigiam optime statuerunt: siquidem lorum ex corio semper confectum putant quidam. Qua ratione Cato rei rusticæ cap. III. exigit *funes loreos*. Plinius de torculis itidem lib. XIIX. cap. XXXI: *Antiqui vittis loreis ea detrahebant & vectibus.* Ceterum illudne planum fuerit, an contortum, haud usque liquet. In modum funis contorqueri solitum, inter plerosque sane conuenit. Nec varia eorum coniectura, qui lorum istud opinantur factum ex corio palmi longitudine ac latitudine digiti, candelæ modo, quod nec pote rumpi. Quo etiam modo Petrus Castellus in Messanensi Lyceo princeps Medicinæ Doctor ad urethræ carunculas lorum urinarium palmi longitudine è corio rubro Turcico tenuissime secto atque humectato, deinde circumuoluto tabellula impositα, totundum ingeniose parare consueuit. Stomachum vehementius concitabit procul dubio à forma sic appellatum Digitale; quod Oribasius Collect. med. lib. IIX. cap. VI. sic describit: *Noui etiam qui scammonii liquore digitos ungerent, & ita purgationem concitarent. Sed si ita non sequatur purgatio, pennas anserinas ex cauda octo aut decem cyprino aut irino intinctas indemus, aut etiam digitalia. Consuuntur enim digitalia* (δακτυλήθρα, δακτυλῆθραι MS Vatic.) *ex corio Carthaginiensi aut alio quouis mollissimo, ad longitudinem digitorum decem aut duodecim, instar digiti. Ex his spatium senum digitorum lana impletur, reliquum vero, quod quaternum digitorum est, inane relinquitur, ut digitis aptetur. Hæc igitur ante dictis unguentis intincta in stomachum immittemus.* Arabes præterea simile quid conatos fuisse indicat Aben Sina lib. 1. Fen. IV. cap. XX: quod vulgo inscribitur De phleboromantibus: *Et habeat gomorem ex cuculo aut serico, & instrumentum vomituum ex ligno, aut penna.* Moxq; subdit: *Et gomorem in os eius mittat: & ipsum cum instrumento vomere faciat: & folliculi ei ad olfaciendum tribuat.* In quæ verba Dinus de Garbo Florent. cap. XX. Qu.

IX. annotat: *Gomor est quoddam instrumentum habens rotunditatem, quod homo tenet in ore causa vomendi: & fit ex serico, vel cucullo: & dicitur, quod Cucullus est quædam res, ex qua fit filum, & non est linum, sed res alia. Folliculus autem musci est corium, in quo existit muscus, & trochisci de musco; satis est notum.* Quid vero Gomor? Mendo scriptoris irrepsit hæc barbaries. Etenim *glomerem* sine dubio posuit primus interpres Gerardus Cremonensis: quod in obliquis diptoton. Sic de labyrintho Varronis autoritate Plinius lib. XXXVI, cap. XIII: *quo si quis improperaret, sine glomere lini exitum inuenire nequeat.* Hunc in modum Andreæ Alpagi Bellunensis versio: *Et ut habeat glomorem ut frustum rotundum ex chazi*: Vbi glossa ad marginem: *id est, ex serico rotundo.* Perperam tamen *glomorem*; quod & Gentilis Fulginas habet, qui utendi modum addens ait ponendum tale instrumentum in radice linguæ, vel magis infra. Cetera cum Hugone Senensi uterque ieiunus. Meam vero sententiam adiuuat Gerardi Cremonensis editio Veneta. Id Ioannem Costæum & Antonium Mariam Bettum in hunc locum non animaduertisse mirarer, nisi eos merito excusaret nostro etiamnum æuo parum nota Arabum lingua. Qua Cl. Veslingio interprete sic ore Latino Aben Sina medicum instruit: *Sit cum eo globulus ex folliculo, & serico, & capulus ex ligno, aut penna.* Addidit ille, autorem non uti voce *Scamúd*, quæ glomum vulgo significat; sed *kábet*, qua communiter exprimitur res rotunda, exigua: quamuis & Kamo celebri onomastici Arabici autori sit globulus sericeus, siue glomus. *Chan* vero exposuit folliculum, siue membranulam, qua quid antea velabatur; & quæ serico similibusq; denuo impleri possit. *Mokeba* capulum vertit. Id enim denotat, quod manu comprehenditur. Sic medicorum quidem Arabum princeps, natione Persa, ut autor Io. Leo Africanus De Viris quibusdam illustribus apud Arabes in bibliotheca Medica Florentiæ MS, & Petrus Teixera scriptor Hispanus De Origine Regum Persiæ lib. I. Verum οὐδὲν πρὸς Διόνυσον. Toto enim Capite disseritur De Venæ sectione. Quid vero ipsi est cum vomitu? Librarii culpa esto. Plura non adiicio. Quid porro Nautea nunc dispiciendum. Nonii Marcelli verba sunt: *Nautea est aqua de coriis; vel, quod est verius, aqua de sentina dicta à nautis.* Equidem lotum eiusmodi coriorum eluvie infici potuisse non inficior. Mercuriali tamen magis prælucet apud Festum Paulus, quando ait: *Nautea herba granis nigris, qua coriarii utuntur. à naue dictum nomen, quia nauseam facit, permutatione T in S.* Quam opinionem Festus in Opilium Aurelium refert. Labeo præterea in Commentario Iuris Pontificii apud Festum tradit, *nauteam rubidum quiddam esse, quo Pontificum vestimenta quædam colorant.* Sed quoniam ex iis nemo distincte herbam ostendit, in re ambigua diuinationi veniam postulo. Doctissimus Mercurialis opinatur, lotum à coriis madefactū nautea herba, quæ tetro sapore vomitum incitaret. Fœdi saporis plurima quidem scio: nullam inter ea tamen, quæ coriariis usitata, præter Bryoniam ventriculo infensam. Rhus enim vi adstringendi prædita neutiquam laxat ventriculum, quin roborat. Cotinus pariter, etiamsi ei semina subnigra, quod pro Festo est, ac radix Aloisii Anguillaræ obseruatione lanam rubro colore tingat: cuiusmodi quidpiam Labeo de Nautea memorat; unde & ipsa fortassis Plinio lib. XVI, cap. XIIX Conchylii colore insi-

insignis. Bryonia vero alba, cuius fructu coria depilantur, autore Dioscoride lib. IV. cap. CLXXXIV, qua etiam ratione Galeno de Simpl. fac. lib. VI. & Apuleio cap. LXIIX. Psilothrum, vomitiones non raro concitat. Cui nigram persimilem monet Galenus, nisi quod imbecillior: idemque Dioscor. lib. IV. cap. CLXXXV. de ipsius radice refert. Hanc tamen Hadrianus Iunius Festi Nauteam putat. Quod vero iis utilem affirmat, qui coria densant, id non aliter accipiendum, quam Dioscorides modo innuit. Neque enim adstringit, sed ventriculo molesta soluit alvum. Acrem quippe credit autor libri de Simplic. virib. ad Paternianum. Anagyris etiam Lexicographorum cuipiam visa fuit Nautea. Neque ab re, si solum spectemus vomitum. Anagyris enim Galeno de Simpl. med. facult. lib. VI. acris grauiterque olens vomitum prouocat. Fructus huic quoque tandem è cœruleo nigricat. De quo procul dubio Plin. lib. XXVII. cap. IV: *Semen commanducatum vomitiones facit*. Nulla tamen harum, quas dixi, stirpium ad Festi mentem minus accedit. Vt enim sileam, non magis ei, quam Cotyno aut rhoi fruticibus conuenire herbæ nomen, coriariorum officinis hactenus ea non recepta fuit. Vero itaque similius Vitem nigram, siue uvam taminiam vulgi apud Plinium lib. XXIII. cap. I, Nauteæ appellationi conformem; nisi nouis tentare libeat experimentis, quid Anagyridis acrimonia glabrandis pellibus valeat. Eamque meam coniecturam eo libentius expromo, quia viro omnis medicinæ maximeque herbariæ scientia clarissimo Carolo Auantio admodum placuit: qui præmaturo vitæ excessu acerbam reliquit suis memoriam, quum extremam hisce manum adderem. Nec minoris apud me magni Schipani consensus. Quid quod Oribasius Medic. Coll. lib. VII. cap. XVI. diserte affirmat uvam taminiam per superiora purgare. Mercurialis autem ventriculi iniuriam tetro sapori gratis imputat, siquidem vis ea medicamento à sale, quod volatile appellant, expellendi facultatem mouente peculiatis, interioris naturæ peritis non est ignota. Quis enim sapor antimonio, quis genistæ? Imo sola sæpe sufficit gulæ irritatio, etiam simplici penna, ubi mitiore opus remedio. Lori huius vicem apud Nicandrum in Alexipharmacis videtur supplere intortus papyri liber. Is vero cap. X. de Bupresti planiorem quam Scribonius remedii occasionem indicat:

> Χειρὶ βιαζόμενος, ἢ καὶ πτερῷ, ἢ ἀπὸ βύβλου
> Στρεπτὸν ἐπιγνάμψαιο κακῶν ἐρυτῆρα φάρυγγος.

Iacobo Greuino interprete,

> *Coge recusantem digitis, pennaque, recuruoque*
> *Et modice intorto fauces purgante papyro.*

Melchior Guilandinus æternis dignus foliis Papyri Membro VII. ἀπὸ βύβλου στρεπτὸν vertit *ex papyro funiculum*. Melius quam *papyri flexile incurues folium*. Nec miror loro suffectum, quandoquidem & funes ex ea factos tradit Plinius lib. XIII. cap. XI. Inde Colum. lib. VI. cap. VI: *Sub cauda sanguis emittitur: qui quum satis profluxit, inhibetur papyri ligamine*. Similiter Marcellus cap. X: *Linum vel papyrus ligata summitati veretri virilis sanguinem profluentem naribus mire reprimit*. Sic apud Publ. Veget. lib. III. cap. III. *papyro ligata cauda restringitur*; qui & lib. II. cap. LVII. papyrum candelarum purgatam subtiliter carpi præcipit. Ex quo procul dubio ellychnium, Italis *Lucignolo*,

oignolo, Venetis corrupta voce dicitur *paucro*, quod olim ex papyro, non secus ac in Italia & Oriente nunc xylinum candelis siue lucernis plerumq; aptatur. Ideoque Petrus Ruellius rei Veterinariæ Nomenol. Ellychnion vere interpretatur id quod ex papyro tortum in lucernis uritur. Lori vero magnitudo latis comperta iis, quibus & gulæ ratio. Ferreum etiam huius generis instrumentum ex Phrynicho Comico innuit Iul. Pollux lib. IV. cap. XXV: ἔμη κατὰ μυλῶν. καὶ φλίγματ☉ γάρ εἶ πλέως. *Reuome, ferrum collo immittens. etenim phlegmate plenus es.* Vbi Fridericus Sylburgius bene reposuit καταμηλῶν. Est enim Polluci μηλῶσαι, τὸ τὴν μήλην καθεῖναι, *instrumentum in collum immittere*, Rudolpho Gualthero interprete. Clarius forsan. *Specillum*.

Subinde cogantur reiicere.] Idem censet Galenus de Antidot. lib. II. cap. VII. qui addit, alvum mitiori clystere maniendam. Idque initio sæpe tentandum, quando ægris sopore oppressis os arcte clausum.

Aspro] aspero scribendum videtur. Priscis tamen alteram quoque rationem placuisse, constat è Lexico. Frictio hæc, Galeno de Sanit. tuenda lib. III. cap. XIII. sicca, etiam chirothecis peragitur. Hoc enim διὰ χειρίδων significat: pro quo Linacer manicam reposuit: quod & Comp. XVI. monui.

Sinapi] quod ex alto vitium trahit, notante Dioscoride lib. II. cap. CLXXXIV. commune iis remedium, quibus imbecillitas nocet, sententia Galeni Metho. med. lib. VII. cap. IV. Nam torporem excutit.

Et à somni tempore prohibere ne obsopiantur.] Mallem, & à somno tempori prohibere, ne obsopiantur. Vulgatæ nihilominus lectionis hæc esse poterit sententia. Post somni tempus, siue extra somnum, impedire ne soporentur. Castoreum autem opii antidotum post Dioscoridem lib. VI. cap. XVII. ponit Gal. de Comp. med. sec. loc. lib. IIX. cap. III. quod tritum duabus drachmis cum vino date suadet Petrus Aponensis de Venenis cap. XXVI.

CLXXXI.

ὑοσκύαμον] Plin. lib. XXV. cap. IV: *Herculi quoq; eam adscribunt, quæ Apollinaris, apud Arabas altercum siue altercangenon, apud Græcos vero hyoscyamus appellatur*. Quamobrem ingeniosa magis etymologia heic à Scribonio posita, quam vera. Hyoscyamus quippe Arabibus est *Alterich*. Faba suilla vulgo, quod eius forsan esu capiantur sues.

Abalienabuntur] Malo cum H. Stephano abalienantur. Sic Dioscorides lib. VI. cap. XV. de Hyoscyamo: παρακοπὴν τοῖς μεθύουσιν ὁμοίαν ἐπιφέρει. *Similem ebriis abalienationem mouet*. Actuarius Meth. med. lib. V. cap. XII, Iulio Alexandrino interprete: *Herba Apollinaris pota mentis abalienationem ebriis non dissimilem infert*. Quod nec præteriit Hesychius: ὑοσκυαμᾷς, μαίνῃ ἀπὸ τῆς πόας. Et Phauorinus: ὑοσκύαμ☉, ὃν οἱ πίνοντες μαίνονται. Gingiuas etiam tumentes reddit, Nicandri obseruatione in Alexipharmacis.

Asinino] cui mulsum addit Georgius Pictorius.

Quolibet alio] Sic Galenus de Antidot. lib. II. cap. VII. De Alteteo plura Eustach. Rudius de Morb. Occult. lib. III. cap. V. Sues agrestes adsumto hyoscyamo paralysi correptos cancrorum fluuiatilium esu in pristinam valetudinem

nem

nem restitui narrat Ælianus Var. Histor. lib. I. cap. VII.

C L X X X I I.

Gypso poto] C. Proculeium Augusti Cæsaris familiaritate subnixum in maximo stomachi dolore gypso poto conscivisse sibi mortem narrat Plin. lib. XXXVI. cap. XXIV. Gypso farinæ admixto Conradi III. Imperatoris exercitum pæne deletum refert M. Ant. Coccius Sabellicus Enn. IX. lib. IV. Plures eius notas recenset Dioscorides lib. V. cap. CXXXIV. & lib. II. cap. XXIV. quem Scribonius imitatur, ceterique formæ veteres.

Sanguilenti] Omnes: H. Steph. Sanguinolenti.

Lixivio è sarmentorum cinere] Galenus de Antid. lib. II. cap. VII. idem remedium ex Asclepiade tradux it. Simili ratione Antonio Guainerio de Venenis cap. IIX. Gypsi bezear est cinis sarmentorum drachmis binis propinatus ex vino, cui hyssopus incocta. Bibitur & è crematorum caulicorum cinere lixivium aduersus gypsi potum, autore Dioscoride lib. I. cap. CLXXXVI. Nec alienum heic erit forsan, quod Ioannes Schyronius Academiæ Montispessulanæ olim doctor celebris auditoribus ceu præsens remedium commendauit, lixiuium è quercus cinere cum oleo sincero confectum à quolibet veneno propinatum.

Poto. Item] poto; item &c. Huc refer historiam de flore calcis in edulia delapso, quam narrat Nicolaus Tulpius obseru. medic. lib. III. cap. XLI.

C L X X X I I I.

Spuma argentea] De hac Dioscorides lib. V. cap. CII.

Inflammationem,] Numquid, inflationem. Nicander enim in Alexipharmacis ait: *flatus sese reuoluentes per medium ventrem, & iuxta umbilicum murmurant.* Dioscotides quoque lib. VI. cap. XXVIII: βάρος ἐπιφέρει ἐντέροις μετὰ στρόφων, *grauitatem adfert interaneis cum magnis torminibus*. Ita interpretes. Nec male. Monet enim Æt. Tetr. IV. Serm. I. cap. LXXIIX. ea Iliacæ passioni similia, Inflammationis vero nullus meminit: quanquam & Actuarius Meth. med. lib. V. cap. XII. post Dioscoridem addat, nonnunquam intestina pondere vulnerari. Ab aconito pariter inflantur intestina Comp. CLXXXIIX. Cetera, præter suppurationem partium, alii quoque scriptores memorant.

Exitu procedente tempore:] Crat. & Ald. exitu: procedente tempore, coloris Ruel. atque St. De tempore nihil Dioscorides.

Secundum reiectionem] Dioscor. μετὰ τὸν ἔμετον, *Secundum vomitionem.* Autor Comp. sequ. post vomitum.

Acrique curatione,] Cuius ratio mox subiicitur: nisi post citatam oleo vomitionem acres quoque clysteres auxiliantur, veluti poto meconio apud Dioscor. lib. VI. cap. XVII. Qua dictionis forma Celsi præceptum est lib. IIX. cap. IX. fractis costis alvum sine ullo acri ducendam.

Dare] Ad pleniorem intellectum adde *Oportet*, sicuti Comp. XX. nisi forte sic scribendum: acrique curatione, Pipere, m, &c, potes. Eandem argenti viui

ratio-

rationem monet Actuar. lib. v. cap. xii.

CLXXXIV.

Cerussa,] Melius, Cerussam.

Ψιμμύθιον] *Ψιμμίθιον* Dioscorides lib. vi. cap. xxii. quem sequutus autor Comp. xxxii. & xxxiii.

Qui biberunt,] Aquæ pariter noxiæ, quæ plumbeis fistulis deriuantur, maximeque, si diu in iis morantur, intestina erodunt, quemadmodum monet Albert. Magnus Meteor. lib. iii. cap. xx. Nam cerussa plumbo creatur attrito, quæ corporibus nocet humanis, monitu Palladii de re Rust. lib. ix. Tit. xi. Quod similiter de aquis ex vase plumbeo distillatis aduertere Garcias Lopius var. lect. med. cap. xxiv. Antonius de Aguilera Rudiment. med. lib. vii. cap. iv. Anton. Musa Brasauol. in Hipp. de victu Acut. lib. iv. Sect. v. Ioach. Camerarius Probl. Dec. iii. Qu. ix. Mercur. Var. lect. lib. ii. cap. ix. Hieron. Capiuac. Pract. lib. ii. cap. i. Alex. Massar. Pr. lib. iii. cap. xxii. Io. Heurn. Meth. prax lib. i. Zacutus Lusitanus Med. Princip. Hist. lib. i. Petrus Paulus Pereda tamen in Scholiis ad Mich. Ioan. Paschalium de cur. morb. lib. i. cap. i. non sine causa dissentit, quoniam plumbum non liquescit.

Deprehenduntur, linguam] deprehenduntur. Linguam &c.

Dentium albicantes,] Dentes quoque denigrare ait Guainerius de Venen. cap. iix. post Petrum Aponensem de Venenis cap. xiii. Et sane fuci ea vis, quem hinc patant.

Pro sorbitione] Seneca Epist. lxxiix. Sorbitionem iis adnumerat, quæ intolerabilia delicatis. De sorbitionibus Oribasius Synops. lib. iv. cap. xxxv. Sed quod valde mendosum.

Cum urtica,] Priscorum mensis adhibitam indicat Persius Sat. vi. vers. lxx:

—— Mihi festa luce coquatur
Vrtica, & fissa fumosum sinciput aure.

Germanis hodie tenerior etiam in pulmentum sumitur.

Herbaque mercuriali.] Glossa vetus: *Herba mercurialis, Λινόζωδον.* Rectius cum Dioscoride lib. iv. cap. cxci. *Λινόζωστις.* In hunc modum Plinius lib. xxv. cap. v: *Linozostis siue Parthenion Mercurii inuentum est. ideo apud Græcos Hermupoan multi vocant eam, apud nos omnes Mercurialem.* At enim Parthenium à mercuriali distinctam ponit ipse lib. xxii. cap. xvii. Ideoq; ex aliena mente de mercuriali hoc protulisse crediderim. Qualiter & Dioscorides, *οἱ δὲ παρθένιον, οἱ δὲ ἑρμοῦ βοτάνιον καλοῦσι:* quem is plerumque imitatur.

Nucleorum persicorum interiora] Non minori perspicuitate quam elegantia Scribonius expressit Dioscoridem, qui post Nicandrum in Alexipharmacis commendat *περσικῶν τὰ ὀσᾶ.* quod interpres vertit *persicorum ossa*, quemadmodum & Ianus Cornarius Æginetam de re med. lib. v. cap. lix. ab Ætio Tetr. iv. Serm. i. cap. lxxvii. & Actuario Meth. med. lib. v. cap. xii. ut plurimum sibi consentientibus omissa. Illa procul dubio magis proprie *πυρῆνες nuclei* Latinis. Verum Dioscoridi vocum Græcarum vim parum fuisse notam dudum aduertit Galenus de Simpl. med. fac. lib. x.

Lixiuia calda] Diosc. lib vi. cap. xxii. Nicander etiam in Alexipharmacis cerussæ remedium credit oliuas Premadias. Quod Hieronymus Mercurialis Var. lect. lib. i. cap. iii. de oliua Georgic. lib. ii. Pausia Virgilio nominata intelligit. Somnum etiam impediendum præcipit Sennertus Pract. lib. vi. Par. v. cap. xiv.

CLXXXV.

Coriandrum] Sic etiam Dioscorides lib. vi. cap. ix. Quod viride intelligit Galenus de Antidot. lib. ii. cap. vii. Ideoque Aponensis vere succum eius cap. xxiii. venenis adnumerat. Recens tamen ab Ægyptiis impune mensis adhibitum scribit Prosper Alpinus de Plant. Ægypt. cap. xlii. Nec mirum. Quod enim nascitur in Ægypto, fertur non ingrati odoris.

Ab odore] Quem autor Comp. ccxlv. virosum affirmat. Folia nempe caulesque cimicem redolent, quæ Græcis appellatur κόρις; unde nonnullis etiam Κορίανον dictum putatur, sicut G. Bauhinus ad Dioscoridem notauit, & Pinac. lib. iv. sect. v. Dioscorides autem lib. iii. cap. lxxi. usu duntaxat immodico noxium fatetur. Neque de alio quam siluestri accipiendum, scriptoresque veteres de Cicutaria deceptos ista in Coriandrum protulisse, ad hunc locum obseruat Amatus Lusitanus Ennarat. lxix. quamuis inter siluestria non admittat Plin. lib. xx. cap. xx. quum saporis ac odoris ceteroquin optimi fuerit.

Mentem mouet.] Dioscor. & Nicand. in Alexipharm. venuste.

Aqua marina,] Diosc. lib. v. cap. xix. ad venenatos ictus morsusque laudat. Sed extrinsecus.

Muria dura] Acerrimam & liquidissimam vere nominat Salmasius in Solinum. Qualis & autori Comp. lx recens, atque heic potui apta: Columellæ lib. xii. cap. vi, ubi muriæ rationem docet, procul dubio matura. Quo etiam modo apud Celsum lib iv. cap. xvii. *muriæ duræ potiones*. Nam & Plinius lib. xxxi. cap. iix: *Transiit garum ad colorem mulsi veteris, adeoque dilutam suauitatem, ut bibi possit*. Simili ratione Q. Serenus cap. iii. *acetum* vocat *durum*, quod est acerrimum. Hieronymus Mercurialis itaque Var. lect. lib. ii. cap. xxvi. Adrianum Turnebum nimiæ subtilitatis parum iuste insimulat. Etsi enim Columellæ lib. vii. cap. iv. cœlestis aqua sub dio salibus durata eluendo gregi laudatur: Libri tamen xii. cap. vi. liquidam omnino intelligendam ex his manifestum: *ubi dulcem caseum dimiseris in eam, si pessum ibit, scies esse adhuc crudam; si innatabit, maturam*. Et cap. vii: *superfusa dura muria lauantur*. Adde, cœlestem aquam non tam solis æstu quam salibus duratam, ut putredini resisteret. Cuiusmodi apud Celsum lib. ii. cap. xxx. aqua dura, quæ tarde putrescit, exemplo Hippocratis lib. de Aere, aqua, locis cap. iv. com. xiix.

Ouis anserinis] Dioscor. & Oribasius Collect. lib. xv. cap. i. itemque Ætr. Tetr. iv. Serm. i. cap. lxi.

CLXXXVI.

Leporis marini] Dioscoridem lib. VI. cap. XXX. autor egregie illustrat. Lepus vero marinus piscis est venenatus, paruæ loligini similis, autore Dioscoride lib. II cap. XX. cum qua plerumque reperitur, veluti notat Ætius Tetr. IV. Serm. I. cap. LIII. de quo præter Ælianum De Animalibus lib. XXXII. cap. I. qui & lib. II. cap. XLV. descripsit, mira Plinius lib. XXXII. cap. I. qui adspectu etiam venenatum memorat. Eius humores quosdam occultos mortiferos supra omnia venena, quæ mari terraue nascantur, scribit Philostratus De Vita Apolonii Tyanei lib. VI. cap. XIV.

Illotis piscibus;] id est, odorem senties, qualis est squamatum & piscium purgamenti. Porro gustus & sapor eius est piscolus, qualis putrefactorum solet esse piscium, vel ubi nondum ablutorum corpus squamæ polluunt. Diserte Nicander Alexipharmacis:

> *Τῷ δή τοι λεπίδων μὲν ἰδ' ἐκπλύματος πέλει ὀδμή,*
> *Γεῦθμος δ' ἰχθυόεις νεπόδων ἅτε σαπρυνθέντων,*
> *Ἢ καὶ ἀπλύντων, ὁπόταν λεπὶς αὐξίδι χραίνῃ.*

Iacobus Greuinus vertit:

> *Virosi squamas & purgamenta marini*
> *Piscis olet, piscemque sapit qui putridus, & quem*
> *Non perpurgatum squamæ infecere relictæ.*

In locis enim cœnosis degit.

Putentibus: qui] putentibus. Qui s. a. &c. Celsus lib. II cap. XXI. tales dixit virosos, Dioscoridem imitatus lib. VI. cap. XXX. Inde præceptum salubre de mundandis manibus Comp. LXXX.

Purpureiq; coloris] *Interdum plus æquo sanguineam.* Nicander Alexipharmac. Venenum quippe necat erosione Galeni sententia de Simpl. med. fac. lib. X.

Præcipue pisce.] Præterquam cancro fluuiatili, ut quidam notarunt. Dioscorides: *Hoc malo circumuenti, quum pisces omnes respuant, solos fluviatiles cancros elixos esitant & concoquunt, à quibus non mediocriter adiuvantur. Signum porro salutis fuerit, si pisces in cibos admittere cœperunt.*

Per tabem] Lepus enim marinus præcipue pulmonibus est infestus, notante Galeno de Ther. ad Pis. cap. IV. iisque solis lib. I. cap. I. de Comp. med. sec. loca.

Cum melle] Ne lac in ventriculo coaguletur, Galeni consilio de Alim. fac. lib. III. cap. XV.

Pix cedria,] Hæc autem corpora viuentia corrumpit. Numquid leporis marini veneno vi septica resistit? ut de argento viuo speciose Ausonius Epigr. X:

> *Quam pia cura Deûm! bina venena iuvant.*

Si quis inde] Reiice postremam vocem.

Bina ternaue cochlearia] Vnius aut dimidii oboli pondus præcipit Galenus de Antidot. lib. II. cap. VII.

Iuniperi tritæ] Librarius procul dubio vocem baccæ omisit, qua Marcellus cap. XX. usus. Eas autor grana dixit Compos. CIX. Sic igitur lege: Item bene faciunt

ciunt baccæ iuniperi t. q. &c. Efficacissimas ad serpentium ictus prædicat Dioscorides lib. I. cap. CIV. Galenus etiam de Simpl. med. facult. lib. I. meminit antidoti Διὰ τῶν ἀρκευθίδων, quod Iuniperi fructum accipiebat. Scio tamen in Dania negotiatorem deuorata iuniperi bacca, quam præteriens decerpserat, illico interiisse. Verum animalis nociui tabo infectam fuisse credo. Quod autem quibusdam iuniperi ramentum inter venena relatum obseruat Fernelius Meth. med. lib. V. cap. XX, necdum satis fidos habuit autores, ut ut Dioscoridi à nonnullis adscribitur, & Iulius Scaliger Exerc. CLXXX. sect. XIX. scobem adhærescendo suffocare putat. Neque enim tale quidpiam in melioribus Dioscoridis libris videre licuit: quamquam vetustissimus liber scriptus in Bibliotheca Imperatoris habeat: τὸ ῥίνημα τοῦ ξύλου πόθεν ἀναιρεῖ. *Scobs ligni nequaquam interimit*. Quæ scriptori optimo plane reddenda, quum tacita veluti præoccupatione haud obscure indiceut veterum animis vulgarem hanc insedisse opinionem, quam posteri fortassis amplexi fuere parum memores πόθεν Euripidi in Phœnissis negativum. Quod nec siluit Suidas, qui ait: πόθεν, ἀρνητικόν. ἴσον τῷ οὐδαμῶς. Minus id de radice opinandum, quod prodidit Hercules Saxonia de Lue Venerea cap. XXIV. Vsus enim refragatur. Nec vetat quidquam huius atque ligni guaiaci decocti retrimenta proiicere. Dubiæ fidei videtur illud Virgilianum Ecl. X:

Iuniperi grauis umbra.

Nec omnibus libris receptum: quamuis Ioannes Pierius Valerianus retinendum censeat.

CLXXXVII.

Salamandra quibus data est,] Qui Salamandram acceperunt, Dioscorides lib. VI. cap. IV. Qualiter & Græci scriptores ipsius æmuli, quos inter consulendus in primis Æt. Tetr. IV. Serm. I. cap. IX. XLVI, & LII. Adde, si libet, Plinium lib. XXIX. cap. IV. & Nicand. Schol. in Ther.

Torpet rigoribus] Dioscor. lib. VI. cap. IV: μετὰ νάρκης ἢ φρίκης. *cum torpore aut horrore quodam*. Horror autem apud Celsum lib. III. cap. III. & XII, itemque lib. V. cap. XXIIX. diuersus à Rigore lib. II. cap. VII, qui lib. IV. cap. III. neruorum.

Variatur.] Eius quoque sanies tactu pilos tollit, Plinio autore lib. X. cap. LXVII. Quod eleganter cecinit Q. Serenus Samonicus:

—— salamandra potens, nullisque obnoxia flammis,
Eximium capitis detecit honorem.

Hinc Martialis lib. II. Epigr. LXVI de capite Lalages: *Hoc salamandra notet*. Petronius etiam: *quæ sola salamandra supercilia tua exussit?* Amicus noster Ioannes Argolus post Christophorum Richardum & Iosephum Antonium de Salas vere putat legendum: *quæ salamandra*. Scriptoris enim negligentia *sal.* geminatum alii in *sola* mutarunt. Nec male reponitur forsan *exussit*. De lepore marino idem perhibet Dioscorides lib. II. cap. XX.

Adiuvari autem debent q. r. est, m.] Adiuvari a. debent, q. i. est.

Impacta est,] id est, inuite irrepsit. Cic. Tuscul. III: *Huic calix mulsi im-*

pingendus est. hoc est, nolenti ingerendus. Plin. Valer. lib. III. cap. IV. de Lepore marino: *qui, cum sit piscis, mortem inferat mi cibo impactam, non subitam, sed quæ trahatur*. Barthius Aduers. lib. v. cap. XVII. notat locum haut satis intellectum. Planiorem spero, modo sic restituatur: *mortem inferat in cibo impactus*.

Herba quam Græci] herba, quam Græci χαμαιπίτυν appellant. Vide Dioscor. loco nominato, qui & lib. III. cap. CLXXV. Aconiti antidotum refert.

Farina e. a. m. sumta] farinæ ex a. m. sumtæ q. b. a.

CLXXXIIX.

Aconiti] Aconitum Nicander in Alexipharmacis fingit ad Acherontis ripas productum. Poetæ scilicet natum è vomitu Cerberi, quem Hercules ab inferis ex fonte Acheronte liberasse dicitur. Effectus ac remedia huius veneni eleganter describit. Nec ab eo post Dioscor. lib. VI. cap. VII Scribonius multum recedit.

Auster] L. austerus, veluti apud Græcos est αὐστηρός. Etenim Græca consuetudinis agnoscit Cornelius Fronto de Vocum Differentiis. Ceterum librario forsan imposuit scriptionis compendium, aut syllabæ à blattis mutilatio, seu extritis quocunque modo postremis litteris: nisi Oscorum more, Ennio satis familiari, ultimam syllabam truncarit autor: quod vix eius ævi ratio permisit. Veteres tamen pro *exterus* dixisse *exter* notavit Iul. Scaliger de cauf. ling. Lat. lib. IV. cap. CI. cui adstipulatur Glossa vetus; ubi ἐξωτικὸς *Exter*. Barnabas autem Brissonius vir diligentissimus in Paregis hanc vocem minus usitatis accenset. Statius tamen elegantiæ sectator eam non abhorruit. Ita Lucret. lib. I. *Super ignis*, pro *superus* sive cœlestis. Cato rei rust. cap. CXLIX: *prato irriguo, ubi super inferque vicinis permittet, tum decedito*. Legendum forsan, *vicinus*. Apud Varronem rei rust. lib. I. cap. I IX. *puter* pro *putris*. Eiusdemne formæ *Auster*? Analogia quidem fauet. Sed cogitandum, quod lib. II. cap. XXV. refert A. Gellius, Varronis illud: *nullam esse obseruationem similium*. *Itaque in omnibus pene verbis dominari consuetudinem*. Ahi notant Aconitum initio dulcescere, paulo post acidum percipi eius gustum. Et sane Dioscorides ait, γλυκάζειν.

Adficit; itaque] adficit. Itaque

Evestigio] Ita Comp. CXCIV. & Lexicographorum plerique: imo Charisius lib. II. ubi est Adverbium Temporis, & Priscianus lib. XIIX. Malo tamen diuisim è vestigio, quemadmodum eruditiores *in primis*, quod plerumque exaratur iunctim.

Apparet.] Vox hæc superflua, nisi legatur: maximeque c. o. e. f. a.

E lectulo] id est, lecto cubiculari, quem discubitorio sublimiorem fuisse indicat Varro de ling. Lat. lib. VII. Vtriusque Lampridius meminit.

Articulos & artus] ἄρθρα, *membra*. Festus: *Artus, quod membra membris artentur*. Ausonio Popmæ de different. verbor. lib. I. *Artus propriè partes corporis inter iuncturas, continentque ossa cum neruis & venis*.

Sumserunt, ruta] lucium dematur. Aconiti vires ruta ex vino absinthite frangi,

frangi, cum Diosc. lib. v i. cap. v i i. tradit Galen. de Antid. lib. i i. cap. v i i; vinumque eius antidotum Macrob. Sat. lib. v i i. cap. v. & Petr. Crin. de hon. discipl. lib. x x i i i. cap. i x.

Gallinæ] Galenus de Antidot. lib. i i. cap. v i i.

σκωρίας] Σιδήρου σκωρία Dioscor. lib. v i. cap. v i i. *ferri stercus* interpretibus. Hinc Iul. Pollux lib. v i i. cap. x x i v. τὸ καθαρμα σκωρίαν ὀνόμαζον. *excrementum scoriam nominauerunt.* Nam Plinio teste lib. x x x i i i. cap. i v. *quæ è catino iactatur spurcitia, in omni metallo vocatur scoria.* Ferri autem scoriam fusci coloris ad cœruleum vergentis norat Ferrandus Imperatus Histor. natur. lib. x x v i. cap. i i i. quam Itali appellant *ferretto di Spagna*, quoniam Hispania ferro abundat. Etiam aconito ex aceto mulso opitulari scribit Diosc. lib. v. cap. x c i v. & Ægin. lib. v i i. cap. i i i.

Coagulum hinuli] Henr. Steph. hinnuli. Vide quæ Comp. x c i i. & c l x v i i monui. Rarum est quod notat Ioach. Camerarius Decur. v i i. Probl. i v. Hydropicos non offendi aconito.

C L X X X I X.

Cantharides in summitate ramorum fraxini vel oliuæ nascuntur; Exitiosas hanc dirarum obnuntiatione significat Ouidius in Ibin:

Cantharidum succos dante parente bibas.

Iisque sibi mortem consciuisse priscos testis est Tullius ad familiar. lib. i x. Ep. x x i. de Papirio: *Caius accusante L. Crasso cantharides sumsisse dicitur.*

Pici è cedro] Nicand. in Alexipharm. Dioscor. etiam lib. v i. cap. i. pici aut cedriæ similem prodit.

Potæ] Etiam admotæ vesicam offendunt: quicquid alii sentiant. Quorsum enim, Dioscoride lib. i i i. cap. l x x. quasi prælucente, Petri Aponensis ut creditur inuento in vesicantibus semen ammeos cantharidibus additum, nisi & ipsæ fotis noceant? Memini sane ab eiusmodi auxilio matronæ cuidam Patauinæ febri maligna decumbenti suppressam illico urinam, cui omissis in alio cerato cantharidibus vitium cessauit.

Difficulter urina] Dioscor. lib. v i. cap. i.

Exulcerata] *Quoniam ipsæ venena sunt vesicæ cum cruciatu præcipuo*, ut notat Plin. lib. x x i x. cap. i v.

Adiuvantur autem eum] Adiuvantur autem, cum f. r.

Reiecerunt] reiecerint, H. Steph. utrumque bene.

Lacte, sed] lacte. Sed d. p.

Omni lacte] Lac, in quo chalybs bene candens exstinctus, cantharidum alexipharmacum fetior usus deprehendit. Oillum autem cum oleo amygdalarum dulcium præcipue laudat Petrus Aponensis de Venenis cap. l x i v.

Cucumeris semen] Dioscor.

Anserini adipis] De quo Plin. lib. x x i x. cap. i i i. & lib. x x x. cap. v. qui lib. x x i x. cap. v i. eius præparationem tradit.

Samiæ cretæ] Nicander in Alexiph. Partheniam vocat. Lemniam terram præsentissimum præsidium vidit Galenus, ut fatetur ipse lib. i x. de Simpl. med. fac.

Cum

Cum passi cyathis quatuor.] Vid. Io. Anton. Saracen. in Dioscor. Alexipharm. cap. II.

Exruta] id est, cum ruta. Oleum quoque amygdalorum dulcium cantharidum antidotum suo experimento tradit Ferdinandus Ponzettus de Venenis lib. II. cap. XXV.

Oleum irinum] Cuius descriptio apud Æt. Tetr. I. Serm. I.

C X C.

Buprestis] Nicandrum in Alexipharmacis, & Dioscoridem lib. VI. cap. III. expressit Scribonius. Animalculum hoc simile cantharidi, ut autor Æginetæ lib. VII. cap. III. ideoq; eadem forsan remedia postulat. Eius humores quidam occultos mortiferos supra omnia venena, quæ mari terraue nascuntur, scribit Philostratus de Vita Apollonii Tyanei lib. VI. cap. XIV. Hinc Petrus Ruellius in Nomencl. rei veterinariæ fortassis genus cantharidis opinatur. Plinius lib. XXX. cap. IV. narrat, animal ratum in Italia, simillimum scarabæo longipedi. Bubus in primis exitiosum testatur idem lib. XXII. cap. XXII. vel ipso nominis indicio, à quibus interdum cum herba deuorari notat Æt. Tetr. III. Serm. II. cap. XLV. quos inter herbas falsò, ut autor Plin. lib. XXX. cap. IV. Equis pariter noxium indicat Publ. Vegetius Art. Veter. lib. III. cap. LXXIIX. Huius etiam nominis occurrit olus apud Theophr. Histor. Plant. lib. VII. cap. IIX.

Totum corpus] Tensa uniuersi corporis cute, cum suppressione urinæ. Nicand. qui plura memorat signa diligenter consideranda.

Hydropici.] tympani more. Qua mente Fallopius de Tumoribus cap. III. à bupresti hydropem statuit.

Adiuvantur] quibus impacta est buprestis, ut Comp. CLXXXVII. aut qui biberunt eam, veluti Comp. CLXXXIX.

Aqua ficus] De qua Ant. Musa Brasauolus accurate in Hipp. de victu acut. lib. III. sect. XI. Item, ficus aridæ decocto ex vino, teste Dioscoride.

Passo plurimum &] plurimum & I. m. vel: plurimo, ut Compos. CLXXXV. & CLXXXIX. itemque CXCIII. id est, copiose, qualiter [illegible] Dioscorid. lib. IV. cap. LXXIV.

Iure suillo] Galenus de Antidot. lib. II. cap. VIII.

Nitri] rubri, contusi. Galen.

Cum aquæ hemina] Diosc. lib. V. cap. CXXXI. eodem modo ait succurrere, si buprestis momorderit.

C X C I.

Dorycnion] Solanum manicum seu furiosum quibusdam scribit Dioscor. lib. VI. cap. VI. attamen lib. IV. cap. LXXIV. & LXXV. hæc distincte proponit. Accidentibus igitur & curatione discrepant. Nec frigiditate somnum inducit, sed occulta proprietate, Plinius lib. XXI. cap. XXXI. refert innocentissimos autores simpliciter Dorycnion appellasse, quod cuspides in præliis tingerentur eo passim nascente.

Torminosis] Nicand: Alexipharm. & Diosc. lib. vi. cap. vi.

Deficiuntur.] Nicolaus Leonicenus, & Comp. clxxxix. deficiunt. Vtrumque tamen potest admitti. Petronius: *Lucernæ humore defectæ.* Minutius Felix: *Britannia sole deficitur.*

Conchiliis] conchyliis. Dioscorides etiam probat κογχύλια ὀπτὰ, *assa siue tosta.* Galenus tamen de Antid. lib. II. cap. VII. ius laudat, ex Asclepiade. Qua ratione Scribonius non male decocta flagitat. Ceteris Galenus passum addit.

C X C I I.

Ixia, quam quidam chamæleonta vocant,] Sic Plinius lib. xxii. cap. xiix: *chamæleonem aliqui Ixiam vocant.* Recte, *quidam*. Hæc enim vulgi opinio: siquidem Ἰξίας, Dioscoridi lib. vi. cap. xxi. ἐλεφάντιον, plane diuersa. Oribasio tamen med. coll. lib. xii. ubi prolixe describitur chamæleon albus est: qui monet ex Diosc. lib. III. cap. x. Ixiam, tracto nomine à visco, nonnullis appellatam, quoniam viscum alicubi ad eius radices inueniatur, quo mulieres loco mastiches utuntur. Pari modo Ἰξίνη Theophrasto hist. plant. lib. ix. cap. I. quæ ἰξὸν viscum seu mastichen mittit, G. Bauhino Pinac. lib. x. sect. vi. chamæleon, autoritate Aloysii Anguillaræ. Ixiam vero recentioribus putat Saracenus in Dioscor. lib. III. cap. x. & lib. vi. cap. xxi. At Petrus Bellonius in Lemno insula sibi visam fatetur Obseruat. lib. I. cap. xxxv. Vires eius eleganter prodit Nicand. in Alexiph.

Ocymi] Scribe, Ocimi. Nam Dioscoridi lib. II. cap. clxxi est Ὤκιμον, *Ocimum* Plin. lib. xx. cap. xii. & Apuleio de ver. herb. cap. cxix. Festus: *Ocimum Græcum.* Addit Paulus: *& celeritate nascendi est dictum.* Inde curiosiores quidam fortasse scribendum censuere *Ocymum.*

Adiuvantur] Quæ cordi sunt dicata heic in primis iuvant, quandoquidem Ixia innata quadam malignitate ipsi spiritibusque vitalibus nocet.

Rutæ] Sic Dioscorides lib vi. cap. xxi. Reliqui eius sectatores Græci iubent siluestrem dari: quam hortensi acriorem validioremque scribit ipse lib. III. cap. LII.

Chamælea] Chamelæa, veluti Comp. cxxxiii. ostendi.

Radix laseris] P. Vegetius art. veter. lib. III. cap. IV. ex Columella de re rust. lib. vi. cap. xvii: *Radix, quam Græci Silphion vocant, nostri autem Laserpitium.* Columella etiam lib. xii. cap. xvii: *Laseris radicis, quod σίλφιον Græci vocant, sescuncia.* Huius loco Gerardus Vossius Analog. lib. I. cap. xxvi. per apocopen laser admittit. Hæc autem discrepant. Siquidem Plin. lib. xix. cap. III: *Laserpitium, quod Græci Silphion vocant, in Cyrenaica prouincia repertum: cuius succum vocant laser.* Eum è silphio profluere indicat lib. xxii. cap. xxiii; è radice atque caule scatificatis colligi Dioscorides lib. III. cap. xciv. Nec aliter lib. vi. cap. xxvi. ad hoc ipsum malum proponit ἢ σιλφίου ῥίζαν, ἢ τὸν ὀπὸν σὺν ὀξυκράτῳ, *aut laserpitii radicem, aut laser cum posca.* Celsus etiam hanc sibi mentem euidenti laseris usu commonstrat lib. III. cap. xvi. lib. IV. cap. II. III. IV. XII. lib. vi. cap. xiv. Similiter Ætius Tetrab. I. Serm. I. ὀπὸς, λάσαρ, Κυρηναικός, &c. Vbi certo scribendum, Λάσαρ ὀπὸς κυρηναϊκὸς: tametsi

vero

veto propius fuerit, λάσαρ à Latinis acceptum, vel ab alio additum; cuius loco rectius forsan λάσερ. Iani Cornarii versio habet: *Opos, laser siue succus Cyrenaicus. Laser siue succus Cyrenaicus* &c. Codex autem Vaticanus MS glossema prodit, in quo legitur: Ὀπὸς Κυρηναϊκός. Dubia proinde Fl. Capri de Latinitate obseruatio: *Laserpitium, flos: laser, caulis*. Corrigendus etiam cum Columella Vegetius: *Radix laseris, quod Græci Silphion vocant, nostri autem laserpitium*. Ideoque Hadrianus Iunius ad suum librum mihi à Nicolao Heinsio mutuatum gratis rescripsit: *nostri autem laseris radicem appellant*. Laserpitium enim vniuersam stirpem denotat. Oribasius etiam bibliothecæ Vaticanæ MS Collect. lib. XII: Σίλφιον, ῥίζα γεννᾶται &c. Interpres, *Silphium, id est laserpitium, radix nascitur* &c. Liquidius certe quam Dioscorides: Σίλφιον γεννᾶται.

Tragoriganum] Ad Ixiæ venenum commendat etiam Dioscorides lib. III. cap. XXXV. Post Galenum de Simpl. med. fac. lib. IIX. Ægin. lib. VII. cap. III. Oribasius etiam de vir. simpl. lib. II. cap. I. Origano viribus similem tradunt, & præterea nonnihil adstringere. Origanum vero calefacit, siccat, tenuat, incidit: quamquam lib. XXIIX, cap. X. viscum etiam venenis adnumeretur. De ipso Plin. lib. XX. cap. XVII: *contra viscum potum efficacissimum*. Numquid; *contra ixiam potam efficacissimum?* Plinius enim Dioscoridem in plerisque sequitur.

CXCIII.


Ephemeron] Colchicum intellige, quod in Colchide prouenit; ad ephemeri non venenati discrimen, quod ἶρις ἀγρία Dioscoridi lib. IV. cap. LXXXV. Scribonius Dioscoridi lib. VI. cap. V. heic similis. Medeæ ignem vocat Nicander in Alexipharmacis. Vbi Scholiastes fabulose venenum ait Medeæ ingenio compositum ab ea colchici nomen habuisse: quod barbari Naphtham appellant, quo inuncti sole aduerso veluti flamma consumuntur. Diuersum omnino est à Pharico: quicquid alii censuerint.

Scylla] Scilla, veluti Comp. LXXVI. quod Comp. CLXXIV. indicaui. Huic vim acrem atque feruentem tribuit Diosc. lib. II. cap. CCII.

Per sellas, & iam] Melius forsitan: per sellas etiam a. e. d. Venuste. Quod κατὰ κοιλίαν Dioscoridi lib. VI. cap. V. Eas prisci subinde in sterquiliniis locabant. In balneis etiam, ne quid variæ commoditati deesset. Sic enim de Apono fonte Cassiodorus lib. II. var. XXXIX: *Iuxta caput fontis scintillosi quendam sibi meatum prouida natura formauit. Hinc desuper sella composita, quæ humanis necessitatibus in absidis speciem perforatur, ægros suscepit interno humore defluentes: ubi dum fessi nimio languore consederint, vaporis illius delectatione recreati, & lassa viscera reficiunt, & humores noxia infusione laxatos vitali ariditate constringunt*. Veram eius sellæ formam heic addimus, quā in ædes Eminentissimi Ioannis Francisci Comitis à Balneo Romæ de thermis translatam indicauit amicus noster Gabriel Naudæus. E candido est marmore eius magnitudinis, quam accurate adscripsi. Tales Romæ in Lateranensis basilicæ porticu è Numidico leucosticto vulgi fabulis infames, præter Stephanum Pighium in suo Hercule Prodicio, Fiorauantus Martinellus in libello curiosis Romam lustranti-

ſtrantibus perquam utili vere balneares, non pontificias, multis rationibus confecit. Quid multa? Similis etiam Veronæ viſa. Noſtri ſeculi medicis quibuſdam ſella perforata vaporarium dicitur; quod proprie laconicum ſignificat.





Polygonii] polygoni. Quod & Comp. LXXXIII. repoſui. Nam Dioſcorides lib. VI. cap. V. haber πολυγόνυ χυλὸν. Eſt & apud Gal. de Antid. lib. II. cap. VII. χυλὸς πολυγόνυ. Nicander flores commendat.

Pondo libræ, dato] pondo libræ dato c. a. Galenus vinum ſuadet.

Vitis capreoli,] Dioſcor. lib. VI. cap. V. ſuccum etiam virgulrorum probat.

C X C I V.

Toxicum] Compoſitum hoc fuiſſe venenum, credibile eſt. Proxima enim Compoſitione ſcribit autor: Pharicum & ipſum dicitur ex compluribus componi. Vires eius cum antidotis accurate perſequitur Dioſcorides lib. VI. cap. XX. cui Æginera, Ærius, & Actuarius quamſimillimi.

Exululare] etiam balare ac mugire. Nicand. in Alexiph.

Decollatorum capitibus: nihil] d. capitibus. Nihil c. p. i. Idem tradit Nicander. Ad quem Ioannes Lonicerus notat vulgari prouerbio dictum: *clamas ac ſi collum tibi diſſectum*. Hoc vero, ſi quando acciderit, inter prodigia referendum. Neque enim autores hi aliud affirmant, quam linguam palpitate, velut in iis nonnunquam accidit, qui capite plectuntur. Vere Nicolaus Patriarcha Conſtantinopolitanus in epiſtola ad Principem Saracenorum: *Truncatio capitis grauiſſima omnium etiam in ſcelere immani animaduerſio*. Nimirum, *ſumma ſupplicia ſunt crux, crematio, decollatio*, autore Iulio Paulo lib. V. Sent. receptar. Tit. XVII. §. ult.

Reiicere. Item a. a. c.] Scribe: reiicere; item a. a. c. ſ. ducta; poſtea p. l. e. a. M.

CXCV.

Pharicum] Quidnam hoc vere ſit, nemo hactenus expoſuit. Ignotum ſibi ſcribit Io. Baptiſta Codronchius Methodi teſtificandi cap. VII. Poſt Dioſcoridem lib. VI. cap. XIX quem ſolus inter Græcos expreſſit Ægin. lib. V. cap. III Pharicon Plinius nominat lib. XXIIX. cap. X. Quod ab inuentore Pharico Cretenſi venefico, Praxagoræ autoritate, appellatum tradit Scholiaſtes Nicandri, aliis Μηδικόν; à Pharo inſula ſuſpicatur Guilandinus Membro V. de Papyro; cum Scholiographo Salmaſius in Solinum ab urbe ſiue gente, ubi naſcebatur. Scribonius Compoſitum quidem indicat. Sed aliorum autoritate. Qua dubio procul Heſychius: φαρικὸν, φάρμακον σύνθετον θανάσιμον. At dubium, ex quibus. Ex aconito pardalianche, veratro albo, napello, &c. ſunt qui putent; ex radicibus hellebori albi Guilandinus. Dioſcorides tamen Proœmio lib. VI. herbis adnumerat. Ex quibus mirari ſubit Matthiolum in Dioſcor. lib. VI. cap. XIX. dubitaſſe, num ſimplex an compoſitum fuerit. Quicquid ſit, priſcis tam fuit notum, quam nobis eſt incognitum.

Saliunca] Dioſcor. lib. I. cap. VII: Ἡ δὲ Κελτικὴ νάρδος γεννᾶται μὲν ἐν τοῖς κατὰ Λιγυρίαν ἄλπεσιν ἔνθα χωρίως ὀνομασμένη Ἀλιουγγία. Saracenus vertit: *Celtica nardus naſcitur quidem in Liguriæ alpibus, vernaculo ſermone Gallica dicta.* Vbi reliqui interpretes Ἀλιουγγία, *Saliunca.* Quo modo Iacobus Goupylus opinatur legendum σαλιοῦγκα. In meis quidem var. lect. MS eſt ἀλιοῦγκα: ſed in veteri forſan erat σαλιοῦγκα.

Oluſatri] Plin. lib. XIX. cap. IIX: *Oluſatrum Hippoſelinum Græci vocant, alii Smyrneum.* Diuerſum tamen eſt à Smyrnio, niſi utrumque ad Hippoſelinum referatur. Quid ſi Plinius ſcripſerit *aliqui*, veluti Dioſcorides lib. III. cap. LXXIIX. οἱ δὲ? Plinius lib. XX. cap. XI. autor eſt aduerſari ſcorpionibus.

Ad omne medicamentum] id eſt, venenum, quod Scribonio etiam *medicamentum malum*: quamuis G. Barthius & hoc inter ea cenſeat, quæ parum Latina. Plinio tamen ſæpius receptum patet in Lexico.

CXCVI.

Tauri] recens iugulati. Dioſcor. lib. VI. cap. XXV. Galenus de Antid. lib. II. cap. VII. ſimpliciter autoritate Aſclepiadis, quem Scribonius Comp. LXXV. ſuum profitetur. Eum celerrime omnium conſpiſſari, ex Ariſtotele notauit Galenus cap. VII. lib. quod an. mor. corp. temp. ſequ. In quam procul dubio ſententiam Plinius lib. XXIIX. cap. XII: *Si ſanguis reiciatur, efficacem tradunt bubulum ſanguinem modice & cum aceto ſumtum. Nam de taurino credere, temerarium eſt.* Ad iumentorum quoque opiſthotonum P. Veget. lib. III. cap. (XLVII.) I. ſanguinem bubulinum calidum & fumantem, ſed moderate per cornu faucibus infuſum proponit. Sanguis autem ille non ex ſe, verum ex euentu, venenum videturr; etiamſi autor libri de Reſpirat. veneficum adfirmet. Propterea Cæl. Aurelianus vere Chron. lib. I. cap. IV: *Non enim ſanguinem tauri potum interficere, ut Themiſtoclem: lac coagulatum, vel caſeum coctum, aut ora-*

torem

turem & imaginem recte reprobauerunt, si quisquam humanum sanguinem facere minime crediderit, quo falso memorata à veteribus cetera videantur. Qui locus planior fiet, si legatur: *Non enim sanguinem tauri potum interficere, ut Themostoclem; l. c. v. c. c. ut oratorium & imaginem r. r.* &c. Galenus porro ad tauri sanguinem vomitum quidem conferre monet. Dioscorides tamen plane vetat. Galeni vero consilium periculo vacabit, attenuato ac dissoluto prius sanguine. Secus enim verendum, ne gelatus magis impingatur gulæ. Quod pariter de lacte coagulato censendum.

Potum] Nicander in Alexipharmacis recte addit: *si ex insipientia quispiam atrum tauri sanguinem gustarit.* Quis enim mentis compos hauserit crudum sanguinem?

Difficile] Quo nomine Rudius de Morb. Occult. lib. III. cap. VI. neutiquam venenis adnumerandum putat.

Cælauerit,] Sic omnes libri. Verius, celauerit.

Cum gelatur.] in corpore, iam haustus, atque intra viscera. Causam tradit Martinus Rulandus lib. I. Problem. Medico-physic. CCLIII. quod valde fibrosus non modo concrescit, sed reliquum etiam sanguinem coagulat. Huius rei exemplum habet Zacutus Lusitanus Prax. admirandæ lib. III. obs. LXXVII. Ægiræ tamen id sacerdoti obuenire negat Plin. lib. XXIIX. cap. IX.

Nitro] obol. II. Galen.

Laserisue] Obol. I. vel obol. S.

CXCVII.

Lac potum & gelatum] Clarius, quam Dioscorides lib. VI. cap. XXVI. ubi est: *qui coagulatum lac hauserunt*, id est, mulrum & aceruatim sumserunt, ut Ægineta Tetr. IV. Serm. I. cap. LXXV. Nam & lac postquam sumtum graui damno gelatur, maximeque infantibus. Quod vero prius concretum magis offendit copia, dum ventriculum grauat.

Cognoscetur: præfocantur] cognoscetur. Præfocantur &c.

Ab ea] ab eo. Nempe lacte poto.

Menta] mentha Henr. Steph. viridi. Nicand. in Alexiph.

Coagulo] Leporinum experimento Galeni de Simpl. med. fac. lib. X. præcipue laudatum ab Ægineta, qui post Diosc. lib. II. cap. LXXXV. addit: *Coagulum recenti lacti iniectum, ipsum cogit & spissat; id vero quod iam coactum est, ex natura sua dissoluit.*

Ex aqua] fontis. Galen. de Antid. lib. II. cap. VII. Lactis præterea in ventriculo coagulationem melle seu sale iniecto impediri monet Galenus Meth. med. lib. X. cap. XI. Eademque procul dubio de causa panis fermentati mica, si leuiter cum lacte bullierit, usum eius præstat securum.

CXCIIX.

Ad fungos.] Adde, venenatos. ex iis quæ sequuntur, & Compositionum Indice.

Fungis venenatis] id eſt, malis, interprete Iulio Martiano Rota. Galenus enim de Antid. lib. II. cap. VII. ſimpliciter nominat *μυκήτας* more Dioſcoridis. Optime tamen id additum, ad eorum diſcrimen qui edules; quanquam & hi parum tuti. Vide Plinius lib. XXII. cap. XXIII. merito cibum ancipitem ſtatuit. Quod liberè de omnibus profert Dioſcorides lib. IV. cap. LXXXIII. & lib. VI. cap. XXII. Celſus lib. V. cap. XXVII. inutiles vocat. Quales putat Gal. de Simpl. med. fac. lib. II. cap. VII. præcipue, qui mixtam habent natura qualitatem putridam. Imo fungorum odoratu epilepſiam mortemque concitatam cum Aponenſi de Venen. cap. XLII. aduertit Guainerius de Ven. cap. IX. Quod forſan ab adflatu venenati animalis. De quo Ægin. lib. V. cap. LIV. & Æt. Tetr. IV. Ser. I. cap. LXXIII.

Nauſeat,] Scribonius heic diligens præ Dioſcoride ceteriſque Græcis, qui notas præteriere.

Stomachum] ſtomachi, Vid Gal. de Sympt. cauſ. lib. I. cap. VII.

Cite] citò. Nic. Leonicenus, Probo: quamuis nec illud reiiciam. Eius enim generis Aduerbia promiſcue deſinunt, veluti apud Ciceronem, *tacite & tacito*; in Varrone de ling. Lat. lib. IV. *continue*, & lib. VI. *continuo*. *Falſo* Salluſtius, & Siſenna *Falſe*, apud Chariſium lib. II. Inſtitut. Grammatic. *Tute*, Colum. rei ruſt. lib. V. cap. X. *Tuto*, lib. IIX. cap. XI.

Radice ea, quam nos edimus, acri] Plin. lib. XX. cap. IV. de raphani ſatiui corticibus: *Salutares & contra fungorum aut hyoſcyami venena æque, ut Nicander tradit.* Hunc, ſi libet, conſule in Alexipharmacis. Cuius interpres Cramben perperam intelligit.

Per ſe] Qua ratione Galen. de Antid. lib. II. cap. VII. raphanum crudum ponit.

Manducata,] Dioſcorides lib. II. cap. CXXXVII. euidentius: *βοηθεῖ καὶ τοῖς ὑπὸ μυκήτων πνιγομένοις βεβρωσκόμενος ἢ πινόμενος*. *Auxiliatur his qui à fungis ſtrangulantur manſus vel potus.*

Ex vino.] Purum præcipit Galenus. Ruri quum grauiſſime languerent, quotquot è familia Henrici Ducis Rohaniæ Venetiis in Germaniam profecturi fungos etiam inſigni cura paratos guſtaſſent, ſubito illuſtris viri Benedicti Prioli nobis intimi conſilio Theriaca ex meraco in vitam reuocatos memini; pluribus idem quoque remedium, quo hæc ſcribuntur, autumno Patauii profuiſſe. Theriacam ſuo etiam experimento cum oxymelite ſimplici vel ſcillitico efficacem prodidit Dominicus Panarolus Pentecoſte III. obſ. XLV.

Ruta] Hæc etiam per ſe comeſta prodeſt, Galeno autore.

Lixiuia] Nic. Leonic. Lixiua, quemadmodum Comp. CCXVI. & CCXXIIX. itemque apud Plin. Valer. lib. III. cap. XIV. etiamſi *lexiua* corrupte ſcriptum. Hoc autem remedium Aſclepiadi tribuit Galenus de Antidot. lib. II. cap. VII.

Æris flos] In Dioſcoride lib. VI. cap. XXII. legitur *χάλκανθος*. Quod interpretibus recte quidem eſt *atramentum ſutorium*: qualiter & Æginetam lib. V. cap. LIV. vertit Ianus Cornarius. Mihi tamen probabilius, priſcis bibliothecæ Vaticanæ & Mediceæ libris ſuffragantibus, *χαλκάνθος* ſcripſiſſe Dioſcoridem, cui ubique ſimilis eſt autor noſter, ſcriptore forſan communi uſus, cuius hunc librum opinari licebit, quum Dioſcorides Licinium Baſſum nouerit,

quem

quem sua memoria interiisse memorat Plin. nat. histor. lib. XXVI. cap. I: nisi, quod vero similius, Præfatio posterioris cuiusdam à librariis parum considerantis addita fuerit Anazarbeo, cuius meminit Galenus de Antidotis lib. I. cap. II. velut & cap. XII. de materia medica quinq; librorum, quemque de Comp. med. per gen. lib. IV. cap. I. nulli eorum qui in ea quasi arena desudatunt secundum esse pronunciat. Hic autem sub Iulio Cæsare floruisse creditur, Claudio imperante Scribonius. Hunc itaque librum Sextum, quem, ipse totius operis postremum scribit, recepta consuetudine Dioscoridis putemus, donec melioribus quispiam rationibus aliter euicerit: utcunque censeat Guilandinus Membro IX. de Papyro. Quamuis enim lib. V. sit idem Præfationis initium, nulla tamen ratio est, cur illi quam huic magis propriam æstimemus, quandoquidem de Venenis se acturum aperte profitetur, nec isti postremus conuenit locus, nisi materiæ medicæ notitiam consideremus. Inde Iacobus Goupylus non sine causa asteriscum præfixit errorem suspicatus, cui forsan occasionem dedit libri iam dicti cap. XXXII. ubi χάλκανθον optime conuenit gargarizationi, sed potui neutiquam, ut prudens aduertit Æt. Tetr. IV. Serm. I. cap. LVI. Et sane Hieronymo Bagolino in sua versione placuit *flos æris*. Nimirum flos æris crassum humorem extrahit, autoritate Dioscoridis lib. V. cap. LXXXIX. At fungum, præterquam quod frigiditate ac humiditate ad vim enecantem proxime accedens ex Galeno de Simpl. med. fac. lib. VII, crassi una succi putetur cap. IV. de succorum bonitate & vitio, alimentum præbere pituitosum ac frigidum tradit ipse de Aliment. fac. lib. II. cap. LXIX. Si tamen, quod non improbatur, vomitum excitare conuenit, non diffiteor etiam vitriolum siue atramentum sutorium accipi posse, cui forsan Theophrasti Paracelsi Gillam non immerito prætulerim.

Mel cum aceto] Mel fungorum veneno aduersum testatus mihi Andrighetus Andrighetius, celebris non ita dudum Patauii professor medicus. Acetum vero cum sale potum calide & vomitione redditum efficax docet Dioscorides lib. V. cap. XXI. Nardum præterea ex oxymelite strangulationi resistere tradit Galenus de remed. par. facil. cap. XXVII. Alia vide apud Marcellum cap. XVI. Perpetuo quoque allii esu laborantes à se restitutos memorat idem lib. VII. de Simpl. med. fac.

Expressius] Numquid pressius, ut Compos. LXVI. LXX CCLIII? Columella lib. VI. cap. XXX. de cura equorum: *sæpe plus prodest pressa manu subegisse terga, quam si longissime cibos præbeas.*

CXCIX.

Irudinem] Hirudinem. Sic etiam Stephanus, Horat. de Arte Poetica: *Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.*

Sanguisugam vocant,] Sic Plin. lib. XXXII. cap. X: *Hirudines, quas sanguisugas vocant.* Clarius lib. IIX. cap. X: *Cruciatum in potu maximum sentiunt hausta hirudine, quam sanguisugam vulgo cœpisse appellari aduerto.*

Deuoratam] per imprudentiam, Nicand. in Alexipharm. cum aqua Diosc. lib. VI. cap. XXXII. cui Græcorum ceteri consentiunt. Ideoque consultissimum ob-

obseruare, si quæ in ipsa hirudines delitescant. Verum & naribus admotæ negligentius si elabuntur, non minori discrimine non solum in fauces, quin etiam in gulam feruntur. Paucis abhinc annis Patauii sedi applicitum ubi altius penetrasset animalculum, laborans moleste vexabatur: cui Benedictus Siluaticus Eques ingens patriæ suique ordinis decus inter frequentia medelarum miracula salsis clysteribus opportune subuenit. In pecudibus etiam olei contactu depelli confestimque necari tradunt Apsyrtus, Hierocles, Anatolius, rei veterinariæ magistri, quod eiusdem ordinis Pelagonius calidum vino mixtum præscribit.

Faucibus,] Imo circa os ventriculi quandoque hæret, veluti notauit Ætius Tetr. IV. Serm. I. cap. LVI. Cardialgiam ex eo subortam Herculis Saxoniæ viri grauissimi consilio propinata aqua salsa confestim desiisse memorauit in suggestu Ioannes Preuotius. Adeo verissimum Largi illud: *Simplicia interdum efficaciora sunt, quam ex pluribus composita medicamenta*. Aqua etiam frigida, cuius est auida, ore detenta è ventriculo elici tradit Iacobus Pons de Remed. promt. ad subit. affect. Pag. CXL.

Aceto quamplurimo epoto per se,] etiam asperso, dum hirudo admouetur. Eius namque beneficio non tantum excidit, sed enecatur.

Vel cum sale,] quod isti animalculorum generi aduersum.

Niuis] Diosc. lib. VI. cap. XXXII. χιὼν σὺν ὀξυκράτῳ, *epota niuis glebula cum posca*, interprete Io. Ant. Saraceno; qui monet hæc in veteri codice non legi. Nec in editione Græca Iacobi Goupyli exstant, etiamsi in Latina versione sit, *pota niuis glebula cum posca*. In Ætio sane Tetr. IV. Serm. I. cap. LVI. est *nix aceto dissoluta & adsidue absorpta*: in Ægineta lib. V. cap. XXXVI. *cum posca pota*. Actuarius tamen Dioscoridem æque imitatus ac reliqui Meth. med. lib. V. cap. XII. ista omisit. Quicquid sit, probabile hoc est remedium, quoniam Dioscoridis monitu, demisso in aquæ calidæ folium ægro, frigida ore contenta hirudines adlicit. Nicander etiam in Alexipharmacis addit niualis aquæ potum, glaciem, salsuginosam terræ glebam aratro proscissam, vel aquam marinam. Dioscoridi nihilominus in iis habetur noua glacies, quæ parum quidem videtur nocere, interim vitam in discrimen agunt. Quod effatum non caret suspicione, siquidem in Græco nulla glaciei mentio. Quid vero impedit, quo minus & illa niuis more usu perur. De quo Gal. de Antid. lib. II. cap. VII: *Qui niuem dabant, eam calefaciebant, & dissoluta utebantur, cibumque & potum ad subducendam aluum opportune adhibebant, ut hirudinem eiicerent*. Promta iumentis auxilia Pelagonio veterinario similis præscribit Columella rei rust. lib. VI. cap. XIIX. quæ in usus humanos conuertere non difficile fuerit, Hirudini fumum ex stercore bouillo sicco & castoreo aduersum probauit Zacutus Lusitanus, veluti refert Prax. admir. lib. III. Obseru. LX. Veribus etiam infesta heic valere putat Iacob. Pons de Remed. promt. ad sub. affect.

Medicamentorum malorum] Hæc & quæ sequuntur Compos. CC. verius transferenda ad initium Comp. CLXIII. ut Comp. CC. principium sit: Implicitas Medicinæ partes &c.

Figurarum notitia] id est, specierum seu formarum. Annon & olim medici, velut chymici hodie, notis quibusdam occulus medicamenta indicabant?

Quidni

Quidni ſecreta forſan ipſis, ne aliis quam medicorum filiis paterent: quandoquidem & humani corporis partes, aliaque ſimili ratione in vetuſtioribus Hippocratis libris extitiſſe plane conſtat ex Gal. Comm. II. in III. Epid. Ægt. VII. Quarum poſt Caſaubonum in lib. I. Strabonis meminit Salmaſius ad Solinum. Characteres autem fuiſſe magicos vix crediderim, ſed figuras cuique veneno peculiares, quibus diſcernebantur ab aliis medicamentis, ne incuria ſaluti officeret. Quod amico mea ætate Patauii accidit, qui Mercurii, ut vocant, dulcis portione incaute permutata cum cremore tartari, omnibus ſine effectu tentatis intra paucas horas exſpirauit. Triſte fatum ſine dubio declinaſſet, ſi pyxides habuiſſet ſignatas.

Scientia: hanc] Scientia. Hanc p. m.

Nec quærere, nec noſſe debet,] peruerſum ad uſum: nempe, hominis necandi cauſa, ut monet Iul. Paulus lib. v. Sentent. recept. Tit. XXIII. Secus enim eius rei-notitia religioſe nimis prohibetur, ſine qua remedium ſatis efficax malo adinuenire non licuerit. Prudenter in hanc ſententiam amicus noſter Franciſcus Pona Eques, Romanæ & Hetruſcæ Muſæ delicium, ſuo idiomate de Venenis cap. III. diſſetit.

Profeſſionis] Legendum puto, profeſſionem egredi. Quo modo apud Velleium Paterculum: *Egreſſus fortunam hominis Pompeius*. Ab hac Scribonii mente Plinius lib. xxv. cap. III: *A Græcis & noxias herbas demonſtratas mi- ror equidem, nec venenorum tantum*. Clarius forſan: *noxias herbas* &c. *nec venena tantum*. Vel, quod ſcriptum fuiſſe vero ſimilius, *noxias herbarum* d. m. c. n. venenum t.

Præcipere poſſit: hoc] p. poſſit. Hoc e. p. e. M. Quod Galen. de Antidot. lib. II. cap. VII. pariter de venenis admittit ſimplicibus, non de compoſitis. Qua ratione de Purgant. facult. cap. IV. ſine dubio conſulit venena ſilentio involvere.

Illud] Ponderis ſcientia.

Exſecratiſſimi] Religioſe Galenus de Ant. lib. II. cap. VII: *Eorum compoſitionem docere, improbi mihi hominis videtur*.

Pharmacopolæ] Circumforanei, ex mente Ciceronis in Orat. pro Cluent. & in alia pro Cæcilio apud A. Gell. lib. I. cap. XV. à quo non diſſentit Horatius Sermonum lib. I. Sat. II.

Contrario] è contrario. niſi legendum contrarie: vel, quod Giſanius in Obſeruationibus linguæ Latinæ reponit, contrario, apud Ciceronem de Vniuerſ. ubi *contrarios diſſidentes* hactenus receptum. Gerardus Voſſius tamen de Vitiis Sermonis lib. IV. cap. XXXI. *contrario* non admittit. Senecæ vero Plinioq; illud uſitatius.

Animaduertitur: nulla] animaduertitur. Nulla e. e.

Sua ſpecie] G. Scioppius legendum putabat ſub ſpecie.

C C.

Accepta] accepti.

Album Ius] Quod ex copioſa aqua, cum oleo, anetho, exiguo porro modicoque ſale paratum docet Galen. de Comp. med. ſec. loca lib. II. cap. I. item-

que

que de Alim. fac. lib. III. cap. XXX. Eiusmodi ferme ius piscium apud Diosc. lib. III. cap. XXXV. quod alvum subducit. Celsus quoque lib. III. cap. XVI. præcipit iure pulli gallinacei ventrem soluere.

Chamæleam non cessantem] Scribe, Chamelæam; non cessate. cui similem Comp. CXXXIII. errorem sustuli.

Implicitas Medicinæ partes] Erudite Celsus Procemio lib. V: *Illud ante omnia scire conuenit, quod omnes medicinæ partes ita innexæ sunt, ut ex toto separari non possint, sed ex eo nomen trahant, a quo plurimum petunt.*

Sine Chirurgia] Ita omnes quidem libri. Sed legendum videtur, sine Pharmacia. Hæc enim, ut scribit autor, medicamentorum utilium usum habet: quem Epistola ad Iul. Callistum tantopere adserit. Neque è tribus medicinæ partibus, operis initio distincte recensitis, præter hanc quidquam reliquum, postquam Chirurgiam & Diæteticam Largus heic nominasset. Imo, ut planiora sint omnia, si libuerit, ita meo periculo scribere licebit: Ex eo intelligitur, quod neque Chirurgia sine Diætetica, neque hæc sine ea parte q. m. u. u. h. p. p: sed a. a. a. a. e. q. consummantur. Si tamen huius porro compositionis clausula diligenter expendatur, verba ista hoc forsan modo rectius digerentur: Ex eo intelligitur, quod neque Diætetica, neque Chirurgia, sine ea parte, quæ medicamentorum utilium usum habet, perfici possunt: &c. Nec sane pervulgatæ hactenus lectioni autoritatem præstruxerit antiquissimorum Chirurgorum consuetudo, quos Homerus Chironis exemplo herbarum succis vulnera sanasse memorat. Nam & hunc sectiones adhibuisse notat Pindarus Pyth. Od. III. Neque ingeniotum fons ille Ιλ. Λ. τὸ ἰατάμνειν omisit. Quin etiam Scribonius ipse genus mortalium ferri usum magna necessitate speque ipsius salutis fatetur admisisse, iamque nihil cedentibus aduersæ valetudinis difficultatibus ad sectionem vel ustionem deuenisse. Celsus etiam lib. IIX. cap. IV. ait: *In omni fisso fractoue osse protinus antiquiores medici ad ferramenta veniebant, quibus id exciderent.* Quod vero Introductionis autor cap. XIV. Pharmaciam tradit duplicem: unam, quæ interiores morbos curat, potissimum victus ratione; alteram, quæ exteriores, citra quam nihil manu peragitur: ampliori vocis potestate Pharmaciam intelligi planum est, aptarique Chirurgiæ, qua ei remediorum apparatum suppeditat. Celso enim teste lib. VII. Procemio ea quæ manu curat non quidem medicamenta atque victus rationem omittit. Alia enim, ut monet idem lib. V. cap. XXVI. sunt noxæ genera, in quibus plus medicamenta; alia in quibus plus manus perficit. Medicina itaq; ipsi lib. VII. cap. VI. quamcunq; curationem connotat, etiam Chirurgicam libri nominati cap. XVI. XXVI. & XXIX. quemadmodum & lib. V. cap. XXVI; unde B. Ennodio Orat. XV. *Ferri medicina:* imo & eam, quam morbus præstat; ideoq; Celsus lib. V. cap. XXIII: *medicamentum sacri ignis est uno die Febris:* itemque res quaslibet, unde valetudini quidpiam opis exspectari poterit. Qua notione idem lib. II. cap. X. de sanguinis detractione haec vocem usurpavit. Sic lib. V. cap. XXVII: *Optimum medicamentum quies est.* Pub. Veget. Art. Veterinar. lib. III. cap. I I: *De experimento medicina est, caudam iuxta clunes resticula vel lino vehementer adstringi.* Huic autem ipsi lib. II. cap. XIII. *Chirurgia appellatur, quando secatur ferro, vel cauteriis uritur.* Fomento & fricationi etiam Columella lib. VI.

cap.

cap. xxx. medicinæ nomen tribuit, qua remedium designat. Eodem namque loco ait: *Præsens medicina est, aluo inserere manum*.

Diætæticos] Sola Cratandri editio typographi negligentia. Reliquæ *diætetiços*.

C C I.

Emplastrum] Scribe: Emplastrum chirurgi Tryphonis subuiride, quod facit, c. v. 1. a. e, u. o. l, v. f, p. c; x. i. a. G. d.

Actum] factum.

Κεφαλικὴ] Κεφαλικόν. Celsus lib. v. cap. xix. de Emplastris: *Sunt quædam, quæ quia capitibus fractis maxime conueniunt* Κεφαλικὰ *à Græcis nominantur*. Ita H. Steph. & R. Constant. editio. Κεφαλικὴ tamen compositio non inconcinne intelligi poterit, quæ prolixior apud Galenum de Comp. med. per gen. lib. v. cap. xiv.

Squama æris Cyprii] Cypriis officinatum clauis excussa laudatur à Diosc. lib. v. cap. lxxxix. cui vis adstringendi, attenuandi, & erodendi. Nomas ea cohibet, ulcera ad cicatricem perducit, estque lenissima ex adurentibus autoritate Celsi lib. v. cap. xxix.

Pituinæ] Ita P. Veget. art. Veterin. lib. iv. cap. xxvii. *Pityinæ*, Marcello cap. xxxi. rectius quam H. Stephano, qui ubique Ruellium sequutus præterquam Comp. ccxxii. habet *pyteinæ*, cui consentit Plin. Valer. lib. ii. cap. xix. & xlv. lib. iii. cap. xiv. xv. Nam πίτυς Theophrasto Histor. Plant. lib. iii. cap. x. *Pinus* & *Picea*, & πιτυΐνη *Pinea*. Hinc Dioscoridi lib. i. cap. xciii. ῥητίνη πιτυΐνη, Io. Ant. Saraceno *é pinu*, itemque Galeno de Comp. med. per gen. lib. ii. cap. x. & lib. v. cap. xiv. quæ in Lexico Hippoct. πιτυΐς, pro quo in vulgatis πιτυΐδι, *Resina picea*: tametsi Hofmannus de. Med. Offic. lib. ii. cap. cxxv. obseruet Galenum τῆς πιτυΐνης non meminisse. Verum Dioscoridi à picea differt. Proinde Celsus lib. vii. cap. xix. bene resinam pineam vocauit. Quid si ab insula Pityusa? Nam Dioscor. lib. i. cap. xcii. autor est resinas pineas præstantiores ex hoc loco secundum Hispaniam deferri. Hoc itaque modo emendandus Plin. Valeriani locus lib. i. cap. v. ubi legitur, *resinæ pictuinæ*, P. Veget. pariter: etsi promiscuum *u* & *y* apud veteres usum eruditi non improbent.

Ex picea] Sic etiam Oribasius de morb. cur. lib. iii. cap. xiix.

Pond. X. S.] S redundat, veluti Comp. ccxxiii.

Intritum] Dubito sitne scribendum *intuitu*. Acetum quippe consumitur, dum reliqua terendo immittuntur, nec vere ipsum interitur; quanquam Columellæ fex intrita lib. xii. cap. xl. Sed ea vini spissior. Receptam nihilominus dictionem non insueta bonis autoribus hypallage ultro excusabit; quamuis ad liberti genium iusto forsan liberior.

Dum calet, & permiscebuntur.] dele &.

Atque ita dum d. f. e.] Atque ita, d. d. feruore.

Rotundas] Hæc lectio Turnebo adeo placet, ut Aduers. lib. xvii. cap. vii. literarum transpositionem suspicatus *Turundam* Catonis cap. clvii. de re rust. in *Rotundam* immutet, fretus tamen autoritate veterum librorum. Qualiter

Apuleius medicus edit. Parif. cap. I: *rotundam facito*. Salmafio autem libens fubfcribo, qui *Torundas* maluit in Solinum. Ait enim Cato de re ruft. cap. LXXXIX: *Turundas faciat*. & cap. XC. *facere turundas*, id eft, offas, quibus volatilia farciuntur. Idem de liber. educ. apud Non. Marcellum: *Alii adferunt libum ac turundam*. Apul. de vir. herb. cap. XIV: *facies turundulam*.

Quas magdalidas dicunt,] Turnebus recte legit *μαγδαλιάς*. Etenim *μαγδαλιά*, medicorum vulgo *Magdaleo*, emplaftrum eft oblongæ formæ cylindri modo. cuiufmodi ab unguentariis hodieque fingitur. Veterinariis etiam paftilli magnitudine, & figura oui. Huius forfan generis apud P. Veget. art. veterin. lib. I. cap. LXII. *collyria ad oui magnitudinem*. Plin. Valer. lib. I. cap. VI. & lib. II cap. XXXVII. vocat *Mandalia*; quæ lib. II. cap. XXX. interpretatur collyria bona; Gerardus Voffius de Vitiis Sermonis lib. II. cap. XII. minutas portiones: Barthio Adu. lib. I. cap. XIV. vox quidem fufpecta, fed quam nomen traxiffe putat à mandendo, ut fint fruftilla peculiari fpecie decifa. Coniecturæ affine prouerbium eft: *canis viuens e magdalia*. Finito enim conuiuio adeps furfure deterfus canibus obiiciebatur, antiqua confuetudine: quam vetus Ariftophanis interpres tetigit. Maffa vero ifta offæ fpecie procul dubio formabatur: quæ Latinis buccea, Ψωμὸς Græcis.

CCII.

Megetis] Meges Chirurgus antiquiffimus, cuius meminit Celfus lib. V. cap. XXIIX. & Procem. lib. VII. item Plin. lib. XXXII. cap. VII. Galen. de Comp. med. fec. loc. lib. III. cap. III. qui Meth. med. lib. VI. cap. VI. Sidonium appellat.

Facit, componitur fimiliter, accipit hæc:] facit. Componitur fimiliter. Accipit hæc: &c.

Cum caniculæ] Sic Galen. de Comp. med. fec. gen. lib. II. cap. XIX. Procul dubio, ut fermentefcat medicamentum. *Huius enim fideris effectus ampliffimi in terra fentiuntur. Feruent maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, mouentur ftagna*; inquit Plin. lib. II. cap. XL.

Pituinæ] Scribe, ut Comp. fuperiori.

In quibufdam] Caufam indicat autor in Proloquio, & libri epilogo.

Superius] Comp. CCI.

CCIII.

Coloris boni εὔχροον] coloris boni, εὔχροον i. e. a. Tryphoni adfcribit Galenus de Comp. medic. fec. loca, lib. V. cap. VII. qui habet: *ἀμμωνιακοῦ* Γο. β. *μάννης* Γο β Similiter, qui ex ipfo pleraq; Ætius Tetr. II. Serm. IV. cap. XVI. *ἁλὸς ἀμμωνιακοῦ, μάννης ἀνὰ* Γο. β. Ianus Cornarius utrobique vertit; *mannæ fextantem*. Rectius procul dubio; *mannæ thuris*, ut Scribonius Comp. LXXXI. qui fubinde pro eo pollinis meminit. Μάννα enim Galeno pro thure ufurpatur Meth. med. lib. V. cap. XV. quæ magis adftringit ob corticis fragmenta. Diofcorides lib. I.

lib. 1. cap. LXXXIV. clarius: Μάννα λιβάνυ, *Manna thuris*. Idemne Tryphon Galeno *antiquus*, qui *pater* Celso, eruditi cogitent.

Thuris pollinis] Diosc. lib. 1. cap. LXXXIV. pollinem & corticem thuris à manna clare discernit.

Ceræ pondo dua] H. Steph. ceræ pondo duo. Vide Lexicon.

Resinæ frictæ] Colophoniam fortassis, vel resinam pineam innuit. Verba enim Galeni sunt de Compos. med. per gen. lib. VII. cap. III. τὴν πευκίνην, ἢ φρυκτὴν ῥητίνην ὑπὸ ἀεὶ ἡ κολοφωνίαν ὀνομάζειν. *Pineam, & frictam resinam & colophoniam appellare consueuerunt*. Eaque omnium siccissima lib. dicti cap. 11. ad temperaturam inditur, διὰ τὴν σύστασιν ἐμβάλλεται, lib. IV. cap. IV.

C C I V.

Hulcera] Sic ubiuis. Communis tamen scriptio sine adspiratione mihi videtur gratior, ut ut Græcis ἕλκ⊗ fuerit.

Minus acre : æris] minus acre. Æris usti &c. Oleo nempe vis erodens satis temperatur.

C C V.

Spongiam nouam] Maxime, si œdema simul adest. Galen. de arte cur. lib. 11. cap. III. Sic in ulceribus spongiam densam, mollem, concisam, sicciorem, non humidiorem, alligare iubet Hippocrates lib. de Vlceribus.

Ex verbenis] Ex verbenis, murto, oleaque factis. H. Steph. Optime reliqui omissa interstinctione. Autor enim, quemadmodum & Compos. CXLII. spongiam innuit expressam ex verbenis. *Cuius generis sunt olea, cupressus, myrtus, lentiscus, tamaris, ligustrum, rosa, rubus, laurus, hedera, Punicum malum*, Celso lib. 11. cap. XXXIII. ubi legendum Cæsii emendatione *tamarix*, velut in codice Tolentinorum Venetiis; & lib. IIX. cap. X. *myrtus, hedera, aliæue similes verbenæ*. Qui lib. IV. cap. XV. XVI. & XXIX. verbenas ponit simpliciter.

Pituinæ] scribe ut superius.

Emplastra sunt.] Postrema vox superflua.

C C V I.

Emplastrum viride] Emplastrum viride, quod sui generis, meo iudicio, superat omnia. Vocatur Isis. Hoc Galenus de Comp. med. per gen. lib. 11. cap. XII. sacrum putat dictum, quia ex sacris Ægypti locis allatum. Isis vero Dea medicinæ, ac medicorum præses. Inde Iuuenal. Sat. XII. vers. XXIII.

—— *pictores qui nescit ab Iside pasci?*

Huic nempe Deæ vota exornabant eorum, qui à graui morbo conualuerant. Hermoni sacerdoti à quibusdam inscriptum refert Ætius Tetr. IV. Serm. III. cap. XII. & ad fracturas paratum Tetr. III. Serm. I. cap. XLV. cuius post Gal. de Comp. med. per gen. lib. IV. cap. XIII. & lib. V. cap. II. meminit Ægin. lib. VII. cap. XVII.

ἀριστολοχία στρογγύλη] Rotunda interpretibus Dioscoridis lib. III. cap. IV. Radix autem aristolochiæ feminæ acumine quodam rotundatur apud Nicand. in Ther. interprete Ioanne Lonicero.

Clematitis] Quasi sarmentosa. Dioscor. lib. III. cap. VI. notat eius radices priuatim ad unguentorum spissamenta conducere. Vbi Io. Ant. Saracenus monet, nihil differre à Cretica; de qua Scribonius Comp. LXXI.

Resinæ colophoniæ] Ex urbe nimirum Colophone olim aduehebatur, autore Dioscor. lib. I. cap. XCIII.

Vel dua] Ald. & St. vel duo.

Hæc enim galbano, r. c. e. o. f. i. liquefacta, miscentur &c.] Clariora sic erunt omnia. Hæc autem, galbano, r, c. e. o. f. i. liquefactis, miscentur mortario; præterea ceteris, exa. f. u.

Facit hoc emplastrum] Facit hoc emplastrum ad membranam tegentem cerebrum de industria à medicis detectam, cum terebratu exciditur quod lædit eam os, vel alioquin derectum. Vulneribus primi quidem medici manum admouerunt. Sed Galeni æuo hanc dimisisse consuetudinem patet Meth. med. lib. VI. cap. VI.

Rosa] id est, oleo rosaceo, ut pluribus in locis.

Impositum.] Galenus Romæ hoc nunquam tentare ausus. Quod tamen Eudemo cui suo persæpe successisse testatur Meth. med. lib. VI. cap. VI.

Frontibus] Numquid fronti, velut Comp. CCLIX. & Celsus lib. III. cap. XX. quamquam & illud poetis minime nouum.

Ceteras] Legendum videtur, Cetera, id est, ad cetera, per ellipsin Latinis consuetam. Nulla enim eruptionis ante mentio fuit.

Eiusdem partis] id est, narium.

Toto collo] Reponerem, toti: nisi veteribus Datiui loco Ablatiuum in usu fuisse traderet Non. Marcellus cap. de Numeris & Casibus. Quam locutionem G. Scioppius probat Suspect. lect. lib. IV. Ep. XII. è Pandectis: ubi *stercore* pro *stercori* obseruauit. Ita Celsus conuenientibus libris omnibus cum editis tum scriptis lib. IV. cap. XII: *cataplasmata toto ventri imponere.* Qualiter & Lucius Apuleius Metamorph. lib. XI: *Principi magno senatuique & equiti, totoque Romano populo, nauticis, nauibus, quæque sub imperio mundi nostratis reguntur renuntiat*, Itemque Celsus Proœm. lib. I. *Vno cibo assuetus:* & Apuleius lib. IIX. *uno potiundi studio postponens omnia:* Iacobi Zabarellæ Credatii Comitis amici nostri membranis utrobique consentientibus. Ista consuetudine Celsus etiam lib. VI: cap. VI. *Adiiciendumque eo multi paulum*: Et: *eodem accommodatum est*. In libris omnibus, etiam calamo scriptis, præterquam D. Antonii, ubi legitur *eidem*. Sic Terent. Andr. Sc. I. Act. *Quid facies illo, qui damnum dederit*: Zabarellæ vero membranæ ac postrema editio Lugdunensis: *Quid facies illi, qui dederit damnum aut malum?* Cic. in Verrem: *quid faciemus illo*. Quod Priscianus admittit.

Iungit. Si quis] iungit, si quis

Collectionis] Sen. Ep. LXIIX: *In pectore collectio & vomica est.* Plinius maior passim hac voce usus, itemque Cæl. Aurelian. Chron. lib. V. cap. X. cui æquiualet apud Hippocratem de Medico Σύστασις, Iani Cornarii & Io. Heurnii sententia.

Pro-

Prodeſt, iungit] prodeſt. Iungit o. p. d.

Fibulis arctatam] fibulis arctatam: præcipue c. i. p. &c. Ita P. Vegetius Renatus art. veterin. lib. I. cap. XXII: *Impoſita fibula venæ plagam adſtringes: in plaga vero pittacium imponas.* Sic enim legendum indicat ratio; non *fiſtula*, ut in libris hactenus editis Confer Veget. lib. II. cap. XV. & XXXI. Fibulæ vero primus meminit Celſus lib. V. cap. XXVI. & lib. VII. cap. IV. VI. VII. XIX. Chirurgicam intellige. quam ad eius mentem peculiari de Acia diſſertatione planam reddidi.

Sartum vulnus;] Vide Diſſertat. meæ cap. X.

γαςρορaφία.] Abdominis ſutura, Oribaſ. med. Coll. lib. XXIV. cap. XX. ventris ſutura lib. XXV. cap. XLIX. Galen. de muſc. diſſect. cap. XXVI. Abdominis ſeu ventris ſutura.

Ventri toto] pro toti, velut nuper dictum.

Ad luxarum omne & eiectum, & rep. a. b.] Ad luxatum omne, & eiectum & repoſitum, articulamentum bene facit.

Cancer] Reſcriberem audacter, cancrum: niſi Comp. CCXL. eſſet quoque neutro genere prolatum hoc nomen. Quem priſcorum hoc ſignificatu fuiſſe morem docet Priſcian. lib. I.

Imponendum eſt: purgat] imp. eſt. Purgat ſcilicet Atram bilem.

Punctus neruorum muſculorum,] Sic etiam Comp. CCXIIX. Rectius, quemadmodum Comp. CCIX, punctus neruorum & muſculorum. cui lectioni prælucet Index.

νύγματα] Inde Nygmaticum Andromachi apud Gal. de Comp. med. per gen. lib. VI. cap. X.

Omnia acopo] Magis placet ad *ἄνξησιν:* omni acopo m. f.

C C V I I.

Nigrum] Color fere talis fit ex pice atque reſina. Celſ. lib. V. cap. XIX.

Eius] Gliconis.

Barbara] Barbarum Celſ. lib. V. cap. XIX. Gal. de Comp. med. per gen. lib. II. cap. XXII. ait recentiorum pleroſque emplaſtra ex bitumine vocaſſe barbara.

Dicitur, facit] dicitur. Facit a. o. r. vulnus, & contuſum. Hoc p. i. g. u.

Picis Brutiæ] Hæc ſpiſſa eſt ſiue arida, maximeque pura, pinguis, ac odorata: calefacit, mollit, pus mouet, diſcutit, ulcera implet, ex Dioſc. lib. I. cap. XCIIX. Galenus de Comp. med. per gen. lib. VII. cap. III. ait glutinans quid habere. Plinio lib. XIV. cap. XX. laudata, De qua Paul. Leopard. emendat. lib. IV.

Et hæc autem] Hæc autem c. a. h. Nulla enim aceti prius mentio.

Refrigeratum manibus, & ſubactum] refrigeratum, & manibus ſubactum. Vid. Comp. CCIV.

Trientem: & mirum,] trientem. Et mirum quanto efficacius eſt. Sine dolore a. r. c. v. Niſi legendum, Et m. q. e. & ſine d. &c. Vid. Comp. CCIX.

C C I I X.

Trafeæ chirurgi] Tharſei chirurgi, Gal. de Compoſ. med. per gen. lib. iv. cap. x i i i, ubi emplaſtrum hoc Indum vocatur.

Neruorum muſculorum punctus] n. & m. p.

Idem & gladiatorum] Idem ad gl. e. o. h. p. v. m. f: ſ. v. e. ſ. iungit int. i. p.

Fiſtulas iungit: interius] Colon exteratur.

Bituminis Saguntini,] Lege omnino, Zacynthii, Galenus enim Scribonio heic perſimilis habet: πίσσης ξηρᾶς, ἀσφάλτου ὑγρᾶς Ζακυνθίας, ἑκάστου λίτρας β. Ioanne Andernaco interprete, *picis aridæ, bituminis liquidi Zacynthii, ſingulorum pondo libras duas*. Et ſane bitumen hoc liquidum aſſeuerat Plinius lib. xxxv. cap. xv. Cuius inter cetera commeminit Dioſcorides lib. I. cap. c. Quod nemo deprehendit in agro Saguntino, qui hodie *Moruiedro* appellatur. Librariis autem rerum naturalium parum peritis procliue fuit ad vocem non uſque diſſimilem deflectere.

Melanterias] Græca flexione. De qua in Lexico. Sulfurei coloris præſtat ceteris monente Oribaſ. Synopſ. lib. I I. cap. LVI. ex Dioſcor. lib v. cap. cxIIX. qui cauſtica vi præditam ſcribit. ex clauis confectam indicat Gal. de Compoſ. med. per gen. lib. v. cap. xIII. Sed ignotis accenſet Bernardus Cæſius de Mineralibus lib. I I. cap. IV. §. xvI. Cæſalpinus tamen de Met. lib. I. cap. xxv. tradit efflorefcentem haberi ſuper aceruos terræ, ex qua vitriolum extrahitur.

Calceolorum] Calceamenta fortaſſis intelligit humiliora: de quibus egi Comp. CLXI.

Denigrantur,] Si ea prius ferueat, monente Cæſalpino. Virorum autem calceos fuiſſe nigros, patet ex Horatio Sermon. lib. I. Sat. VI:

— *inſanus nigris impediit crus*

Pellibus.

Acetum] Hoc enim bitumini additum in glutinantibus laudat Gal. Meth. med. lib. v. cap. IIX.

C C I X.

Sine alligatura] Comp. ccxIV apertius: Hæret, ut faſcia non ſit opus. Plin. lib. xxxIV. cap. xIIX. uſum indicat: *Emplaſtra, quæ non alligantur, ſed illico ad cicatricem perducunt in teneris corporibus molliſſimiſq, partibus*. Horum exempla ex Democrate proponit Galenus de Comp. med. per gen. lib. vI. cap. xII. Hæcne Coi Senis mens lib. de Vlceribus, ubi eſt: φάρμακον μὴ ἐπιδεῖν? Quod Ianus Cornarius vertit ad verbum, *non deligare*; Anutius Foeſius magis ad Scribonii ſententiam, *ſine vinculo relinquendum*. Hic nempe medicamentum intellexit cum Hippocrate, velut ille vulnus. At nullo diſcrimine: quandoquidem vinculum non inicitur medicamento, niſi & vulnus una deligatur. Nec alia ratione intelligendus videtur Celſus lib. vII. cap. xIx: *Lmamenta ſuper non fulcienda, ſed leuiter tantum ponenda ſunt*. ubi meus liber ſcriptus non male, *imponenda*; cetera conſentientibus reliquis omnibus. Nam & hoc ipſo capite ait:

ait Linimentum eatenus imponendum est, ut foramen tegat. Linamentum vero fascia fulciri, norius est quam ut heic moneam.

Ammoniaci guttæ ✱ p. xxv.] Ruel. amm. guttæ ✱ p. viginti quatuor. Ceteri ut Cratandri editio.

Olei inferuescit] oleo infetueſcit ſ. a.

Cerati mollis] id eſt, liquidi: Celſo lib. IV. cap. XXIV.

Sine oleo] Hoc enim ſuſpectum in defluxionibus, etiamſi videtur initio iuvare, prudentrer aduertit Galenus de Arte cur. ad Glauc. lib. II. cap. I. Secus idem de Comp. med. per gen. lib. IV. cap. XIV. ad omnia ulcera vino & oleo cum lana utendum præcipit. Imo Hippocr. de Fract. Comm. II. Sect. XXXII. ad tumores laudat bene carptam lanam ſuccidam vino & oleo teſperſam. Quod recte prolatum oſtendit Galenus in commentariis. Sic autem legendum foret, e x vino ſiue oleo; vel, quod magis ad aliorum ſententiam, ex vino & oleo.

C C X.

Baſilicon] Appellatio hæc pluribus remediis ob ſingulatem procul dubio efficaciam communis. Ad oculos enim ſcabros nullum melius docet Cornel. Celſus lib. VI. cap. VI. quam Euelpidis collyrium, quod Baſilicon nominabat. Huius etiam cognominis Gal. de Comp. med. ſec. loc. lib. IV. cap. VII. collyrium habet; Malagma ſimiliter ad ſtomachum lib. IIX. cap. V.

Furunculos.] Δοθιῆνες Græcis appellantur. Fallopius de Tumoribus cap. IIX. notat Q. Sereno Papulam eſſe. Verum papula rectius acuta Furunculum deſignat: qui tuberculum acutum Celſo lib. V. cap. XXIIX.

Roſa] id eſt, oleo roſaceo.

Picis Brutiæ] Quæ pinguiſſima & reſinoſiſſima Plinio lib. XV. cap. VII. Petro Ruellio in rei veterinariæ Nomenclatura ſecundus liquor craſſior defluens à ligno igni circumdato, quæ rurſus in cortinas æneas coniecta ſpiſſatur & coagulatur.

Reſinæ] Terebinthinam volens intelligo cum G. Hofmanno de Med. Officin. lib. II. cap. CXXV.

Deinde emplaſtri habens temperamentum,] deinde, ubi emplaſtri habuerit temperamentum, d. c. Ita Comp. CCXII. & CCLXVI.

C C X I.

Τετραφάρμακον] Ab æquali rerum quatuor miſtura: quam nec autor ſiluit, cuius meminit Celſus lib. V. cap. XIX. Ianus Cornarius apud Ægin. lib. VII. cap. XVII. Regium tetrapharmacum vocat. Nam Baſilicon eſt Oribaſio lib. III. Synopſ. & lib. IV. de loc. aff. cap. CXXII. Alimentis quoque idem nomen inditum oſtendit Ælius Spartianus in Adriano: *Inter cibos unice amabat tetrapharmacum, quod erat de faſiano, ſumine, perna, & cruſtulo.* Idem tamen: *Aelius verius pentapharmacum, quo poſtea ſemper Adrianus eſt uſus ipſe dicitur repeteriſſe, hoc eſt ſumen, phaſianum, pernam, cruſtulatam, & aprugnam.*

Adipis taurini] Celſus lib. V. cap. XIX. *ſeu taurini. Si id non eſt, vitulini.* Adeps vero taurinus terreſtris eſt & acris, Galeno autore de Compoſ. med. per gen. lib. III. cap. V. Qua fortaſſis de cauſa nonnihil adſtringit Dioſcoridi lib. II. cap.

cap. XCIV. Sed vitulinus eo minus est calidus & siccus monitu Galeni de Simpl. med. facult.

CCXII.

Dionysi] Horat. Sermon. lib. I. Sat. VI:

Tune Syri Damæ, aut Dionysi filius, audes
Deiicere è saxo ciues, aut tradere Cadmo?

Hoc etiam modo Index. Legendum vel ut apud Celsum lib. VI. cap. VI. Dionysii à Dionysio Romanis noto; nisi Græcorum figuram sectari voluerit autor, quibus in recto est Διόνυσος, quando Bacchum significant, qua fortassis ratione Henrico Stephano de Abusu linguæ Græcæ cap. VI. *Dionysius*, non *Dionysius* placuit: à quo neque Vossius discedit De vitiis Sermonis cap. IX. Veteres tamen patrium casum in soluta quoque oratione tertia vocali simplici scripsisse, contra Prisciani sententiam Iosephus Castalio in Variis lectionibus demonstrauit. In literas etiam retulit iam diu Martianus Capella lib. III: *Consuetudo & autoritas veterum, ingeni, consili, imperi, per tres syllabas dicere maluit.* Sic Poetarum Princeps Georg. IV:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studiis florentem ignobilis oti.

Plura huius rei exempla protulit Antonius Augustinus Emendationum lib. III. cap. VII. Ad receptam lectionem facit Romæ in hortis Mattheiorum antiquus lapis.

HOC. APPARITORIVM
PERTINET. AD. MONIMENTVM
Q. AQVILI. DIONYSI
ET NONIAE. M. F
FAVSTINAE
IN. FRONTE. P. X. IN. AGRO. P. XVI

Quid vero Apparitorium vel silent Grammatici, vel parum dextre coniiciunt. Neque enim, ut notat vir eruditissimus Iosephus Laurentius, Italorum postremus magni Lipsii magisterio gloriosus, idem est quod *Apparitura* Suetonio in vita Orbilii, quæ munus indicat; quod & *Apparitio* Ciceroni ad familiar. lib. XIII. Ep. LIV: siquidem *apparere alicui* apud Cornelium Nepotem Eum. XIII. est alicuius seruitio esse, velut hunc mihi locum Gaspar Scioppius Patauii exposuit. Multo minus, ubi quæcunque res paratur, vel adiutorium, velut Glossographorum rhapsodus Papias exposuit, Glossarii Latino-Græci forsitan autoritate, in quo *Apparitorium* Ἐξαρτιστήριον· ἐξαρτίζω namque est *adorno*, seu *instruo*: sed, ut Gasp. Barth. Aduers. lib. XXXV. cap. XXII. ex Glossario MS ait, ubi morantur spatharii. Spatharius autem Cedreno autore ὁ σωματοφύλαξ *fuit, corporis custos est.* Verosimilius puto locum huic monumento adhæsisse, in

quo

quo appatitores consedebant, ut magistratui præsto essent. Quorum nomine præter lictores venisse alios indicat quoque in Orat. pro Cluentio Tullius, quando iis scribas accenset. Planius omnino ex Pisonis Annalibus Gellius lib. VI. cap. IX: *Flavius patre libertino natus scriptum faciebat, isque eo tempore Aedili Curuli apparebat, quo ædiles abrogantur*. Dionysii Medici Cels. lib. VI. cap. VI. meminit, Plinius item lib. XX. cap. III. & XXI. Quid autem vetat, quo minus artis ætisque potentem opinemur? De quo vetus monumentum;

D. M
M. IVNIO. DIONYSIO
MEDICO. DE. LVCILLIANIS
TITVLENA. IVSTA
CONIVGI. B. M. ET. SIBI
ET. SVIS. LIB. LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE
EORVM

Sallustii cuiusdam Dionysii quoque nomen occurrit apud Plinium lib. XXXII. cap. VII. Item Samii apud Gal. de Comp. med. per gen. lib. IV. cap. XIII.

Sextarios duos.] Nempe mensurales, qui communi peritorum sententia libras tres constituunt. Sextarius enim sexta pars est congii, qui capit olei libras nouem, ac proinde Sextarius valet sesquilibram. At pari pondere istæc præscribuntur Compos. CCXIV. olei tamen duplum satis conuenit obseruatione Galeni de Comp. med. per gen. lib. I. cap. V.

Et tepente medicamento, & cum desierit feruere.] & tepente medicamento, cum desierit feruere. Postrema tamen glossema sapiunt.

CCXIII.

Rutfum] Legendum puto Rufum, velut apud Celsum lib. V. cap. X. Quod præter Indicem comprobant quæ mox sequuntur.

Medicamentum] Malo emplastrum, velut Index, & ceteræ Compositiones.

Vtuntur, facit] utuntur. Facit a. c. m.

Olei veteris p. dua] Ruel. & Crat. duo Steph. Ald. II.

Galbani] galbani item d. i. m. p. e. r. r. a. b. t. & non feruenti, pondo sextans. Nisi medicamentum tertio reponendum, ne feruore nimio superfundatur. Quidquid fuerit, galbani mentio posteriori loco redundat.

C C X I V.

Vt fit] Nempe in arena certantibus. vel: cum, ut fit, ad d. p. p.
Facit, & strumas] facit; & strumas,
Leuia] id est, mediocria vulnera Comp. ccxi.
In balneo] Omnes. In balneo Steph.
Attica] Dioscorides quoque lib. ii. cap. ci. melli Attico primas defert.

P. Selibra,] Galen. de Compos. med. sec. gen. lib. vi. cap. xiv. *pondo* iix. En quomodo sibi mutuo prælucent autores. In Græco est, προπολίως λίτρας ἡ. δρυΐνης Το γ. Ex Scribonio legendum procul dubio: ἰξίας δρυΐνης. quæ de Simpl. med. facult. lib. ii. ὁ ἰξὸς ὁ ἐπιφυόμενος ταῖς δρυσίν. Dioscoridi etiam lib. iii. cap. ciii. ἰξός. Ἰξία Theophrasto lib. ii. de Caus plant. cap. xxiii. & Hist. lib. iii. cap. xvi. ubi Galenus etiam pro ingenti libertate omisit ista: *qualis est Attica*. Quæ aliunde accessisse quis iure suspicaretur, nisi mel Atticum plurimis in locis Largo esset commendatissimum. Veriorem autem Galeni mentem omnino persuadet mutua specierum proportio: quibus tantilla Scribonii vix sufficeret, maximeque ad discutiendam duritiem, quum emplastrum hoc Pergameno etiam sit διαφορητικόν.

Lecti] Mense Martio Druidas apud Gallos id fecisse notat Petrus Toletus in Append. ad Paulum Bagellardum de Morbis Puerorum.
Quadrans; hoc] quadrans. Hoc s. h. c.

C C X V.

Emplastrum Euelpisti] Emplastrum luteum Eu. ch. i. e. colore rufo dilutiore, monitu A. Gellii lib. ii. cap. xxvi. numquid *dilutiore*? Talem ultro fatebitur, qui calendulam inspexerit. De qua eleganter Poeta Bucolic. Ecl. ii:

Mollia luteola pingit vacinia caltha.

Huius coloris in amictu præstantiam indicat Plin. lib. xxi. cap. ii: *Luteï video honorem antiquissimum in nuptialibus flammeis totum feminis concessum*: Hinc Lucanus lib. ii. versu ccclx:

Non timidum nuptæ leuiter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Euelpisti vero comminiit Celsus Præfat. lib. vii.
Tenera corpora] Comp. ccxi.
ἐπουλώματα] Galen. de Comp. med. per gen. lib. i. cap. xvi.

C C X V I.

ἐπισπαστικόν] Ioan. Andernacus apud Gal. de Comp. med. per gen. lib. ii. cap. vi. *attrahens* interpretatur.
Nitri rubri] Quod ῥοδωπόν, rosei coloris, humores ex alto euocat, autoritate Dioscoridis lib. v. cap. cxxx.
Supradicta] supra dicta, sicut alias monui.

Sta-

CCXVII.

διαλῶν] δι' ἁλῶν Henr. Stephanus, quemadmodum Galenus de Comp. med. per gen. lib. II. cap. V. qui acrius quidem notat: summi tamen est usus ob tenuitatem, quam ad putificationem postulat Galen. de Simpl. med. facult. lib. V. cap. XII. *Ex salibus confectum* Cæl. Aurel. Chron. lib. III. cap. IV.

Sudores, idem] sudotes. Idem u. v. e. c. r.

Salis marini,] Quod ex aquis marinis sponte gignitur Plin. lib. XXXI. cap. VII.

Coeant,] Omnes, coeat Steph.

CCXIIX.

Triplex] triplum, nisi pondo intelligatur.

CCXIX.

Olei myrtei] è myrto nigra Plin. lib. XV. cap. VII. ubi ratio conficiendi oleum: cui prælūxit Dioscor. lib. I. cap. CLVI. dum ait: *Myrtus satiua nigra medicinæ utilior, quam candida.* Vis ei adstrictoria est.

CCXX.

In mammis mulierum] Comp. CII.

Aut κακοήθες] & κακοήθεις. Henricus Stephanus Κακοήθεις. Celsus hæc vitia lib. V. cap. XXIIX. accurate discernit.

Vetera] L. ulcera, ut Index Compositionum & verba proxima ostendunt.

Per se] à defluxione.

Botryitis] botryitidos, ut Comp. XXIV. Diosc. lib. V. cap. LXXXIV. Καδμεία βοτρυῖτις. *acinosa.* quæ factitia, tenuium partium indicio Galeni de Simpl. med. fac. lib. IIX. ac temperata lib. IX.

Molybdenæ] Ita pleriq; secuti Plinium lib. XXIIII. cap. VI. & lib. XXXIV. cap. XIIX. Scribi etiam poterit molibdenæ. Nam Dioscoridi lib. V. cap. C. Μολίβδαινα; ut ut Eustathio Μόλυβδος *plumbum.* Dioscoridis interpreti *Plumbago,* Plinio teste lib. XXXIV. cap. XIIX. *galena, plumbi & argenti vena communis.*

P. LXX.] Ruell. & Steph. p. Septuaginta,

Quæ sunt dura] Hæc & quæ sequuntur sic digerantur: Alterci albi, iridis, fertulæ campanæ &c. Quæ sunt dura, &c. Cum leuia f. f. Sertulæ vero nomine melilotus nobilitata, quoniam ex ea plerumque rexebantur corollæ, quemadmodum Comp. CCLIIX indicaui: quales Comp. CCLXXI præscribuntur. Ita Onomasticon Latinogræcum apud Bonauenturam Vulcanium: *Sertula,* μελίλωτος.

Coniiciatut in nouo fictili cacabo,] coniiciatur nouo f. c. Qualis modus Comp. LXXIII; vel, quod magis placet, in novum f. c. veluti Comp. LXXXII. & CCLXXXI.

CCXXXI.

Probo, protinus] probo. Protinus e. i. m.

Ouorum assorum vitellos] Efficacius erit oleum ouorum nostri seculi.

Argenteæ & tritæ,] Clarius; argenteæ etiam tritæ. Nec incredibile est primo scriptum fuisse compendio *et*, pro *etiam*.

CCXXII.

In lemmate: exasperationem.] Adde ex Indice, atque tumorem ani.

Lipara] Celsus lib. v. cap. xix: *Lenia quædam emplastra sunt, quas* Λιπαρὰς *fere Græci nominant*. Vbi R. Constantinus intelligit ἐμπλαστρὰς. Dioscor. lib. v. cap. c. ἀνεπιδήκτους, *minime mordentes* vocat. Marcellus cap. xxxi. dixit *medicamenta Lipara*. Sic Plin. lib. xxxiii. cap. vi. *medicamenta, quæ vocant Liparas*. Nomen vero duxerunt à pinguedine, quandoquidem Λίπα Hippocrati oleum. Inde Ianus Cornarius apud Gal. de Compos. med. sec. loca lib. i. cap. xix. τὴν λιπαρὰν exponit *pinguem compositionem*.

Curati] *eneruata curata* Marcell. cap. xxxi. ubi prior vox glossema est semilatinum. *Eneruare* quippe significat debilitare, non à fibris repurgare. Cels. lib. v. cap. xix: τεθεραπευμένα *Græci appellant, quæ curata vocamus, quum ex seuo puta omnes membranulæ diligenter exemtæ sunt, aut ex alio medicamento.* Apicius Cælius tamen lib. v. cap. iv. proponit *cerebella eneruata*. Sed hic sequioris æui scriptor.

Vini austeri veteris] Quod Horatio eleganter Carm. lib. ii. Od. xxvii. *Seuerum*.

Olei acerbi] Quod nisi ex alba olea fieri non debet Columellæ monitu lib. xi. cap. ii. Marcellus cap. xxxi. viride nominat.

Thus minutum & cretum:] id est, tritum, veluti Comp. lxx. Qua sententia Plin. lib. xxxiv. cap. xviii. de scoria plumbi: *lauatur hæc in mortariis minutim fracta*.

Cum oleamentis] Quidam hoc nomine suspicantur quamcumque Liparæ materiam significari. Mihi vero credibilius oleum rosaceum, & acetbum; quæ Scribonius paulo ante retulit.

CCXIII.

ῥάγαδας dicunt:] Marcellus cap. xxxi. *ῥαγάδας Græci dicunt*. H. St. ῥαγάδας.

Eadem & eiusdem] eadem ad eiusdem p. e.

Mysios] misyos. Cels. lib. vi. cap. vi. vii. & xiix.

Ceræ] Vnguentis hæc addita, ne penitus diffluerent. Brod. Miscell. lib. iv. cap. v.

Olei murtei Sextarios S. ii.] Dele S, & lege Sextarii ii, ut Comp. cclxvi. Marcellus habet, *olei myrtei P. i.* Sed ratio Scribonii magis exprimit compositionis artificium.

Li-

Liquefacto.] Sic omnes. Marcellus meo iudicio rectius *liquefacta.*

CCXXIV.

Siue cera :] L. fine cera . Marcellus optime, *sincerum*. Nihil enim elaterio cum cera.

Quod est succus c. f. comp. t. i. p. r.] q. e. f. c. f. c. in rationem pastilli redactus, de quo Diosc. lib. IV. cap. CLV. & Plin. lib. XX. cap. I.

CCXXV.

Facit bene, &] Facit & bene t. t.

Ceræ idem in vinum cocta igni,] ceræ idem, in unum coacta igni . Qua ratione Composi. CXI: Omnia in unum bene coacta . Et Marcellus cap. XXXI: *in unum hæc coquuntur*.

Quantum possunt gagatis lapidis t. r.] Marcellus paulo luculentius : *quantum oportet ; & adiiciuntur bis gag. lap. triti Denar.* IIII. Plinius lib. XXXVI. cap. XIX: *Gagates lapis nomen habet & loci & amnis Gagis Lyciæ*. Vbi legendum forsan *Gangis*, aut *Gagatis* ; quorum posterius & Hermolao Barbaro placuisse video . Quamuis enim antiqui fere codices habeant *Gagis*, monente eodem ; cui conformis Veneta editio anni MDXIX: scribendum etiam fortassis in Stephano Γάγας, ubi in vulgaris : Γάγαι πόλις Λυκίας . quamquam & in Συνεκδήμῳ Hieroclis neutro plurali Γάγα . Verba namque Dioscoridis lib. V. cap. CXLVI. hæc sunt: Καλεῖται δὲ ὁ τόπος καὶ ὁ ποταμὸς Γάγας . *Gages* apud Dioscoridem obseruauit Barbarus memorato Plinii loco . Eademq; voce usus in versione Dioscoridis Hieronymus Bagolinus: qui & mentem autoris clarius expressit, quam ceteri. Quod enim ii ἐστι ἐπιληπτικῶν ἔλεγχος reddidere cum Plinio *Sonticum morbum deprehendit* ; verius ille : *detegit epilepticos* . Planius forsan, *est epilepticorum indicium*. Oribasio etiam Collectan. lib. XIII adstipulante legendum : Γεννᾶται δὲ ἐν Λυκίᾳ, pro Κιλικίᾳ. Ioannes Antonius Saracenus proinde melius vertit : *In Lycia porro nascitur* ; quam Ioannes Ruellius : *in Cilicia nasci solet*. Nec Πλαγιοπόλεως merito suspicione vacat. Pro quo summæ vir doctrinæ Lucas Holstenius vicesimo & quod excedit, abhinc anno Παλαιοπόλεως rescribendum censuit. In quam pariter sententiam venit eruditissimis ad Solinum commentariis princeps criticorum Salmasius . Huic vis molliendi & discutiendi, autore ipso. Vnde Splenicis iure adnumeratur à Gal. de Comp. med. sec. loc. lib. IX. cap. II. qui lib. IX. de Simpl. med. facult. affirmat se talem in Lycia fluvium non reperisse. Æginetæ quoque sententia lib. VII. cap. III. multum siccat . Sanat & sedis affectiones quam leuissime tritus Ætii iudicio Tetr. I. Serm. II. cap. XXIV. Ideoque ab autore nostro vere additur. P. Vegetio Art. Veterin. lib. I. cap. XX. duplex est, mas & femina. Nicandro in Theriacis, ἐγγαγγις πέτρη. Scholiastes eius Dioscoridem sequutus ait bituminosum reddere odorem. Quod nec Galenus præteriit.

Iris] Diosc. lib. I. cap. I.

Cocta & posita veluti farina bordeacea profuit.] cocta ex posca v. f. h. p. Marcellus bene addit: *manibus subacta*.

Ini-

Initio] Comp. LXIII. cuius mentio Comp. CCXXXII. CCXXXV. CCXLIII.

CCXXVI.

✱ p. centum] Librarii mendum, qui per I unitatis characterem intelligens perperam L quinquagenarium, non potuit non centenarium præscribere. Quo modo in Celso Tolentinorum Venet. MS. lib. VI. cap. VI. in collyrio Theodoti pro nard. Ind. ✱ I. quidam reposuit p. XL. Ista vero moles vix linimento conueniens erat. Verior itaque Marcelli scriptura: *Den.* II. *Chalc. den.* I. *feculæ Den.* I. Ruellius tamen utrobique edidit: ✱ *P. quinquaginta.* Quem H. Stephanus etiam sequutus.

Fecula] vehementer urit, exedit, siccat, detergit, adstringit, & cicatricem inducit, ex Diosc. lib. V. cap. CXXXII. Celso lib. III. cap. XIX. Fex arida boni vini. Plin. lib. XXIII. cap. II. Vini fex, & lib. IV. cap. XXII. fex arida. Theod. Prisc. lib. I. cap. XXX. vini fex sicca.

Teritur aceto, c. o. e. v. a. a. d.] Teritur aceto: cum opus est, v. a. a. d.

CCXXVII.

Centaurii succo p. duum] Marcell. *denar.* II. Reponendum itaque in Scribonio: centaurii succo ✱ p. duum. Et sane Galenus de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. VII. sub Largi nomine habet *succi centaur. drach.* II.

Hæc herba] Videntur ex margine recepta.

Latine] Centaurium enim mere Græcum. Κενταύριον Dioscoridi lib. III. cap. VII. & IX. cuius inuentor Chiron Centaurus, ut auctor Apuleius de vir. herb. cap. XXXV.

Fel terræ] Hac potestate Germanis *Erdt galle*, Centaurium minus est: quod ita dictum notat Plin. lib. XXV. cap. VI. propter summam amaritudinem. Marcellus simpliciter *centaurium* exponit. Apuleius de vir. herbar. cap. XXXV: *centaurium maius, Itali fel terræ vocant.* Eidem quoque cap. XXVII. *Italicum*, quod Plinio lib. XXIV. cap. VI. *Latinum:* qui lib. XXVI. cap. X. eandem utriusque idiomatis rationem innuit: *Si Italiæ fuisset antiquitus, Latinum nomen inuenisset.* Apuleio Italos quoq; esse, qui nobis Latini, manifestum est cap. XXIIX. XXXIV. XXXV. LIV. LXVI. LXIX. XC. XCIIX. maximeque CIIX. & CXVII. Glossæ vetus: *Fel terræ*, Δρακόντιος βοτάνη. Inepte, ut huius generis pleraque. Quid enim præter amaritudinem habet Dracontio commune?

Est autem] Hæc sententia parenthesi circumcludatur.

Absinthii succi ✱ p. II.] Qua forsan adstringit. Galenus tamen de Comp. med. sec. loc. lib. IX. cap. VII. non habet.

Herbæ pedicularis] Qua voce usus Hieronymus Tragus part. II. cap. CXXXII. Marcell. *peduncularia.* Verius *pediculariæ*.

✱. pondo duum,] *Drach.* I. Galen.

Et interius] *&* deleatur.

Ad fel lam] Quam pertusam ostendi Comp. CXCIII.

Tota,] Marcellus addit, *hæmorrhoides.* Quod integra plane sententia exigebat.

Radi-

Radices earum carbasis ducunt,] Marcellus. *radices earum, quas bases dicunt*. Scribonii tamen verba nihil habent absurdi, modo sic legantur: radices earum carbasis ducendæ, specilli latitudine subinde hauriente medico cumulate medicamentum, & adstruente imprimenteque, donec combibatur. Totum e. i. eo est, &c. Nec enim hæc minus perspicua, quam verba Marcelli, ex quo ista emendanda monet ad nominatum pridem Galeni locum Ianus Cornarius. Cuius consilio si obtemperandum, non deerit grauissimi scriptoris Celsi autoritas, qui lib. VII. cap. XXX. hanc tradit Condylomatum curationem: *Si capitulum exiguum est, basimque tenuem habet, adstringendum lino paulum supra est, quam ubi cum ano committitur*. Hippocrates de rat. vict. in acut. lib. IV. Brasauolo sect. CXXXI. etiam squamæ æris specilla tria latitudine præcipit, hoc est, quantum tria specilla latitudine sua capiunt, vel specilli latitudo ter admittit. Ex hoc illustratur optime Celsus, qui lib. VII. cap. XXX. ait: *Tantummodo si quid increscit, squama æris coercendum est*. Verum & Marcellum non minus quam Scribonium hic ipse mox dilucidat: *si capitulum exiguum est, basimque tenuem habet, adstringendum lino paulum supra est, quam ubi cum ano committitur*.

Totum in ea est,] Leg. totum in eo est. Cicero ad Q. fratrem lib. III. Ep. I: *Totum in eo est, quod mihi erit curæ, tectorium ut concinnum sit*.

Disphrygis] Ita omnes. Lege, Diphrygis. Nam Dioscor. lib. V. cap. CXX. & Celso lib. V. cap. VII. Diphryges appellatur: ab eo, quod bis torreatur, inquit Plin. lib. XXXIV. cap. XIII. Dioscoridis & Oribasii iudicio forte rectius, quia solis sarmentorumque vi propemodum frigitur. De quo Galen. de Simpl. med. fac. lib. IX. qui laudat in ulceribus.

Soreos usti] Vid. Oribas. Coll. lib. XIII. cap. XV. Synops. lib. II. cap. LXI. Æt. Tetr. I. Serm. II. cap. LXIV.

Panem autopyron] *αὐτόπυρος* Galeno de Arte cur. ad Glauc. lib. II. cap. VII. aliis *συγκόμιστος*, quasi confusaneus. Triticum enim *αὐτόπυρον*, cui nihil est ademtum, & non discreto furfuraceo, ut aduertit Galen. Com. II. Aph. XXXII. in Hipp. de rat. Vict. in acutis *γυρεύτης* Hesychio. Panis differentias exquisite persequutus Io. Ant. Saracen. in Diosc. lib. II. cap. CVII.

Rosaceo oleo] Fortunatus Scacchus Elæochrysm. cap. XXV. opinatur oleum rosaceum, quod additis aromatibus componitur; Roseum, quod ex solis rosis ad solem. Verum subtilitati reclamat usus.

Senserint aquario,] Meræ tenebræ: nisi cum Marcello scripseris *quarto*: ubi verisimile est initio fuisse *ac quarto*. Sic ergo restituenda Scribonii verba: Oportet autem bis die panem imponere, nonnunquam in nocte, si circum tensionem senserint, ac quarto die auriscalpio auerso &c. tentare. seu, quod credibilius, à quarto die &c.

κυαθίσκον] Sic omnes recte: quamuis Marcellus habeat *κυάθισκον*.

Auriscalpio] *Μηλωτὶς* & *μηλωτρὶς*, specillum auris. De quo Martialis lib. XIV. Ep. XXIII:

Si tibi morosa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Confer quæ Compos. XXXIX. annotaui.

Mo-

Mouere abalienatam] Marcellus, *mouere eas*. Verum autoris dictio Celso congrua, velut in Lexico patet. Hæmorrhoidum quoque amputationem veteribus cognitam significat Cæl. Aurelianus Chron. lib. I. cap. II.

Excrescentem] Vlcere non bene repurgato prius quam carnem producere incipiat, quemadmodum recte monet de Vlceribus Hippocrates.

Sine magno morsu] Quod præcipue desideratur. Nam vitiosa pars maxime sentit, autoritate Celsi lib. I. cap. IX.

CCXXIIX.

Neuos] Ita quoque Henr. Stephanus. Vulgo, næuos. Qua voce maculam corporis intelligit Cicero I. de Nat. Deor. Salmasius autem quidquid in corpore eminet. Quod Scribonio magis accedit. In hunc proinde Tullii locum Aldus Manutius bene: *Verrucæ instar*. Quod vero addit: *in qua possunt crescere pili*: Medicis utique non est uniuersale.

Calcis viuæ p. sex.] Calcis viuæ ✱ p. sex.

Vitri usti] Melius forsan nitri usti, quemadmodum Compos. CCXXX. Huius enim, ut sic dicam, spiritu verruca sine labore deteritur, etiam in verendis. Nitrum quoque stigmatibus aptum tradit Actuar. Meth. med. lib. IV. cap. XV. quod ustum poscit Ætius Tetr. II. Serm. IV. cap. XII. Vitrum autem ustum post Antonium Guainerium de Calculosa passione. cap. IX. & Matth. de Grad. in IX. Ras. Par. II. cap. XIV. & ignitum ulceribus ægre cicatricem admittentibus siccando conferre tradit Galen. de Comp. med. per gen. lib. IV. cap. I. Cuius ustionem docet Theophr. Paracelsus lib. I. de Præparationibus Tract. III. cap. de Gemmis. & ex Auicenna Amatus Lusitanus Cent. VI. curat. XCIII. Nec ulla tamen heic ulcerum occurrit ratio.

Ex cinere lixiua, ex caprifico, vel sarmentis,] ex cinere lixiua ex caprifico, vel ex sarmentis.

Rubricæ,] Fabrilem fortassis innuit. quam ad omnia Sinopide inferiorem scribit Dioscorides lib. V. cap. CXII. Ea tamen colori inducendo sufficit.

Atramenti,] Sutorii, cuiusmodi χάλκανθον Dioscoridis lib. V. cap. CXIV. Quod coloris gratia in Theriacam assumtum à posteris merito eliminatur. Quod & Gulielmus Plantius ad Fernel. de meth. med. lib. VII. monuit. Emplastris autem sub medium coctura inditum liuidiorem iis colorem inducit, imo atrum, nisi alia ipsi obstiterint, ut autor Ægineta lib. VII. cap. XVII. & Ætius Tetr. IV. Serm. II. cap. XXV.

Colorare] Veteres quippe colorem unguentis conciliabant. Quo modo anchusa tingebatur oleum rosaceum Dioscoride autore lib. I. cap. LIII.

Puxide] Omnes. pyxide Steph.

Nigri plumbi] De ipsius origine Plin. lib. XXXIV. cap. XVI. Albi meminit Corn. Celsus lib. V. cap. XXVI. Vid. Brod. Misc. lib. II. cap. IX.

Melius] Melius autem recens facit. Cuius usus est talis; Quod destinatum &c. & cum satis peruenctum nigrum quasi visum fuerit. &c. Qualis etiam color exigitur Comp. CCXXX.

Causam fecerit] Vir doctus rescripsit, pausam fecerit. Ingeniosus alter reti-

nens Scribonii verba nouam heic opinatus fuit loquutionem, quasi causam facere sit experimentum statuere. Sed legendum credo, crustam fecerit. Qua voce usus autor Comp. xxv. ccxxxvii. & ccxl. Nec aliter sententia postulat, Nisi causæ nomine vitium vel affectionem significauerit, quemadmodum Plinius Valer. lib. 1. cap. x. lib. 11. cap. xxx. lib. 111. cap. xiii. lib. iv. cap. xxiv. Vegetius pariter Mulomed. lib. 1. cap. vii. lib. 11. cap. xxvii. lib. iv. cap. vii. & Macer cap. de Artemisia, de Abrotono, de Anetho, de Violis, itemq; de Malua: ubi tamen Iacobi Zabarellæ Comitis liber scriptus habet: *Vesicæq; solet variis succurrere morbis*. Pro quo in editis omnibus legitur: *succurrere causis*. Palladio etiam de re rust. lib. 1. Tit. iv. *Causatio* noxam denotat. Hunc autem scriptorem velut ceteros non raro interpolatum, argumento mihi lib. xiv. epigramma: quod posterioris videtur. At minoris hi omnes autoritatis, quam ut credam Scribonium à mea sententia alienum sic ineptiisse. Qui namque medicamentum faceret vitium, à quo strumæ sanescerent?

Adhibere, sanæ] adhibere. Sanæ e. i. f.

CCXXIX.

Viscum quam plurimum colligere] Vid. Comp. ccxiv.

Oportebit: eumque] oportebit, eumque c. c. i.

Cum cinere lixiui] lixiuio, seu lixiuo. Cineris enim lixiui mentio apud Plin. lib. xiv. cap. xx. & apud Valerianum de re. med. lib. 111. cap. xxxiix. Lixiui, natur. histor. lib. xv. cap. xvii. & lib. xxxvi. cap. xxvii. itemque in Pallad. de re rust. lib. 11. Tit. xvi. Cinis autem lixiuus Plinii lixiuium est liquidum Adriano Turnebo Aduers. lib. xvii. cap. xvi. quod excolatum putat Iacobus Dalechampius in Plin. lib. xiv. cap. xx; cinerem, de quo lixiuium confectum aut distillatum, interpretatur G. Barthius Aduers. lib. v. cap. xvii.

Quantum necesse erit aperire.] quam tum n. e. a.

Pectoris,] Zacutus Lusitanus Prax. admirandæ lib. 1. Obseru. cxiii. in Tabe asthmatica hoc auxilii genus impense commendat.

Cedebant: exulcerata] cedebant. Exulcerata e. m. p.

CCXXX.

Melior triphera,] Scribo. Melior Trypheta (hoc enim nomine superius positum medicamentum appellatur) facit ad omnia &c. Vel, assumto lemmate: Ad eadem vitia melior Tryphera. Hoc enim nomine superius positum medicamentum appellatur. Facit a. o. q. f. d. t. Quam lectionem Index comprobat.

Idem] scilicet medicamentum.

Productas m. q. f. p.] Compos. ccxxxvii. indicat legendum perductas, i. e. perunctas. Quod ccxvii. confirmat.

Peruncta ex parte qua tollenda est, amputat.] Vuam nimis iacentem per antiscalpium lana inuolutum perunctam ea parte, qua tollenda est, sine periculo amputat. Recte, lana inuoluta: ne acie offendat.

Aqua mulsea] Colum. lib. IIX. cap. VII. *mulsea recente aqua prædicti generis farinam conspergunt*. Est tamen *aqua mulsa* Compos. LXVI. & apud Celsum lib. III. cap. XI. XXIV. lib. IV. cap. IV. VI. VII. XVII. Plin. lib. XXII. cap. XXIV. Columellam lib. V. cap. X. & lib. IX. cap. XIII. itemque Pallad. de re rust. lib. VII. Tit. VII. Et sane mulsea verius dulcem denotat, quam cui mel permixtum. Quo modo apud Plin. lib. XXI. cap. XIX. *narcissi radix mulsei saporis*. Malo itaque cum Stephano mulsa, sicut autor ipse aliis in locis. Quod fortassis de Columella pariter habendum ;

Lentis, atque rosæ aridæ] Diosc. lib. II. cap. CXXIX.

Palpebram pilosam] Pilos palpebræ oculum irritantes indicat. quod vitium Τριχίασις Galeno de Comp. med. sec. loc. lib. IV. cap. IIX.

Tapsiæ] thapsiæ. Nam Dioscoridi lib. IV. cap. CLVII. Θαψία est, cuius vis exurens apud Galenum de Comp. med. sec. loc. lib. I. cap. II. Confer Æginetam lib. VII. cap. III.

Nitri] Vid. Comp. CCXXIIX.

Fellis taurini] Omnia fellis genera sunt acria. Dioscor. lib. II. cap. XCVI.

Culinarii] Ianus Cornarius in Gal. de Comp. med. sec. loca lib. I. cap. III. legendum putat figularii, sicut apud Marcellum cap. XIV. coactiliarii. Hos enim luti figulos interpretatur; Hadrianus Iunius veriore significatu, qui coactilia faciunt. Idem vero utrique autori scopus. Si quid tamen hoc loco mutandum, magis placet vox posterior iam diu receptæ prolatu quodammodo affinis. Coactilia nempe vestes sunt, quæ ex lana villisque coactis fiunt. Hinc Glossa vetus: *Coactiliarius, πιλοποιός, qui pileos ex coactis lanis conficit*: quamquam & πῖλοι indumenta, quæ compacta ex lana. Plin. lib. IIX. cap. XLIII: *Lanæ per se coactæ vestem faciunt*. Sic Romæ in veteri epitaphio apud Carpenses observatione Manutii, & è schedis Henrici Smetii: L. A R I S C V S L A N A R I V S C O A C T I L I A R I V S. Latina maiestate dignius forte monumentum, quod è candido marmore nonnihil detrito in ædicula primicerii ad S. Nazarium Brixiæ conspicitur.

DIS MANIBVS
L. CORNELI
IANVARI
VIXIT ANN. XVII
LANARI COATOR
ET
L. CORNELI PRIMION
PATRIS

In eo tamen erratum fabrile recte emendaueris, dum legis C O A C T O R; etiam Tullii autoritate: vel expressius L A N A R I C O A C T O R E S, ut

in

in alio lapide Romæ NEGOTIATORES FRVMENTARI, pro *Frumentarii*. Quid autem CORNEI? Veteres figura parum diuersa literas I & L finxisse notissimum est. In Monumentis certe Brixiensibus Iurisconsultus quondam politissimus, Octauius Rubeus edidit CORNELI. Glossa vetus à Bonauentura Vulcanio edita non sine labecula: Κοάμτωρ, *Coactor*. Vbi Octauius Ferrarius bene reposuit Κοάκτωρ. Seneca Epist. 111. submide recepit. Nec inconcinne Ianarius coactor, ut argentarius apud Scæuolam L. Sticho xl. §. ult. D. de statu lib. itemque in antiquissimo marmore horti Medicei Romæ.

T. STABERIO
SECVNDO. COACTORI
ARGENTARIO. VIATOR
CONSVLARIS. ET. PRAET
SIBI. ET
CLAVDIAE. STRATONICE
VXORI

Idem in alio monumento horti Mattheiorum *Exactor*.

HERCVLI. AVG.
SACR
FELIX. AVG. L. OPTIO. ET
EXACTOR. AVRI. ARG. AERIS
ITEM. SIGNAT. SVPPOSTORES
MALLIATORES. MONETAE. CAESARIS. N

Ex his in Glossa Isidori fine distinctione *coactores argentarii* scribendum constat. In hanc sententiam Asinius Pollio Ciceroni lib. x. Ep. xxxii. ad familiares: B*albus quæstor, magna numerata pecunia, magno pondere auri, maiore argenti coacto de publicis exactionibus, ne stipendio quidem militibus reddito, duxit se à Gadibus*. Signatores autem æs signabant. Suppositores metalla subiiciebant, non feriebant, quemadmodum affirmat Iacobus Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. III. cap. XIX. Malleatores enim argentum infectum feriunt, perpoliunt, & cudunt, ut idem autor. At enim fullonum lixiuum caustiscis celebratur; quibus etiam coactiliorum Marcellus adhibet. Dioscorides quoque lib. VI. cap. XXVI. ad coagulatum lac ψιλωθριστικὴν κονίαν *coactiliariorum lixiuiam* laudat. Quod enim Ioannes Ruellius posuit, *cum lato suo lixiuium*,

 de-

deceptus fuit communi Græcorum librorum mendo, in quibus legitur πηλοποιητικὴν, quoniam πηλὸς nobis lutum denotat: quamquam & coniecturæ fortassis meæ concedant notæ literarum in codice Vaticano, ubi scriptum est πιλοποιητικὴν. Idem Hieronymo Bagolino ne contingeret, maluit sine additamento *lixiuium* vertere. Simile quid in meliori Æginetæ libro vidit procul dubio Ianus Cornarius, qui lib. v. cap. LVI. vertit *lixiuium pileatorum*. Melius forsitan *pileariorum*, seu *coactiliariorum*. Quo modo vere interpretatur Ætium Tetr. II. Serm. IV. cap. XII. Nec ulla tamen nouitatis necessitas, dummodo nihil à Latiari consuetudine heic alienum: siquidem nulli dubium, cinere lixiua detergi culinæ utensilia. Roberto Stephano sane diligentissimo vox ista neutiquam sic visa fuit peregrina, ut Lexicon omnium optimo inde accessionem fieri non sit passus. Quid si eam intellexerimus, quæ spissior vim habet faciendi limum; qualis utique adurendi facultatem augebit? Hoc sane modo vulgata Dioscoridis lectio non fuerit omnino reiicienda. Qua ferme ratione Κονία Cælio Calcagnino apud Aristotelem de coloribus cap. IV. *Calx* est. Criticorum filii iudicent, sed in primis Asclepiadei.

Stagneam] stanneam, velut Compos. xxx. dissetui. Vas duplex indicat, de quo Comp. LXXIII.

Colorare] sicuti Comp. CCXXIIX.

Anatis sanguinis] Singularis hæc virtus.

Ligulæ] Vid. Comp. CXLIV.

CCXXXI.

Pessimam rei optimæ corruptionem pronunciant naturæ consulti. Idem heic auctori contigit. Cui licet viri longe clarissimi dubio euentu medelam tentarint: nihil tamen exiguus horum profectus retrebit alios, quo minus ei ingenium commodent.

Habita] Laurentius Pignorius ad oram sui libri notauerat, *habenda*. Verum Scribonius medicamenta exedentia iam memorauerat Comp. CLXXIV. & CCXXVII. Cuius etiam generis collyria cicatrices extenuantia Comp. XXVII. XXIII. XXXV. XXXVII.

Qua] Pignorius de Seruis pag. CCLXIII. legit *quo*. Nec male, si medicamentum attendamus. Istam nihilominus vocem usurpauit Celsus lib. v. cap. XXVI. pro *quatenus*, consentientibus libris omnibus, quos videre licuit, manu exaratis, in quibus est paulo ante *eatenus*: ut suo ingenio Robert. Constantinus adscripserit *quatenus*.

Stygmata] Sic omnes, etiam, quod miror, H. Stephanus. Scribo, Stigmata. στίγματα enim Polluci lib. IIX. cap. VII. ἀπὸ τοῦ στίζειν, à *pungendo*, sunt etiam Græcis notæ, quæ inuruntur. Vox usu Romana Plinio, Martiali, ceterisque probæ notæ scriptoribus. Recte stigmata. Quo etiam modo Hieronymus Aleander comment. in Fragmenta Institutionum Caii lib. I. cap. III. pro *vestigia* legendum suadet, veluti apud Sueton. Calig. XXVII. Quam etiam appellationem Codex Theodosianus retinuit. Plures namque fuisse eiusmodi notas ex Val. Maximo lib. VI. cap. IIX. satis constat. Quod nec dissimulauit Scribonius,

rius, qui litteras confusas nominat; quæ Senecæ de tranquill. an. cap. 11. *scriniles*. Hinc Serui Plutarcho in Pericle vete πολυγράμματοι. Stigmata vero seruis à fuga retractis inurebantur; eorumq; sulcis, quo conspectiores fierent, atramentum præterea instillatum indicat Arbiter. Inde Quintilianus Instit. Orator. lib. VII. cap. IV: *Si quis fugitiuo stigmata scripserit*: quæ Petronius iu te *fugitiuorum epigramma & argumentum* vocat. Delinquentibus etiam imprimebantur ad ignominiam: qui plurimarum adhuc gentium mos perdurat. Sic Iuvenalis Sat. XIV. versu XXI.

tortore vocato

Vritur ardenti duo propter lintea ferro.

Nec libertis dediritis temperatum, si id promeriti. Sed etiam immerentibus constitutum hoc supplicium. quod autor noster haut obscure significat. Idque litterarum specie, ut F, H, E, L, T, quod est: *Fugitiuus hic est Lucii Titii*; quales notæ ad magistratum deferebantur: etiam heri signa, ut facilius dignoscerentur in perpetuum; veluti notauit Andreas Alciatus Parerg. Iur. lib. I. cap. XXVI: qualiter Fl. Vegetius lib. II. cap. V. eiusmodi signum eleganter dixit *victurum in cute punctum*. quam lectionem probo cum Iacobo Guitherio de Offic. Dom. Aug lib. III. cap. XI. Versibus etiam integris, Petronio teste; apud quem Eumolpus notum fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit. Nec alia ratione epigramma duodecim Iambotum binis monachis Theophani ac Theodoro inscriptum prodidit Annalium Tomo III. Io. Zonaras in Theophilo, & Cedrenus. Quod tamen primis duntaxat litteris descriptum censet Valerius Probus. Huic si locus erit coniecturæ, non est quod cum incompatabili Baronio ad Annum Christi DCCCXXXV quis mitetur, tot versus potuisse in hominis exarari vultu. Theophilum Ioannes Curopalata eorum autorem facit, quos nulla iniuria nugaces ait, nec plures quam octo memorat. Sic itaque *Seruus* apud Plautum in Casina Act. II. Sc. VI. & Apul. lib. IX. Metamorph. vere *litteratus*; itemque in Glossa veteri *Litteratus*, γεγραμμένος: pariterque fratres isti confessionis & constantiæ reportantes coronam apud Cedrenum οἱ γραπτοί, meo iudicio *inscripti*: licet Xylander vertetit: *quos à notis faciet impressis Graptos vocant*. Quam concinne reliqua, Aristarchis relinquo. *Notas* etiam dixit Seneca de Tranquil. animi cap. II. Non vulgariter de Mario Regulo Rustici Aruleni insectatore, Vitellianum tumultum innuens Plinius lib. I. Ep. V: *Adiicit, Vitelliana cicatrice stigmosum*. Partes nempe sequutus ipse Vitellii, de quo Tacitus Histor. lib. I. Etenim, ut autor Ambrosius de obitu Valentiniani, *Charactere domini inscribuntur & seruuli, & nomine Imperatoris signantur milites*. In vultu quidem imprimebantur plerumque hæc signa. Vnde Plin. lib. XXIX. cap. III. *inscripti vultus*. Et in Panegyrico alter: *Neque ut antea exsanguem illam & ferream frontem nequicquam conuulnerandam præbeant punctis, & notas suas videant*. Qua ratione Sen. de benef. lib. IV. cap. XXXVII. narrat Philippi iussu ingrato hospiti stigmata inscripta. Sic Ausonius Epigram XV. *notas scripto tolerasti Pergame vultu*. Quod in fronte potissimum fieri significat Martialis lib. XII. Epigr. LXI: *Frons hæc stigmate non meo notanda*. Inde Petronio *Seruitia in frontibus*; &, *stigmata captiuorum frontibus impressa*: quæ Senecæ de Ira lib. III. cap. III. *inscriptiones frontis*, &

Ma-

Macrobio Saturn. lib. I. cap. XI. *Servus compeditus inscripta fronte*. Qua significatione apud Claudianum in Eutrop. II. *facies inscripta*. In manibus etiam Plato lib. IX. de Legibus: *si quis sacrilegium commiserit, si quidem servus aut hospes fuerit, flagellatus extra fines patrios proiicitor*. Ad quem ritum alludens Ausonius: *inscribe istam, quæ non vult scribere dextram*. Ab eadem ratione Petronius: *Lycas nec manus nec faciem meam consideravit*. Imo ad metalla damnatis candenti ferro pedes quoque signatos S. Maximi exemplo Martyrum historia ad quintum Maii prodit. Quamobrem in fragmentis Institut. Caius lib. I, vere dixit, *in facie, vel corpore*: nec postremum ab Arriano additum, facile mihi præstiterit Hieronymus Aleander doctissimis ad hunc locum notis, quandoquidem facie non minus apertæ manus. Quin etiam abditis quoque servorum partibus sine criminis indicio impressas eius generis notas, quibus iusta libertate non excludebantur, iam diu advertit Franciscus Connanus Comment. Iur. civil. lib. II. cap. VI. Quod Histieus callide imitatus, dum res quasdam occultas Aristagoræ nunciaturus servi caput leve in litterarum formas compungit, quem domi continuit, quoad capillus adolesceret, ut refert A. Gell. lib. XVII. cap. IX. Servi autem eas non raro occultabant. Proinde Athen. Dipnosoph. lib. XIV. *οὐδ' ἐδείκνυεν ὃ στιγματίας ὤν, τί ἦν*. Iacobus Dalechampius vertit: *non ostendebat quod abdiderat nequam ille notis & punctis inustus*. Rectius quam Rodolphus Gualtherus apud Iul. Poll. lib. III. cap. ultimum. II. cui *στιγματίαι* sunt *verberatores*. Quid enim clarius Etymologico: *στιγματίας καλοῦσι τοὺς οἰκέτας τοὺς στιζομένους ὡς ἀχρείους*. Tales quoque Athenæo lib. III. *ἐγκαυστοί*. Propertio etiam lib. IV. Eleg. V. *Cælati*. quod cauterio factum est credibile. Quales graphiis compunctos indicat Galenus lib. de dignosc. & cur. animi morbis cap. IV. At Constantini Imperatoris humanitate demum sublata oris contumelia in collaria transiit: quorum specimen dedit Pignorius de Servis. Quin mitissimi ingenii documento ad Eumelium præcipit idem, & in manibus & in furis pœnam damnationis una scriptione comprehendi. Eapropter gravissimam Islandis pœnam narrat Dithmarus Blefkenius frontem stigmate inuri, qua affecti sceleratis adnumerantur. Minore ignominia in Gallia & Belgio facinorosis dorsum signatur. Servas longe mitius habuit antiquitas, de quibus nullum huius pœnæ vestigium. Iocus enim est veteris monumenti ac ingenii lusus, quod ex via Flaminia in hortos Poggii translatum Pyrrhus Ligorius in collectanea Romanarum antiquitatum retulit, quæ adhuc Romæ in bibliotheca Farnesiana latent. Grutero tamen videtur posterioris ævi, qui & Henrici Smetii indicio ab hoc paulo diversum edidit,

HIC

HIC. STIGMATA. AETERNA. ATTE. LIBERTAE. SCRIPTA. SVNT. VENENARIAE. ET. PERFIDIAE. DOLOSAE. DVRI. PECTORIS. CLAVVM. ET. RESTEM. SPARTEAM. VT. SIBI. COLLVM. ALLIGET. ET. PICEM. CANDENTEM. PECTVS. MALVM. COMMVRAT. SVVM. MANVMIS. SACRATIS. SECVTA. ADVLTERVM. PATRONVM. CIRCVMSCRIPSIT. ET. MINISTROS. ANCILLAM. ET PVERVM. LECTO. IACENTI. PATRONO. ABDVXIT. VT. ANIMO. DESPONDERET. SOLVS. RELICTVS. SPOLIATVS. SENEX. EHYMNO. F. FADES TINCTA SECVTIS ZOSIMVM.

Curiosis inscriptio non indigna, & quibus cordi est litterarũ cõmutatio; in qua *commurat*, pro *comburat*, more nondum insueto plebi Romanæ, quæ vulgo *b* veluti *m* profert. Cælatoris tamen culpa non expers erroris, quem amoueris, modo legas MANVMISSA GRATIS. Cetera Tulliani coloris, ubi *circumscripsit* est circumuenit, siue decepit. Doli vero modum confirmat Seneca Rhet. lib. III. Controuers. III: *Circumscriptores dici solent, qui aliquid abstulerunt.* Laurentius Valla Annotationibus in Antonium Raudensem pressius interpretatur, in contractibus dolose bonis priuare. Huic similis exsecratio in monumento Romæ Smetio visa, quam Gruterus edidit.

ATIMETO. LIB. CVIVS. DOLO. FILIAM. AMISI
RESTEM. ET. CLAVOM. VNDE. SIBI. COLLVM. ALLIGET

Nec vero seruis, ac libertis dedititiis, aut facinorosis tantum stigmata indebantur, sed inter liberos iis etiam frons notabatur geminata K littera, qui calumniæ damnati erant. Eorum præterea manibus notæ imprimebantur, qui militiæ erant adscripti, ne discriminis pertæsi elaberentur: addito fortassis nomine principis, ut ex D. Augustino & Chrysostomo colligit Iustus Lipsius de Militia Romana lib. I. Dial. IX. In quam sententiam Vegetius de re milit. lib. I. cap. IIX: *non statim punctis signorum scribendus est tiro delectus.* Consuetudinem hanc tetigit Ætius Tetr. II. Serm. IV. cap. XII. *στίγματα καλοῦσι τὰ ἐπὶ τοῦ προσώπου ἢ ἄλλου τινὸς μέρους τοῦ σώματος ἐπιγραφόμενα, διὰ τῶν στρατευομένων ἐν ταῖς χερσίν. Stigmata vocant, quæ in facie aut alia quapiam corporis parte inscripta,*

qua-

qualia in manibus militum. Germani pariter nostri æui milites paulo supra carpum se punctis sponte signant, ut interemti agnoscantur à commilitonibus. Fabricensibus etiam, quibus in Authentic. de armis Iustinianus arma fabricandi ius decreuit, certo peritiæ indicio Arcadius & Honorius brachia stigmate signanda sanxere L. III. C. de Fabricens. Lib. XI. Huius porro supplicii rationem Romanis forsan ostendêre familiari ornatu Assyrii, quem Lucian. Dial. de Syria Dea sic tradidit: *στίζονται δὲ πάντες, οἱ μὲν ἐς καρπούς, οἱ δὲ ἐς αὐχένας· καὶ ἀπὸ τοῦδε ἅπαντες Ἀσσύριοι στιγματηφορέουσι. Certis autē notis cōpunguntur omnes, alii quidem in vola manus, alii in ceruice. Et inde est, quod cuncti Assyrii notas inustas habent.* Sed & Christi legem professos antiquitus Seruatoris nomen aut crucis signum brachiis manibusq; impressisse tradit Procopius in Esaiæ cap. XLIV. dilucide. Quod Ioannes Vouerius D. Pauli ad Galatas instituto factum censet ad hæc Minucii Felicis verba: *Nos denique non notaculo corporis, ut putatis, sed innocentiæ ac modestiæ signo facile dignoscimus*. Huc enim alludens Apostolus ad Galatas cap. VI. vers. XVII. se stigmata quoque Iesu portare scribit. Nimirum afflictiones, quibus cognoscitur verus Christi miles, quemadmodum notauit ad hunc locum Bruno: tametsi Antonius Scaynus putat respexisse ad corpora seruilia. Qua etiam notione Haymon episcopus Halberstatensis cum D. Augustino refert, stigmata esse pœnarum seruilium notas: in corpore autem beati Apostnli adhuc virgarum plagas comparuisse; adeoque serui more stigmata gestasse. Nec aliter ex Isidori Clarii mente integerrimus & religiosissimus vir Aloisius Nouarinus hæc verba explicat. Quæ Antonius Caracciolus in sacris Decuriis etiam ad nobilitatis indicia refert. Nobilitatis enim argumento Thraces quoq; frontē sibi notis variarunt, velut autor Herodotus lib. V. & Strabo lib. VII. qui eumdem Iapodum & Illyricorum morem obseruat post Plinium lib. XXII. cap. I. Nec minus credibile, à Græcis hanc Romanos consuetudinem accepisse, à quibus ii seruos habebant iam ante signatos. Frontes inscribere sibi solitos Dacos Sarmatasque in Martyrologium Romanum ad XXI. Decembris obseruat Cæsar Baronius. Quod coloribus factum ad formæ lenocinium tradit Plin. lib. XXII. cap. I. Itemque de Britannis Solinus cap. XXII: *Regionem partim tenent barbari, quibus per artifices plagarum figuras iam inde à pueris variæ animalium effigies incorporantur, inscriptisque visceribus hominis incremento pigmentis notæ crescunt*. Notauit hoc de bello Getico Claudianus:

Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scotò dat frena truci, ferroque notatas
Perlegit exsangues Picto moriente figuras.

Tolluntur in dignis, & in multis.] Ioannes Argolus pridem amœniorum in Gymnasio Bononiensi litterarum professor deinde pro summo Pontifice VRBANO IIX. Ceruiæ prætor, ex necessitudine familiariter suggessit hæc legi posse; *in signis, & in multis*; quandoquidem Serui sic notis multarentur: item, *in digitis, & in malis*. Hæc sane coniectura ut ingeniosa, sic mihi à vero non est aliena. nec alterutri sua deest ratio, quæ in seruorum conditionem quadrat. Si quis tamen contendat parum à communi lectione discedendum, cum Lipsio Elector. lib. II. cap. XV. & Laurentio Pignorio de Seruis legerim;

Stigmata tolluntur indignis. etenim multis hæc calamitas ex transuetso accidit, ut dispensatori &c. Alii nihil mutandum censent, præter interpunctionem, ut legatur: in dignis. Et in multis hæc calamitas &c. Sed enim optima sententia ex recepta consuetudine legendum puto: stigmata tolluntur in dignis, & in multis: hoc est, in conspicuis, sed præter meritum notatis; vel, quod magis perspicuum, in iis qui digni sunt, ut hac ignominia libentetur: & quidem in multis; quandoquidem veri experimenti ratio est, ut sæpius probetur. Ea vero calamitas ex transuerso accidere potuit, ut dispensatori Sabini Caluisii per naufragiũ de fuga suspecto; quem Tryphon liberauit. Sic Archita Tarentinus literarum causa peregrinatus à piratis captus tyranno venditur. Sed Imperatorum quoq; immanitate plures in hoc infortunium coniectos notat Suetonius de Caligula cap. XXVII: *Multos honesti ordinis deformatos prius stigmatum notis ad metalla & munitiones viarum, aut bestias condemnauit*. Item August. cap. XXXII: *Rapti etiam per agros viatores sine discrimine liberi seruique ergastulis possessorum supprimebantur*. Inde Petronius: *Quod ergastulum intercepisset errantes*. Tales vero fortuna, non genere, serui, mediæ inter seruos ac liberos conditionis fuere.

Dispensatori] Petro Pithoeo Aduersar. subsec. lib. II, cap. IX. Dispensator est seruus primi gradus ac frugi. Quem in modum Tacitus Histor. lib. I, cap. XLIX: *Galbæ corpus diu neglectum dispensator Argius è prioribus seruis humili sepultura contexit*. Isque familiæ non solum urbanæ, sed etiam rusticæ fuit. Sic enim Pomponius L. CLXVI. de Verbor. sign. *Potest aliquis dispensator non esse urbanorum seruorum numero: velut is, qui rusticarum rerum rationes dispenset, ibique habitet, non multum abest à villico*. Dispensator etiam, qui præpositus est, & rationes exercet eius quod dispensat, id est quasi procurator administrat. Eumque ab ære impendendo appellationem traxisse notat Varro De ling. Lat. lib. IV. Quo nomine Iacobo Guitherio Iurisconsulto eruditissimo de Offic. Dom. Aug. lib. II, cap. XIII. rectè Arcarius Seruus appellatur. Ἐπίτροπος Plutarcho in Anton.

Calui] Caluisii legendum indicant Tacitus, & Seneca Ep. XXVII. ubi patrimonium ei tribuit libertini, & ingenium. Sub Tiberio maiestatis postulatum refert Corn. Tacitus Annal. lib. VI; legatum Pisonis imperante Claudio, Hist. I. qui relegatus à Nerone, mox pœna exsolutus Annal. lib. XIII. & lib. XIV. Sed infeliciter defunctum narrat Dio in Caio. Quo imperante militiæ præfuisse indicat Plutarchus in Galba.

Naufragio] Pignor. naufrago. Sed nihil muto, quoniam vetus lectio clatius custodiæ occasionem significat.

In ergastulo] Plinio lib. XIIX, cap. VI, *coli rura ergastulis pessimum est*. Rationem addit Varro de re rust. lib. I cap. XVII: *grauia loca utilius esse mercenariis colere, quam seruis*. Serui quippe barbari à Romanis agro colendo emebantur. Sed ab opulentis. Refert enim Plutarchus in Gracchis Italiam ergastulis barbaricis impleri, quibus colebant diuites agros. Ii vero parum fidi, si fides Plauto Capt. Act. I, sc. II:

Liber captiuus aui fere consimilis est:
Semel fugiendi si data est occasio,

Satis est, nunquam post illam possis prendere.

Inde Columella lib. I. cap. IIX. ait *Solemnia omnibus circumspectis, ut ergastuli mancipia recognoscant, ut explorent, an diligenter vincta sint*. Hæc Iuvenalis Sat. XIV. vers. XXV. *inscripta ergastula*, Catoni de re rust. cap. LVI. & LVII. *Compediti*. Quibus postea Christianos per tyrannidem additos indicat Vincentius Lirinensis, qui de Arrianorum nouitate differens ait oppleta sanctis ergastula. Hæc autem Ioan. Costerius in eundem pro Catholicæ fidei antiquitate scribit loca fuisse in agris, ubi deteriora mancipia vincta operabantur. Addit Columella fuisse subterranea, angustis fenestris distincta.

Deprehenso,] Pignorius *deprenso*. Prior tamen lectio bona. Eadem namque sententia Plin. nat. hist. lib. XI. cap. XVII. de Apibus: *Duce deprehenso, totum tenetur agmen*. Codex Vaticanus: *Duce prehenso*.

Multis delusum,] Pignorius, à multis delusum. At iunior Aldi codicem, quem habeo, sic interpolauerat. Tertius tamen casus per hellenismum emendationi responder. Antiqua etiam lectio manifestior erit, modo textus instrumenti casus intelligatur. Plurimis nempe medicamentis variisque multorum experimentis hunc seruum fuisse deceptum.

Et ne casu quidem literas confusas ullo medicamento habentem, liberauit] G. Barthius Aduers. lib. XXXVI. cap. VI. facili vocum traductione huic loco præluxit: & ne casu quidem ullo literas confusas habentem medicamento liberauit. Ordo tamen vulgatæ lectionis nihilo turbatior. Nam Tryphon dispensatorem varie falsum, & ne casu quidem, ut in tanta remediorum diuersitate fieri solet, notas obscuriores ullo medicamento habentem liberauit. Quam id operosum vidit Martialis lib. VI. Epigr. LXIV. *Stigmata nec vafra delebit Cinnamus arte*. Quod Calderinus de fullone accipit contra poetæ mentem, qui lib. VI. Epigr. LXIII. tonsorem fatetur; à cuius munere non aliena utique fuit cosmetica, opibus augendis valde apta.

Allii candidi] Ad alterius satiui discrimen, quod purpurascit. Dioscorides lib. II. cap. CLXXXI. tradit summam corporis cutem exulcerare. Quod confirmat Galenus de Temperamentis lib. III. cap. III. qui de Simpl. med. fac. lib. IV. cap. XVII. inter acria ponit, quæ non modo linguam, sed omnem reliquam carnem mordicant. Quarto enim excessu calidum & siccum credit de Simpl. med. fac. lib. IIX.

Alexandrinis] quæ Alexandria Romam ferebantur: cuius emporii celebritatem indicat Strabo lib. XVII.

Variæ] Dioscorid. lib. II. cap. LXV: *Potentissimæ omnes variæ, luteis lineis, quas in pennis transuersas habent, promissoque corpore crassæ ac blattarum modo perpingues: sed inertes ac imbecillæ, quæ unius sunt coloris*. Idem Plin. totidem ferme verbis lib. XXIX. cap. IV. Virgulas autem transuersas in alis melini coloris, id est mali cydonii, scribit Ætius Tetr. I. Serm. II. cap. CLXXIV.

Chalcitis ✻ p. as femis,] Melius Chalcitidis, ut Comp. CCXXVII. Ab aliena vero manu forsan irrepsit as, pro ana; cuius nota compendiosior inscitis scriptoribus promte abiit in as: nisi, quod credo, semissem intelligere par fuerit. Qua ratione scribi poterit: chalcitidis ✻ p. ac semis. Huic enim Victoriatus æquiualet, quemadmodum Comp. XXVI. docui.

Vel

CCXXXII.

Vel verbenis] Malo, cum verbenis. Vid. Comp. CXLII.
Cinere lixiua] De qua Comp. CXXIX.
Lauari] lauare.
Sicca reponere.] siccum reponere. Constructionis quidem lege; Artis autem: sic reponere.
Atque intestino reposito.] *atque* rectius omittitur, nisi adiiciatur *ita*, velut Comp. CCXXXVII.

CCXXXIII.

Cupressus] cupressi Comp. LIII. Varro de re rust. lib. I. cap. XL. Plin. lib. XXIV. cap. V. Sed antiquis placuisse utrumq; innuit Varro de ling. Lat. lib. IIX.
Ex faba quasi concha] Adrianus Turnebus Aduers. lib. XVII. cap. XVI. legit: ex fabæ quasi concha. Quod nec Hadriano Iunio videtur displicuisse, qui fabæ tunicam putat. Ego simpliciter legendum censeo. Ad test. tum. c. b. e. v. e. conueniunt; & faba q. conchis m. c. c. cocta. Plinii namque verba sunt lib. XXII. cap. XXV: *faba in vino decocta ad testium tumores & genitalium imponitur.* Clatius Dioscorides lib. II. cap. CXXVII. διδύμων φλεγμονὰς ἑψηθεὶς ἐν οἴνῳ θεραπεύει. Ruellius: *decocta in vino testium collectiones sanat.* Vetius lib. V. cap. IV. διδύμων φλεγμονὰς *testium inflammationes* vertit: quamuis etiam tumor cum inflammatione aliquo pacto collectionis appellarionem sortiatur. Plinius tamen lib. XXV. cap. XI. lib. XXVI. cap. IV. itemque lib. XXVII. cap. IIX. & XII. collectionem inflammationemque distincte nominat. Conchis autem faba est cum valuulis elixa: de qua Iuvenal. Sat. III. & XIV. itemque Martialis lib. VII. Epigr. LXXVII. & lib. XIII. Epigr. VII: utut Ioannes Britannicus in Iuvenalem ex Apicio fabaciam viridem affirmat: cuius hic meminit lib. V. cap. VI. ubi etiam cap. IV. *Conchicla* traditur, *Concicula* Marcello Empirico cap. XXXIII. verius *Conchicula*. Initio quidem *lenticula* Cornario magis placuit. Meliori tamen consilio maluit veteris libri lectionem seruare. Quis enim diceret fabam quasi lenticulam, etiamsi commodius heic lentis usus foret? Ex ea cum polenta cataplasma testibus inflammatis aptum proponit Oribasius de Virtut. Simpl. lib. II. cap. I: Faba enim modice perfrigerat, veluti post Gal. de Simpl. medic. fac. lib. VII. monet Æt. Tetr. I. Setm. I.
Vua passa] Oribas. de loc. aff. curar. lib. IV. cap. CIII. Plin. lib. XXIII. cap. I: *Testium inflammationi cum farina cumini aut coriandri imponantur uva passa,* vel *cum lomento fabarum*, autore Dioscoride lib. V. cap. IV.
Idem uva] Item uva p.
Nucleata] Fortassis innucleata, ut est apud Plin. Valer. lib. I. cap. XLVII. & lib. II. cap. XI. Item lib. III. cap. XXV. priuationis forma & potestate; seu, quod eodem significatu magis placet enucleata; quod Valerianus etiam lib. II. cap. XXV. de Oliua protulit; de Iuniperi baccis Marcellus cap. XX. Nec male ad Pharmacopolæ cautelam, quum plerumque nuclei acinorum eximantur, qui-

bus, notante Plinio lib. XXIII. cap. I, adstringendi vis est huic malo commoda. Galenus tamen de Comp. med sec. loc. lib. IX. cap. IIX. in hoc ipso casu meminit σαφίδ☉ ἐκγεγαρτισμένης, quam Ian. Cornar. dixit *uvam passam exacinatam*.

CCXXXIV.

Ad veterii tumorem, & dolorem.] Deme duas postremas voces. Quo etiam modo Index.

Rosaceo oleo] omphacino. Galen. Meth. med. lib. X. cap. IX.

Mali granati corium] Malicorium officinis. Quam appellationem habuere à Plinio, qui lib. XXIII. cap. VI. ait: *Vulgus coria maxime perficere illo* (cortice ex acerbis) *nouit: ob id malicorium appellant medici.* Dioscor. lib. I. cap. CLIV. tradit asperum mali Punici putamen, & adstringere. Plinius etiam Punica acida ad virilitatis vitia proponit.

Tritum,] Incisum exteratur.

Lenticulæ] palustris, quæ ordine secundo frigida & humida, ex mente Galeni de Simpl. med. fac. lib. IIX. De qua Dioscorides lib. IV. cap. LXXXIIX. Galenus hoc ipsum remedium laudat de Comp. med. sec. loc. lib. IX. cap. IIX.

CCXXXV.

Vlcus] Vide Galenum Methodi medendi lib. V. cap. XV.

Tentauit,] tentarit. Similiter, occuparit. Huius enim flexus vestigium in Marcello cap. XXXI. Nec multum r & v figura discrepant. Imo Scribonius à subiunctiuo initium fecit.

Cancer] Ad naturalia sordida etiam cancro laborantia Celsus lib. V. cap. XX. Andronis pastillum recenset. Optimus vero Hippocr. interpres ille haut dubie intellexit, quæ συνιδόντες διδύμων lect. III. Aph. XXI. Qua etiam significatione lib. II. cap. I. ponit *cancros in obscenis*. & lib. V. cap. XX. euidentius *ulcera in obscenis partibus.* Plin. hist. natur. lib. XXIIX. cap. XV. *verendorum carbunculos* appellat, & lib. XXV. cap. postremo *pudendum vitium*. Sagaciores hinc intelligant, quam vere lues Venerea nouis morbis adnumeretur, quod anno salutis nostræ nonagesimo sexto supra millesimum quadringentesimum Europeos primum inuaserit. Cuius originem Bartholomæus Cocles Chiromant. Paruæ lib. VI. cap. CCXLIII. refert Dominicum Mariam Ferrariensem ex coniunctione Iouis ac Saturni die IX. Nouembris An. MCCCCLXXXIV obseruasse. Quam & probabilem ostendit summus vir Hieronymus Fracastorius de Morbis Contagiosis lib. II. cap. XII. Sed & Suetonius in vita Tib. cap. LXIIX. nescio quid innuit huic malo congruum, si Iuliano Imperatori credendum, qui subtiles, quibus ille scatebat, tumores lasciuiæ imputat. Quidni potius ab intemperatissimis, quibus indulgebat, perpotationibus impetigo faciem deformarit? Nam & ἀκολασία quamcumque intemperantiam significat. Et quis ignorat hominis philosophi mordacitatem, ac quam se principes mutuo infectentur. Non inficior tamen istam labem fœda impetigine sæpius comitatam. Quidquid fuerit, Pet. Paulus Vergerius Iustinopolit. senior, qui Patauii floruit

anno

anno MCCCXCV. Vbertinum Carrariensem eius nominis VII, urbis III Principem, ob nimium libidinis usum diuturno secretioris partis vitio Patauii die XXIX Martii anno MCCCXIV interiisse autor est in historia itsius familiæ nondum publicata. Est hæc apud Abbatem Rupertum Papafauam Illustrissimi Equitis Bonifacii filium, qui patriciis Venetis cum suis adscriptus diuinarum & humanarum literarum gloria morumque integritate antiquatos belli fortunæque iniuria natales posteris adserit. Quis vero hanc labem in ultimam Thulen inuexerit, quam ibi familiarem cereali fontis cuiusdam liquore tolli memorat Dithmarus Blefkenius in Descriptione Islandiæ. Domesticæ libidini ea certe imputanda: nisi verius Scorbutum putauerimus, qui lui venereæ in dissimili genere persimilis. Nequeab hac mea suspicione alieni sunt viri eruditi, post Fracastor. um Iosephus Struthius Artis Sphygmicæ lib. IV. cap. XXXV. Isaacus Pontanus in Annotat. noua Dodonæi obseruationibu adiecta, & Zacutus Lusitanus med. princip. hist. lib. I. Histor. XXXIII. Qu. XXXV. Rem tribus dicam verbis. Morbus hic Proteus, qui varia facie per tempora comparuit. Sed nostra in primis ætate Borealibus quam reliquis plagis grauiorem docuit experientia, quia forsan inclementior bruma, variusque cæli status. Vnde malum efficacissimis etiam remediis pertinacius facile nouitatis titulum obtinuit, quæ tamen qualitatis occultæ verius est, quam accidentium. Nimirum materiæ & feminum propria, sensui nostro abdita. Cardanus vero de Simplici Medicina quoddam elephantiasis genus opinatur.

Andronius] Andronium, veluti passim: nisi Græca inflexione per ellipsin Andronis medicamentum malis, ut Comp. LXIII.

CCXXXVI.

Desideratur.] Iactura hæc irrepatabilis, nisi melior dies aliquando veteres libros à me frustra perquisitos retexerit.

CCXXXVII.

Albam] Numquid, alram, ut Comp. CCXL. Vulgari tamen lectioni patrocinatur Plin. Valerianus lib. III. cap. XXII. de ulceribus sordidis: *Cognoscuntur cum candicant, aut cum crustam albam superduxerunt.*

Purgat mel per se, iris a. c. v. c. m.] Euidentiore sententia legitur: purgat vel per se iris arida contusa, vel cum melle.

Iris arida c. v. c. melle] Vlcera enim replet ac purgat, ex Diosc. lib. I. cap. I. Mel etiam abstergit lib. II. cap. CI.

Cancer tentat, est autem] cancer tentat. Est a. l.

Chartæ combustæ] Gal. de Comp. med. sec. loc. lib. IX. cap. II. qui lib. III. cap. I. suum ex charta pastillum ceteris præfert.

CCXXXIIX.

Purum] id est, jam purgatum.

Superius] Comp. ccx.
Prope] Legendum credo *proprie*, quemadmodum Comp. cxxxix. Si tamen vulgata lectio retinenda, cauti modestique promissoris habet argumentum. Quod vellem imitarentur histriones, qui parvam rem attollunt, quo plus præstitisse videantur.
Mellis ✱ p. sescuncia, tosæ ✱ p. sescuncia,] Expunge utrobique ✱. Nam Denarii uncia granis ferme duobus solum excedit obolum. Qualis minutia heic absurda.

CCXXXIX.

Meges] Chirurgus. Comp. ccii.
Thuris] Anodynum enim est, & concoquit monitu Galeni de Comp. med. per gen. lib. ii. cap. ii.

CCXL.

Compescebat. æris] compescebat. Æris f. u.
Chalcitis] Ita Comp. xlvii. & cxli. Repone, chalcitidis, ut Comp. ccxli. & ccxlix.
Altam facit: quamobrem] altam facit. Quamobrem
Cancer] Vid. Comp. ccvi.
Serpere, omnem] serpere; omnem e. f.
Et hoc] cancer.
Quæ diximus,] ulcus luxurians, carnem eminentem, & sanguinis eruptionem.
Extractoque] & excusso Comp. x.

CCXLI.

Mysii usti: chalcitis] forte, mysis usti, ut Comp. ccxl. quo etiam modo legendum Comp. ccxliix. ubi vulgo mysus.

CCXLII.

Emplastrum διὰ καδμίας] Huic simile, quod ab Asclepiade acceptum Galenus de Comp. med. per gen. lib. ii. cap. xiv usurpasse refert Lucium Κατα-γητὴν. Quem Ioannes Andernacus, præceptoris titulo insigniuit. Sed pondere discrepant.
Cicatricem ducit, cadmiæ] cicatricem ducit. Cadmiæ p. I.

CCXLIII.

Parte corporis totius porriginem.] Incisum post vocem totius inferatur. Porriginis quidem Index non meminit; nec Marcellus Burdegalensis sub finem

cap.

cap. IV, ubi Scribonio similis. Verum nec ea huius loci est, quæ forsan irrepsit è margine: nisi, quod opinor, initio fuerit, pruriginem, cui remedium hoc prodest autore Dioscoride lib. IV. cap. CLVI, itemque Plinio lib. XXIII. cap. I. Sic autem vulgata lectio sine alia interpunctione Scribonio cum medicis optime constabit. Celsus enim lib. II. cap. IIX. hoc nomine iterato usus, & lib. V. cap. XXIIX. Columella etiam lib. VII. cap. V. ea scabritiem seu cutem asperam indicavit, quemadmodum & lib. XI. cap. III. pariterque Plinius Valerianus lib. III. cap. XLIII. Priori tamen loco apud Celsum est *porrigo* in libris MSS meliorbus, Florentino videlicet, Ioan. Vincentii Pinelli, Caroli Moroni, & meo. Quod Ioannes Caius etiam repo suit. Nec aliter postulat autoris animus à Scribonio ibi diversus.

Staphisagria] H. Stephan. σταφὶς ἀγρία. Quo modo recte Dioscoridis interpres *Staphis agria*.

Trita] ex oleo simul illita pruritui & psoris prodest, Dioscoridis autoritate.

Ad epiphoram] Hæc non videntur Scribonii, Medico tamen sunt digna. Quia subtilis humor, dum impetu in partem aliquam irruit, medicamentum exigit. Quo nomine Oribas. lib. I. Synops. cap. XVI. Initio subtiles humores ducendos præcipit. Vid. Lexic.

CCXLIV.

Hæc Compositio permutato ordine postponatur sequenti. Quod primitus factum liquet ex Indice. Autor etiam simplicia se Compositis præmissurum, pollicetur operis proloquio. H. Stephanus igitur huius Compositionis lemma sequenti consulto præscripsit.

Rutæ] Renatus Moræus mavult cicutæ, motus forsan Comp. CCXLVII, nec sine causa. Vtraque enim in eo casu remedio est, modo fides habenda Dioscoridi lib. III. cap. LII. & lib. IV. cap. LXXIX. Quamobrem consuetam lectionem libens teneo.

Olei viridis] Sunt qui omphacium putant: forsitan, quod Plinius lib. XIII. cap. XXVII. scribit ex olea priusquam cibo matura fit oleum fieri viride. Idem vero lib. XXIII. cap. IV. manifeste discernit, ubi ait: *utilissimum & omphacinum, proxime viride.* Recens itaque intellexit, veluti Suetonius Cæs. cap. LIII. De quo etiam Columella lib. V. cap. IIX: *Pausiæ oleum saporis egregii, dum viride est, vetustate corrumpitur.* Desideratum patet ex Catone de re rust. cap. III. qui eius rationem tradit cap. LXV. & Pallad. lib. XI. Tit X.

In spuma] Remove particulam *in*, & lege: teruntur, donec levia fiant; p. q. s. a. v. c. o. a. sine alia interstinctione.

CCXLV.

Ad ignem sacrum] Dioscor. lib. III. cap. LXXI. Coriandro vim tribuit refrigerandi, assentiente Plinio lib. XX. cap. XX: quod ipsiusmet indicio peritiores de viridi accipiunt. Frigore naturali venas protinus claudere affirmat Publ. Veget. lib. II. cap. XXXV. Hippocrates tamen calidum censet; Galenus de Simpl. med. facult. lib. VII. humiditate sua temperatum cum leni adstrictione.

ne, Quam eius sententiam Plinius Valerianus lib. IV. cap. IV. ut prudentissimam laudat, quod vitia curet, quæ soli frigiditati non cederent. Hinc Ætius Tetr. I. Serm. I: *Corianon ex contrariis facultatibus compositum est, multum habens substantiæ amaræ, quæ tenuium partium est & terreæ, nec parum aqueæ humiditatis tepida vi prædita: habet & parum adstrictionis. Ex quibus omnibus multifariam efficax est ea efficere quæ Dioscorides prodidit, verum non ob solam frigiditatem.* In eo enim calida & sicca facultas excellit ex mente Oribasii Collect. lib. XIV. cap. X. Ideoque Ægineta lib. VII. cap. III. recte monet, inflammationibus & ignibus sacris non valde feruidis conuenire, tumoresque molliores cum aliquo ad id apto discutere. Quamobrem ad mamillæ nodos vere ponitur à Celso lib. V. cap. XXIIX. ad epinyctidem a Plin. Valer. lib. II. cap. III. & lib. III. cap. XXXI. ad papulam noxiam. De Coriandro diligenter Gaspar Hofmannus lib. II. cap. XX. de Med. Offic.

Benefacit, est] bene facit, est enim tes virosa, vel cum pane. Eodem m. e. m. p. Hæc tamen lectio, cuius nullum in Dioscoride vestigium, quem plerumque expressit autor, mihi de glossemate non parum suspecta, quum herba cimicem olet, sic expeditior apparet. Ad ignem sacrum coriandrum viride per se tritum bene facit, vel cum pane. Eodem modo & mentha prodest, &c. etiam monitu Celsi lib. V. cap. XXIIX. *Epinyctis viridi coriandro curatur.* At cum pane, tritum intellige, veluti Comp. CCXXVII. & CCXXIIX. Quod nec Dioscorides lib. III. cap. LXXI siluit. Mentham qnoque viridem, quam reprimentibus accenset Galenus de Comp. med. sec. loca lib. II. cap. II. & de Arte curat. ad Glauc. lib. I. cap. XV. Filix autem modice adstringens, citra morsum siccat iudicio Æginetæ lib. VII. cap. III. Henricus Stephanus etiam hanc rationem parenthesi circumscripsit. Communi vero lectioni si fors insistendum fuerit, virosum quidpiam ac naturæ veluti sulfureæ desiderabat sacer ignis, numinis ira cælitus in mortales dimissus. Quod vetustas quum de magnis plerumque morbis atque ignotis crederet, de pestis curatione Deos iure consulebat, ut refert Gal. comm. I. Epidem.

Cimolia creta] ab insula Cimolo, vulgo terra saponaria. P. Veget. art. veter. lib. I. cap. XIII. albam interpretatur: quamquam & altera eius species ad purpureum inclinet apud Dioscoridem lib. V. cap. CLXXVI. ubi simul ad sacrum ignem commendatur. Martinus Rulandus in Lexico Chymico hodie ignotam opinatur: quæ tamen veteribus fuit familiaris. Nec sane hac appellatione nostris temporibus adfertur; quemadmodum neque lapis ageratus à Galeno de med. sec. loca lib. VI. cap. III. propositus calceamentis præcipue muliebribus expoliendis eo nomine hac ætate venit.

CCXLVI.

Facit & ad hoc] Facit & hoc medicamentum bene. Sulfuris vivi.

Prodest, cerussæ] prodest: Cerussæ.

Solani succo, cum o. e. v. d.] solani succo: cum opus est, v. d.

CCXLVII.

ἕρπητα] Omnes. H. Steph. ἕρπητα. Recte. Nam ἕρπης ulcus serpens denotat.
Faciunt quidem ut f.d.] faciunt quidem supra dicta omnia: vel, f.q.& f.d.o.
Supra] Composit. LXIII. CCXLV. CCXLVI.
Cicuta viridis] Etiam de arida Dioscor. lib. IV. cap. LXXIX: *Ignes sacros, & ulcera quæ serpunt, illitu restingunt.*
Croci ✱ p. 1.] Galenus de Compos. med. sec. gen. lib. V. cap. XI. Ioanne Andernaco interprete, *p. denarium duum.*
Dyphrygis] diphrygis, ut Comp. CCXXVII.
Petungetur.] Henr. Stephanus bene, *perungitur.*

CCXLIIX.

Ad idem melius facit,] Melius facit,
Gallæ,] Hæc quippe siccat, adstringit, & sistit ex Dioscoride lib. I. cap. CXLVI.
Cretæ sutoriæ,] Hæc melanteria Compos. CCIIX: qualiter Galeno etiam de Comp. med. per gen. lib. V. cap. III. & XI.
Mysus] Vid. Comp. CCXLI.
Mali cortex] Hanc sententiam sic interpunge: Mali cortex in aceti sextario uno decoquitur, donec madida fiat; deinde teritur: acacia aceto eodem macerata nocte & die admiscetur, & un-teritur.
Ad utrumque autem genus vitii] id est, ad ignem sacrum, & ad zonam.

CCXLIX.

Ad impetigines] Ita Columel. de re rust. lib. VI. cap. XXXI. Plin. lib. XX. cap. XI. & XIV. lib. XXII. cap. XXV. P. Veget. art. vet. lib. II. cap. LI. Huius enim quatuor sunt species apud Celsum lib. V. cap. XXIIX, qui multitudinis quoque numero protulit lib. VII. cap. XIV. Ad vitia cutis in facie maculasque omnes commendat Dioscorides lib. IV. cap. CLXXXIII.
Vua aminea,] Taminia Adr. Turn. Adners. lib. XVII. cap. XVI. & Hier. Mercurial. Var. lect. lib. II. cap. XVI. cuius meminit Celsus lib. III. cap. XXI. lib. V. cap. IV. V. XXII. lib. VI. cap. VI. & IX. *Taminia uva silvestris generis,* inquit Festus, *videtur Verrio dicta, quod tam mira sit quam minium.* Bryoniæ scilicet bacca, quæ diuersa est à labrusca, & staphide agria. Quod Plinius lib. XXIII. cap. I. agnouit ante Marsil. Cagnatum Var. Obs. lib. II. cap. XXVI. etiamsi foliis labruscæ similem tradat. Hæc autem, quod monet autor, in vepribus nascitur. Rubertima,] Plin. lib. XXIII. cap. I. Taminiæ rubentes acini. Ex quo Rubelliana appellatur. Sed post maturitatem, veluti notat Dioscorides. Cuiusmodi reperiuntur in Italia, secus atque in Græcia, ex diuerso cæli solique genio. Gaspar Bauhinus proinde Pinac. lib. IIX. Sect. I. recte monet baccas aliquando rufescere, aliquando nigrescere.
In vepribus] Non in cultis, ut uva aminea.

Nascitur, q. f. o. i.] nascitur, Qua f. o. i. q. c. e. n. appareat, Hoc a. d. f. p.

C C L.

Ad suggillationes.] Rectius doctorum consensu scribitur sugillationes.

Huius radicis] uvæ taminiæ. Idem nisi affirmaret Dodonæus histor. Stirp. Pempt. III. lib. III. legerem: Bene facit radicis succus. Nam cum melle sugillata tollere scribit Dioscorides lib. II. cap. CXXXVII. Quod Galen. de Simpl. fac. lib. X. de Radicula cum pane commanso pariter notauit. Vim namque digerendi habet, ordine tertio calida, secundo sicca, ex eiusdem sententia lib. III. & lib. V. cap. I. de Comp. medic. sec. loc. Quo nomine succus etiam iure laudatus Scribonio Comp. CXXXIII.

Sugillationes & liuores] Recte. Inueteratis enim iamque denigratis tantum conferre vehementiora discutientia ex Archigene monuit Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. V. cap. I.

Scabiem] Heic præmittatur sequens lemma: quo Compositionis fiat initiũ.

Sulfur nigrum] Quod alibi vivum dixit. Sulfur autem Galeno de Simpl. med. fac. lib. IX. in primis probatur, quod non repellit in profundum veluti cetera medicamenta.

Lepram, & quam elephantiam dicunt, sanat: & omnia] I. e. q. e. d. sanat, & o. q. e. p. f. Celsus lib. III. cap. XXV. tradit ἐλεφαντίασιν ignotum pene in Italia morbum. Vtriusque discrimen habet Actuarius Meth. med. lib. II. cap. XI. Vallesius in Hippocr. de Aliment. Pag. CCXXIV. notat Lepra cutem occupari, carnem Elephantiasi.

Quæ efferuescunt] Epiphoram totius indicat; de qua Comp. CCXLIII.

Quum inueterauerint.] Sic enim crustas ducunt.

C C L I.

Halica] Idem docet Dioscorides lib. II. cap. CXIIX. Alica scribendum ostendi Comp. CIV.

Ceræ ✱ p. semis,] Ita Cratandri & Aldi editio. Verius prima Ruellii & Stephani, ceræ p. semis.

C C L I I.

ἐλάιας] Δάκρυον τῆς Αἰθιοπικῆς ἐλαίας Dioscor. lib. I. cap. CXLII. quem plurimis in locis imitatus autor seculo posterior. Strabo lib. XVI. de sinu Arabico: *Sunt insulæ tres desertæ, oleis obsitæ non nostratibus, sed indigenis, quas Aethiopicas vocamus, quarum lacrima medicam vim habet.* Dioscorides autem has etiam agrestes affirmat. cuius gummi Diodorum ad impetiginem adhibuisse testis Galenus de Compos. med. sec. loca lib. V. cap. VII. Eo purgantium vires frangi animaduertit Donatus ab Alto mari Libro de Manna.

Salicis libri] Salix enim adstringit ac detergit Dioscor. lib. I. cap. CXXXVII.

Eiusdem] Corticis. Dioscor.

Posca] Quæ mitior aceto, veluti constat ex iis quæ Comp. LVI. tradidi. Iano Gulielmo Laurembergio verius ὀξύκρατον, quam Glossis mustum aqua dilutum.

Erit: vel] erit, vel e. a. f. d. p. d. q. a. q: d. e. e. t. ac cerussa imp. o.

C C L I I I.

Sulfuris] Sulfur calidum ac tenuium partium Oribas. Collect. lib. XV. cap. I. itemque de vir. simpl. lib. II. cap. I. assentiente Plinio lib. XXXV. cap. XV. concoquit, & discutit collectiones corporum.

Cæparum] cæparum.

Rumicis erraticæ] id est, Lapathi silvestris Plinio lib. XX. cap. XXI. quod tertii generis Dioscoridi lib. II. cap. CXL. qui ait radicem ex aceto decoctam lepras persanare. Euricio Cordo in Dioscoridem est folio subrotundo.

P. —] Vid. Comp. CXLV.

Cum opus est,] Sententia hæc ita constituatur: Cum opus est, scabiei locus nitro ex aceto fricatur d. e. p.

C C L I V.

Alia Compositio ad idem:] Alia Compositio: Reliqua ex ora libri videntur.

Scammoniæ] Decocta in aceto lepra peruncta tollitur Dioscor. lib. IV. cap. CLXXI.

Astulæ regiæ] hastulæ H. Stephani editio. Marcellus cap. XXX. adspirationis notam iunxit, pariter Plin. lib. XXI. cap. XVII. Varro de ling. Lat. lib. IV: *Hasta, quod stans solet ferri*. Vbi notat Iosephus Scaliger antiquitus sine adspiratione scriptum. Nec dissentiunt libri veteres. Qualiter in Apuleio de Vir. herb. cap. XXXIII. & LIII. Ita S. Paulinus lib. X. de Natali S. Felicis: *Quamq; aqua non poterat, vicit breuis astula flammam*. Quod & Gerard. Ioan. Vossius comprobat De Vitiis Sermonis lib. III. cap. I.

ἀσφόδιλον] H. Steph. ἀσφόδελον. Est enim Dioscoridi lib. II. cap. CXCIX. ἀσφόδελος, *Hastula regia* interpreti. Floribus quippe refert sceptrum.

Glutinis taurini] Plin. lib. XXIIX. cap. XVII: *Glutinum præstantissimum fit ex auribus taurorum, & genitalibus*. Dioscoridi lib. III. cap. CI. ex bubulis coriis, unde ταυροκόλλα & ξυλοκόλλα, Galeno de Comp. med. sec. loca lib. V. cap. VII. κόλλα τεκτονικὴ *gluten fabrile*, quod pellucidum postulat, Dioscoridi quoque laudatum ad eundem usum.

Gluten, hoc] gluten, Hoc e. p. m. Ita Galenus: *glutinum aceto maceratur, & tritis adfunditur*.

C C L V.

MALAGMATORVM] Recte. Duplex enim huiusmodi nominum terminatio apud Charisium lib. I. Institut. Grammatic. de Analog.

ἀγκύλων] Ἀγκύλας *Græci nominant articulos recenti cicatrice contractos*, in-

quit Celsus lib. v. cap. xiix. Qua etiam voce usus Damocrates apud Galenum de Comp. med. sec. gen. lib. vi. cap. xvii. Scribonius vere censet neruorum. Talis enim definitio causalis curationi aptissima. Hinc Ægin. lib. iv. cap. lv. & Actuar. Meth. med. cap. xvi. ἀγκύλη & ἀγκύλωσις *est articulorum distortio siue contractio ob impactos humores aut neruorum aliquam distentionem oborta*; Iulio Polluci lib. iv. cap. xxv. σκληρότης τυλώδης ἐν ἄρθροις; Gualthero interprete, *Durities quædam callosa in neruis*. Ætio quoque Tetr. ii. Serm. iii. cap. lxiv. *impeditus oculi motus ex concretione palpebrarum ad album*.

Piperis grana numero cxl,] Similiter Comp. xxxvi.

Octo] Hac fortassis ratione autor olim singulos numeros more Hippocratico syllabatim scripserat, sicut & Comp. ccxlvi. & alibi; quos librarii postea compendio in notas mutarunt, Henricus Stephanus meliori consilio retinuit.

Succum habentia,] Incisum tollatur.

Admixta contunduntur] Annon, confunduntur, id est in unum coguntur. Sic Plautus Mostell. Sc. iii. Act. i: *una multa iura confundit coquus*.

CCLVI.

Malagma alterum, stomachum,] Malagma alterum. Stomachum, a. i. s. h. &c. adstringit. Aluminis &c. Inscriptio nempe compositioni præmittitur.

Rus] Rhus emendatior Plinius lib. xiii. cap. vi.

Picis Spanæ] pro Hispanæ, veluti Stephanus edidit. Vid. Lexicon.

Olei melini,] Quod ex cotoneis fit, ad stomachi & alui solutionem, itemq; ad pectoris & lateris dolorem, ut refert Dioscor. lib. i. cap. cxxi. atque in unguenta transit, velut autor Plin. lib. xiii cap. i. Nomen ab insula Melo Cycladum una inditum putat Hermolaus Barbarus in Glossemat. Plin.

Cetera & pix] Ruell. & Cratander: Cera. Ald. ac Steph.

CCLVII.

Malagma] Marcellus cap. xxiv. planius: *Malagma ad lateris & pectoris dolorem, & quicquid molestum ex perfrictione est. Bene enim calefacit, & idea ad omnem dolorem prodest*. H. Steph. Malagma, quod pectoris.

Ex perfrictione] Comp. lvii.

Sansuci] Similiter Compos. cclxiix. Marcell. *Samsuci*. Autor Compos. iii. Sampsuci. Scribe, Sampsuchi. qualiter & H. Stephanus. Est enim Plinio lib. xxi cap. xi. *Sampsuchum*, quod Σάμψυχον Dioscoridi lib. iii. cap. xlvii. qui monet folia excalfaciendi gratia misceri acopis & malagmatis.

Iris] Ita Comp. cclxix. H. Steph. itidis. Vide quæ dixi Comp. cxxvi.

Olei cyperi] L. olei cyprii, vel cyprei, ut alibi autor. Cyprinum enim oleum ex Cypro seu ligustro, non è cypero, conficitur. Floribus nempe candidis in oleo communi ad solem expositis. Quod inflammationibus biliosis commode admouebat Adrianus Spigelius, Anatomes & Chirurgiæ Patauii Professor celeberrimus.

Amminæ] Iaminei. Sic Apuleius de vir herb. cap. i. Plin. Valer. lib. i. cap. lxiii.

lib.

lib. II. cap. I. & XXIIX. Quo etiam modo Pub. Vegetius de mulomed. lib. II. cap. XXII. ubi vulgo *ameni*: quem Philippus Beroaldus in Columellam probat. H. Steph. Aminæi. Nec ab iis discedo, verius ita dictum ratus cum Iunio Philargyrio in II. Georg. ab Amineis seu Thessalis, qui suæ regionis vites in Italiam traduxere, quam cum Seruio in II. Georg. aliisque Grammaticis, quia tanquam sine minio seu rubore, quoniam album deprehenditur. Hac itaq; ratione scribendum apud Celsum lib. IV. cap. II. & XIX. itemque lib. V. cap. XIX. ubi cum diphthongo reperitur. Cato de re rust. cap. VII. Amineum minusculum, & maiusculum nominat; Varro etiam de re rust. lib. I. cap. XXV. Minusculum vero Catoni cap. VI. uvam denotat amineam, cuius meminit autor Comp. LXIV. Nec amineum frustra hoc loco additum, quoniam austerum est & siccat, velut autor Æt. Tetr. I. Serm. I. Plin. lib. XIV. cap. II. de vitibus: *Principatus datur Ammineis propter firmitatem, senioque proficientem vini eius ubique vitam*. Porro, Aminæum in Sicilia ab incolis vocatum prodit Galenus de Comp. med. per gen. lib. IV. cap. I. Hoc autem validissimum docet ipse de Antidot. lib. I. cap. III: de quo Maro Georg. II. accipiendus. Nec sine aliqua causa idipsum Macrobii autoritate Falernum putat Franciscus Hotomannus De Regulis Iuris. At Neapolitanum secus aquosum, tenue, austerum, nequicquam acidum, cuius meminit Galenus Meth. med. lib. XII. cap. IV. & quod loco de Antidot. memorato in vicinis Neapoli collibus nasci tradit. Quod de colle Pausilypi interpretatur Franciscus Antonius Caserta de Natura Vini Quæst. VI: qui Attic. I. Qu. IX. fatetur se à cauponibus accepisse nuperis seculis mutatum lucri auiditate, qua sic vites coluntur, ut maiori copia vinum reddant aquosum minusque duraturum. Græcum quoque Pausilypum ostendit Andreas Baccius de Vinis lib. V. Quod sane generosum efficaciter calefacit.

Oleo c. e. t. I.] cum oleo c. e. t. I.

Hoc medicamentum] Sic interpunge: H. m. e. e. secundo: post d. t. e. prodest. Initio e. h. &c.

Secundo] quod Comp. CCLVI. traditum.

Vix inlitum remanet.] Rectius: inlitum vix remanet. Quia diffluit.

CCLIIX.

Iocineris] *Iocinoris*, Henricus Stephanus, itemque Comp. CCLIX. Sic etiam Celsus lib. II. cap. IIX. in vetustissimis bibliothecæ Medicææ membranis. Quod in vulgatis lib. III. cap. XXI. & lib. IV. cap. IIX. legitur *iecinoris*. Plura in Lexico.

Nardi Celticæ] Dioscor. lib. I. cap. VII. hæc additur in malagmata. Nonnullis Romanam dici tradit Quiricus de Augustis in Lumine apothecariorum.

Saliuncæ] Plinius lib. XXI. cap. VII. post Dioscoridem.

Meliloti,] Sic omnes. At scribendum meliloti cum Steph. Nam Theophrasto de caus. plant. lib. VI. cap. XXIII. & Dioscorido lib. III. cap. XLIX. Μελίλωτος, Plinio lib. XXI. cap. XI. *Melilotos*, & cap. IX. *Melilotum*. Ouidius Fastorum lib. IV:

Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amant.

A nobis] Romanis, aut Latinis. Ita de Alexipharmac. lib. VI. cap. I. Dioscorides ῥωμαῖοι, ad suæ nationis discrimen.

Sertula campana] Plin. lib. nuper memorato: *Melilotos ubiq; nascitur, laudatissima tamen in Attica.* Quod etiam Dioscorides obseruauit. Et cap. IX; *In coronamenta folio venit meliloton, quod sertulam campanam vocamus. Est enim in Campania Italiæ laudatissima. Coronas antiquitus ex hac factitatas, indicio est nomen sertulæ, quod occupauit.* Dioscorides tamen ait infirmi odoris.

Ammoniaci thymiamatis] Vid. Lexic.

Cardamomi] Oribasio de Vir. Simpl. lib. II. cap. I. vehementer calidum est, ut adurat, secus quam nobis quod adfertur: siccat eodem autore Synops. lib. II. cap. XIII. & ad unguentorum spissamenta additur, ex Diosc. lib. I. cap. V.

Vno die & nocte] Ita Compos. CCXVII. una nocte & die. Melius Compos. XXXIV. uno die & una nocte: vel, quod placet, Comp. CCLX. die ac nocte.

Dua bes,] Steph. duo bes.

Libra, leuia sunt] libra: leuia sint e. r.

CCLIX.

Quantum colorare possit, ammoniacum] quantum colorare possit ammoniacum, q. t.

Leuefactum] Malo dispessis vocibus, ut Comp. CCXVI. CCLXXIX.

Pastillo mixta, manibus u. s.] Ita libri omnes, Lege, pistillo mixta man. u. s.

Luxum] id est, luxationem.

CCLX.

Item] Idem Ruell. ac Stephanus.

His] Melle nimirum & aceto.

Die ac nocte, ceram] die ac nocte: ceram, t. a.

CCLXI.

Myrobalani] Myrobalanus à Dioscor. lib. IV. cap. CLX. descripta est Ben Arabum, diuersa à myrobalano eorundem, quæ recentioribus prunum antiquis incognitum, nomine à similitudine glandis unguentariæ adsumto, palmæ in Ægypto fructus, autore Plinio lib. XXIII. cap. V. Scribonio autem sermo est de myrobalano Græcorum seu balano unguentariorum, cuius meminit Compos. CXXIX. De qua Martial. lib. XIV. Ep. LVII:

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat, & ex balano.

Capparis radicis] Aridæ corticem lienosis prodesse docet Dioscorides lib. II. cap. CCIV.

Cardamomi] Quid si cardami, ut Compos. CXXIX. Ita vis eius persuadet; quam ibidem patefeci. Nec ea sane in cardamomo deprehenditur. Huic tamen

men est adstringens: quam Galenus Methodi Med. lib. II. cap. XVI. roborando lieni postulat. Ideoque Clarissimi Schipani sententia non inuitus heic admitto, quandoquidem & unguentorum spissamentis utiliter miscetur Dioscoridis indicio lib. I. cap. V.

CCLXII.

Et qualibet] Marcellus cap. XXV. clarius, *ex qualibet c. f.* veluti Compos. c. & CLXI: quamuis & vulgata lectio retineri possit.

Qui ante leniter scarifiant.] Desiderantur in Marcello, & à recentiori quodam hæc esse suadet dictio parum usitata. Legendum forsan scarifentur. Vetus enim Glossa habet; *scarifat*, κατασχίει, σκαριφᾷ, *rado, scalpo, scindo*. Hinc Salmasius ad Solinum ostendit *Scarificare*, & *Scarificatio* non esse Latina; sed *scarifare*, & *scarifatio*. Quod & Vossio placuit lib. IV. cap. XXIV. de Vit. Sermon. Plinius tamen lib. XXIIX. cap. XI. ait: *Reperitur in latere leporis acui os simile: hoc scarificari dentes in dolore suadent.* Et: *in corde equorum inuenitur os: hoc scarificari dolorem demonstrant.* Item lib. XXXII. cap. VII: *Dentium dolores sedantur ossibus draconis marini scarificatis gingiuis.* Colum. lib. VI. cap. XII: *Si sanguis adhuc supra ungulas in cruribus est, fricatione assidua discutitur: vel quum ea nihil profuit, scarificatione demitur.* Et cap. XVII: *Venena viperæ depellit super scarificationem ferro factam herba, quam vocant personatam, trita & cum sale imposita.*

Lauri aridæ pondo duâ] Ruel. & Cratander: duo Ald. & Steph.

Terebinthinæ] Resinas omnes antecedit terebinthina iudicio Dioscoridis lib. I. cap. XCI. Quod Galenus de Comp. med. per gen. lib. III. cap. II. de multiplici usu accipit, non de caliditate. Impedit autem ne medicamentum fiat friabile, ut autor Gal. de Comp. med. per gen. lib. I. cap. XV. Calefacit ac digerit; ex quibus cera ne alterum quidem facit, lib. VI. cap. IIX. quæ nec sola medicamento conciliat temperaturam.

CCLXIII.

Panum] Non. Marcellus: *Panus tramæ inuoluerum, quem diminutiue Panulam vocamus. Tumor quoque inguinum ex formæ similitudine sic vocatur.* Inde *bubo* Italis *Pannocchia*. Celsus tamen lib. V. cap. XXIIX. ait: *Panem, ad similitudinem figuræ nostri vocant.* Sic enim Florentinæ membranæ, ceterique libri scripti, præter eum, cuius mihi copiam fecere patres Tolentini Venetiis, in quo legitur *Panum*, quod & R. Constantinus ad oram notauit. Sed verior consueta lectio. Nam & Varro de lingua Lat. lib. IV: *Panis, quod primo figuras faciebant mulieres in panificio panis.* Cuiusmodi est tumor subrotundus, oblongus, & nonnihil depressus siue latus. De quo Iuuenalis Sat. VI.

— *fœda aspectu ridendaque multo*
Pane tumet facies.

φύγεθλον] Celsus lib. V. cap. XXIIX. Scribonii effatum, nulla ipsius mentione, Græcorum & Latinorum testimoniis prolixe confirmat Ioannes Philippus

In-

Ingrassias de Tumoribus lib. 1. Pag. ccxxv.

Lumborum,] Confer Actuarium Meth. Med. lib. vi. cap. iix.

Baccarum] Hæ namque magis calefaciunt, quam folia. Inte273untur & acopis & unguentis calefacientibus atque discutientibus apud Dioscoridem lib. i. cap. cvii.

CCLXIV.

Corporis articulorum,] corporis, & articulorum. Vid. Ind.

Contunduntur ordine] Contunduntur, ordine quo f. f. pilo ligneo cyprino oleo, q. i. v. f. p: Medicamentum autem oleo cyprino mitigari fatetur Galen. de Comp. med. per genera lib. ii. cap. ii.

In vino subsidit,] Numquid, in imo subsidit, perunctо. Quod facile contingit oleo, dum vetustate crassescit: cuiusmodi est digerens Galeno de Comp. med. per gen. lib. iii. cap. ix. Vini autem nulla heic mentio.

CCLXV.

Contusionem lateris] Hanc aurigis circensibus frequenter accidisse, vel inde colligo, quod Galenus de Fasciis cap. c. Aurigæ titulo continendis lateribus fasciam proponat: cuius schema Comp. ci. exhibui.

Bes: thus] bes. Thus e. b. m. p. v. h. ut cerera contunduntur: ceræ p.

Cera p.] R. & Cr. ceræ Ald. & Steph.

Myrrhæ partem] Adde, sextantem, ut in ceteris. At pro *partem* repone ubique p. ut Comp. cclxvii. exstat.

CCLXVI.

Libram,] libra. Pariter, sextarii duo, ubi legitur sextarios duos. Pondera enim recto casu occurrunt, quotiescunque vulgatum illud Recipit autori familiare non usurpatur.

Solvitur igne: deinde resina,] solvitur igne, deinde resina.

Cera p. ix. adiicitur,] Compendio scriptum forsassis erat p. no. hoc est, pondere noto, vel nominato, quemadmodum Comp. cclxxi. thuris pollinis p. superius dictum: quod imperitus scriptor ad numerum traduxit. Secus enim lectio in libris editis rationi foret absona.

CCLXVII.

Dolorem & tensionem] dolorem, & tentionem. Ruell. & Stephanus.

Axungiæ veteris] Æginetæ lib. iii. cap. lxxiix. placet recens dolori mitigando. Vere, si ingens ille. Alioqui vetustate adeps tenuiorum fit partium, magisque digerit: cui vis est calefaciendi ac emolliendi, veluti aduertit Galenus de Comp. med. per gen. lib. i. cap. iv. Idque citra mordacitatem lib. iv. cap. v.

Cedria] Κεδρία Dioscoridi lib. i. cap. cvi. cedri arboris pix est; Galeno de Simpl.

Simpl. fac. lib. VII oleum. Quod Scribonius heic oleum cedrinum vocat. Galeno tamen resinam affirmat Petrus Bellonius de medic. fun. lib. III. cap. I. pariterque Guilielmus Philander in Vitruuium lib. II. cap. IX. Is vero diserte appellat ἔλαιον.

Aspergitur, ultimum] aspergitur: ultimum nitrum, & asius lapis: phœnicio inducitur. Marcellus cap. XXXV postrema duo verba non habet. Quæ malagmatis usui omnino seruanda innuit Comp. CLX, suadetque ratio. Phœnicio autem inducitur panno siue corio, hoc est, punicei coloris; à phœnice seu palmæ fructu, indicio Galeni Com. II. Sect. XXXIX. Progn. Hippocr. De quo Plautus Pseud. Act. I. sc. II. Hinc ἐπιφοινικίζειν Aristoteli de Coloribus cap. V, Cælio Calcagnino interprete, *in puniceum colorem transire*. Simile quid Adrianus Turnebus, quamuis animi dubius, Aduers. lib. XVII. cap. XVI. recte subolfecit, dignus qui consulatur lib. XIIX. cap. XXIII. & lib. XXIIX. cap. VI. Ita Marcellus Burdegalensis cap. IIX: *lanam phœnicio conuolvas*; & cap. XVI. *stercus inligatum phœnicio*; itemque XXVI. *malagma inductum phœnicio pedibus appones*. Antiquissimum hunc fuisse usum constat ex Dioscoride lib. III. cap. CV, ubi de Alysso: περιαφθὲν δὲ φοινίκῳ ῥάκει, θρεμμάτων νόσους ἀπελαύνει. Vulgares interpretes: *Purpureo linteo circumligata pecorum morbos abigit*. Ioannes Antonius Saracenus: *Panno vero puniceo circumligatum, pecorum morbos abigit*. Recte. Puniceus enim color à purpureo diuersus apud Plautum Menæchm. Act. V. sc. V: *quin tu interrogas, Purpureum panem, an puniceum soleam ego esse, an luteum*. Idemne panno rosaceo significauit Plinius lib. XXIX. cap. IV, quem roseum appellat Pallad. de re rust. lib. I. Tit. XXXV? Lucretio sane *pœniceus color clarissimus multo*. Ista ratione Turneb. Adu. lib. V. cap. XXVI. apud Lucret. lib. II. mavult *pœniceus color*, quam *puniceus*. Quod antiquum monet Gifanius; veluti *Pœniæ* loco *Puniæ*, obseruatione Turnebi Adu. lib. XXI. cap. XXI. qui & lib. II. cap. XVI. notat coccinea sagula, quæ Græcis φοινίκίδες.

CCLXIIX.

Artus: hoc] artus. Hoc Augusta utebatur. Senio confecta, & lecto plerumque affixa, ut autor Tacitus.

Sansuci] Ruell. Samsuci, St. Sampsuci. Scribe Sampsuchi.

Congium,] Congius pendit denas libras. quod insculpta decussis manifestat. Quæ mensura quum nationibus esset varia, Hippocratis de ipsa mentem sibi dubiam iure profitetur Galenus Comm. Sect. XIIX. in Hipp. de victu salubri. At lib. VI. cap. I. de Compos. med. sec. loca tradit, sex Romanos capere sextarios. Octauæ scilicet amphoræ parti æquiualet.

Olei verasri] sic omnes. Quid si veri Afri? Oleum sane Afrum aliis permixtum ad pedum dolorem ponit Plinius de re med. lib. III. cap. XIV. Olei quoque Afri heminam in potione æstiua postulat P. Veget. art. Veter. lib. IV. cap. XXVII. Verius tamen cum Marcello Venafrani. Venafrum enim Campaniæ urbs in sublimi colle, cuius radicem Vulturnus alluit, oleo abundat. Vnde lib. XII epigr. XXIV. Martiali *unctum*. Hodie *Venafri* appellatur. Cuius incolæ Venafrani apud Cic. Orat. pro Cn. Plancio. Quo etiam modo Iuvenal Sat. V.

Tt verf.

vers. LXXXII. ellipsi de oleo.

Ipse Venafrano piscem perfundit.

Planior Horatius lib. II. Sat. IV:

Pressa Venafranæ quod bacca remisit oliuæ.

Oleum porro Straboni lib. V. de Italia laudatum: Οὐενάφρον, ὅθεν τὸ κάλλιστον ἔλαιον. *Venafrum, unde oleum optimum.* quod Galenus de Comp. med. per gen. lib. VII. cap. XIV. ἔλαιον βενάφρανον vocat. Inde Cato de re rustica cap. CXLVI: *Olea pendens in fundo Venafro venibit.* Præstantiam eius indicat Varro de re rust. lib. I. cap. II: *Quod far conferam Campano? quod oleum Venafro?* His accedit Plinius lib. XV cap. II. de oleo verba faciens: *Principatum in hoc bono obtinuit Italia toto orbe, maxime agro Venafrano.* Inde iustum poetæ Venusini desiderium lib. II. Ode VI:

Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet: ubi non Hymetto
Mella decedunt, viridique certat
Bacca Venafro.

Vnguentis id frequens fuisse, indicat Martialis lib. XIII. Ep. XCIIX:

Hoc tibi Campani sudauit bacca Venafri:
Vnguentum, quoties sumis, & istud olet.

In unum] in vino. Quod Marcello etiam placuit cap. XXXV.

Recolare] Malo *percolare*, ut Compos. LXXIII, & indicio Marcelli. Nihil enim antea colatum; nisi hoc ipsum censeat iterandum. Quam pharmacopœi diligentiam non improbo.

Miscere.] Addit Marcellus *conuenit*. Sed huic orationis membro sufficit verbum *oportebit* superius positum.

Stagneo] Stanneo. Quod monui Comp. XXXI.

CCLXIX.

Deferuescit: musti] deferuescit. Musti r. c. q. &c. Vide quæ ad Compos. CXXV notaui.

Congii quinque, in hoc] congii quinque: in hoc & olei Venafri p. l. macerantur res, quæ infra scriptæ sunt, contusæ, e. p. g. f. c. Ruel. & Steph. Pondo quinquaginta.

Piperis nigri p. XL.] Omnes. Recte Steph. piperis nigri ✱ pondo quadraginta.

Calami odorati] Theophrasto lib. IV. cap. IX. hist. plantar. ὁ κάλαμος ὁ εὐώδης; Dioscoridi lib. I. cap. XVII. ἀρωματικός, malagmatis odoris gratia inditur.

Spathæ] id est, palmæ Diosc. lib. I. cap. CLI. & Plin. lib. XXIII. cap. V. & lib. XII. cap. XXIIX. ubi Dalechampius ex Archigene obseruat esse gliscentis palmæ floris inuolucrum, quem veluti vagina gladium recondit, sententia Hofmanni De med. Off. lib. II. cap. CLXIIX. At Spadica, inquit A. Gellius lib. III. cap. XXVI, Dorici vocant avulsum è palmite termitem cum fructu.

Styracis ✱ p. XXVII.] Ruel. & Crat. p. XXIII. Ald. ac St.

Myrrhæ aminneæ] Malo cum Aldo & Steph. aminneæ. Dioscorides enim lib.

lib. I. cap. LXXIII. ait: ἡ ἀμιναία καλουμένα ἀποδόκιμος. *Improbatur aminnea cognomine*. Galeno etiam de Comp. med. sec. loc. lib. v. cap. VII. est σμύρνη ἀμιναία, Iano Cornario interpreti *myrrha aminæa*: quæ Lusitanis *anime*. Galenus præterea de Comp. med. sec. loc. lib. x. cap. I. & de Antidot. lib. I. cap. XIV. μιναίαν, *Minæam* appellat à loco, in quo optimam nasci ferunt: eamque fragrantissimam pronunciat, etiamsi Plin. lib. XII. cap. XVI. secundo loco ponit.

Casiæ Daphnitidis] Ita Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. x. cap. I. κασσίας δαφνίτιδος. Numquid *Casia daphnoides*, Plinio isocinnamon cognominata lib. XII. cap. XX; ubi vulgo *dalphnoides*. Post Dioscoridem lib. I. cap. XII. & Galenum de Antidot. lib. I. cap. XIV. veterinariis Græcis κασία δαφνῖτις. Proinde apud Veget. art. veter. lib. IV. cap. XIII. pro *Casiæ nidafantis* scribendum *daphnitis*. Aldo *Daphnidis*. Omnium pretiosissima à Daphnine aduehebatur, quæ Ptolemæo sinus Arabici insula: quanquam Turnebus Adu. lib. XVII. cap. XVI. nomen traxisse opinetur à nemore Daphnes prope Antiochiam, ubi colligebatur. Oribasius autem Med. Collect. lib. XI. & Ætius Tetrab. I. Serm. II. cap. CXCVI Dioscoridis autoritate sic appellatam tradunt à mercatoribus Alexandrinis, quæ fuluescens pulcri coloris coralii similis. Eadem fortassis autori Comp. LXX Ruffa. Dioscorides affirmat conuenire malagmatis.

Sertulæ campanæ] Hæc adstringit, omnemque inflammationem emollit, eodem autore lib. III. cap. XLIX.

Aspalathi] Aspalathus, Plinio Valer. lib. II. cap. XVII perperam *Asphaltus*, & P. Veget. lib. I. cap. XIX *Asfaltus*, Melchiori Guilandino Epist. III. *Acanthus*, ad fluxiones confert, quoniam acris & adstringens Æt. Tetr. I. Serm. I. Oribas. Coll. med. lib. XV. cap. I. & lib. II. de Virt. Simplic. cap. I. pariterque Æginetæ lib. VII. cap. III. ex Galeno de Simpl. med. fac. lib. VI; qui de Comp. med. sec. loca lib. IIX. cap. VII. addit concoctorium esse pharmacum, & quod puttefactionem corrigit. Dioscor. lib. I. cap. XIX. scribit unguentarios aspalatho uti ad spissanda unguenta. Theophrastus etiam histor. plant. lib. IX. cap. VII. inter ea numerat, quæ unguentis adhibentur.

Stagneo] Stanneo Henr. Steph.

Signare,] Quod *obsignare* Ciceroni lib. XVI. Ep. XXVI. ad Titonem. More chymicis noto, quem isti sigilli Hermetici titulo iactant, nihil quidem aptius medicamentorum conseruationi. At soli vitro conuenit. Vas itaque cera & anulo signabatur à medicis. Ita Iulius Pollux Onomast. lib. x. cap. XLVI. ex Amphiarao Aristophanis: Καὶ τοὺς μὲν ὄφεις, οὓς ἐπιτίμνεις, ἐν κίστῃ τινὶ κατασημήναι, καὶ παῦσαι φαρμακοπωλῶν. Rudolphus Gualtherus vertit: *Et serpentes, quos insculpis, in cista aliqua obsignare, & relinquere pharmacopolis*. Quod sane miror neglexisse Georgium Longinum, qui de Anulis signatoriis antiquorum cap. XI. cetera olim sigilli custodiæ credita diligenter exposuit. Locus autem poetæ nobis desideratur. Cuius mentem non videtur mihi satis adsequutus interpres, quandoquidem ἐπιτέμνειν *incido*, non *insculpo*, quod γλύφω. At quorsum angues insculperentur, nisi ad superstitionem? Quanto magis conueniebat in frusta incisos ad auertendam fraudem obsignare, ut vendendi præberentur. Planius itaque sic ille redderetur: *Et serpentes, quos incidis, in cista quadam obsigna, ac desiste medicamentum componere*. Infinitum quippe Atticorum mo-

re Participio exprimitur. Vero nempe similius opinatur Gulielmus Sohierus acris vir ingenii ac illustribus disciplinis eruditus legendum esse φαρμακοπωλῶ. Quid enim cessaret venum exponere? Neque ab ea coniectura Græcarum literarum eximius cultor Ismael Bullialdus recedit: cuius amici candori plurimum tribuo. Domesticam quoque supellectilem sic reconditam fuisse indicat Plautus Amphitr. Act. I. Sc. I: SO. *ubi patera nunc est?* MER. *Est in cistula, Amphitruonis obsignata signo*. Getatdus Vossius de vitiis Sermonis lib. III. cap. XII. proinde pulcerrimam Ioachimi Abbatis in prologo Apocalypsis sententiam vere legit: *Domum illam spiritualem, in qua multis obserata signaculis scripturarum intelligentia clausa est, intrare satagimus*. Ecquid enim, velut hactenus editum, *multis obscerata firmaculis*?

Ne vires euanescant.] Græcis eleganter ἀδιάπνευςον, *quod non potest exhalare*. Qua de causa etiam vas adplumbatum exigitur Comp. CLXXI. Aromata quippe tenuium sunt partium, sicut indicauit Galen. Art. med. cap. XCV. itemque de Comp. med. sec. loc. lib. VII. cap. VI. Aquæ etiam distillatæ odor aliquis exhalat, vitro diligentissime clauso: quod crystallo est longe rarius. Sed quoniam nulla est, quæ non habeat aduersantem sibi sua specie similitudinis malignam professionem, ut scite Scribonius Comp. CXCIX. prudenter Marcellus epistola ad filios altiorem mihi videtur securitatis rationem iniisse: *Quæ confecta fuerint vel parata medicamina sub signaculis semper habeantur, ne aut casus incidat, aut malignitas alicuius obrepat, quæ beneuole & sincere parata corrumpat, sitque de remedio venenum, & de salubritate pernicies, culpeturque medicina, quum peccarit incuria*.

Post dies triginta coniiciuntur macerata:] An, proiiciuntut, vel eiiciuntur? Sic videtur, quandoquidem solum oleum reponitur. Qua ratione Marcellus bene, *p. t. d. colantur macerata*: nisi legendum, veluti Compos. CCLXXI, coniiciuntur in vas. Quod mihi verisimile.

Fictili vaso: cuius] fictili vaso. Cuius o. v. &c.

CCLXX.

Acopum] Simile quidpiam innuit Pindarus Ode IV. Pythiæ:

σὺν δ' ἐλαίῳ φαρμακώσαισ' ἀντίτομα στερεᾶν ὀδυνᾶν,
δῶκε χρίεσθαι.

Simul cum oleo vero ubi miscuisset remedia durorum dolorum, dedit ut ungeretur.

Superiores enim boni] Lego. Res enim supetiores boni sunt odotis. Medicamenta quippe hac dictione crebro significantur. Dilucidior tamen Marcellus, quodque heic etiam ptobo, sine parenthesi: *Nam illud superius boni odoris est*. Ammoniacum puta Dioscoridi lib. III. cap. XCIIX. κασορίζον τῇ ὀσμῇ, *castoreum odore præsentans, vice acopi*.

Hyssopi] Colorem probum corporis tueri testatur idem lib. III. cap. XXX; & lib. II. cap. XCV. laudatissimam ceruí medullam. Opopanax autem bono consilio additur. Quamuis enim atque galbanum acopis æque conueniat iudicio Dioscoridis lib. III. cap. LV: Galenus tamen de Comp. med. per gen. lib. VII.

cap.

cap. III. optime aduertit Opopanacem digerendo, galbanum molliendo & maturando præcellere. Vtrumque vero serpentibus aduersum refert Dioscorides loco memorato, & cap. XCVII.

CCLXXI.

Fere] Matcell. cap. XXXV. *semper* addit.

Augusta,] quæ extremam attigit senectam, autore Tacito Annal. lib. IV. Auiam vero Caius Augustam dici iussit Dione teste lib. LIX.

Antonia] Antoniæ Augusti ex M. Antonio Triumuiro & Octauia maiore neptes fuere binæ, maior & minor cognomine. Scribonius haut dubie illam indicat, quæ vicinior Liuiæ Augustæ. Antonia vero minor fide Suetonii Claud. cap. I. & III, atque Taciti Annalium lib. XI. mater Claudii, cui liber hic dicatus.

Visæ sunt, facit a. p. e. n. d.] Marcell. *usa sunt. Facit a. p. e. n. d.* Vtroque modo res plana.

Adipis porcinæ sterilis] f. porcæ. Nam & Marcellus, *de porca sterili.* Plin. lib. XXIIX. cap. IX. affirmat suem feminam efficaciorem, & quæ non peperit.

Vini veteris congium unum, aut sextarios tres, non nimis contusa ponderis huius.] Legendum puto: vini veteris congium unum, & scriptas res non nimis contusas ponderis huius: vel, si recepta lectione standum; vini veteris congium unum, & sextarios tres; non nimis contusa ponderis huius. Nimirum sumere oportet. Disiunctiuam enim particulam vix admittit Compositionis ratio; quandoquidem congius medius, cui respondent sextatii tres, quorum viginti uncias capit quilibet, non sufficit ceteris tebus, quæ excedunt quinque libras, iterato coquendis & percolandis.

Xylocinnami] Xylocinnamomi. Est enim Dioscotidi lib. I. cap. XIII. ξυλοκιννάμωμον lignosum cinnamomum virgultis longis robustisq; præditum, cinnamomo longe inferius, quod unguentis pretiosis admiscetur. Nec tamen cinnamomi lignum, veluti Plinius credidit lib. XII. cap. XIX: *Ipsum lignum in fastidio est propter origani acrimoniam: xylocinnamomum vocatur.*

Cyperi] Cyperus, iuncus odoratus, & rosæ aridæ medicamento odorem concitant Galeni monitu de Comp. medic. sec. loca lib. I. cap. V.

Coronas] Plectiles intellige. De quibus Turnebus Adu. lib. XIIX. cap. XXIX. & Mercur. Variar. lect. lib. III. cap. IX. Cuius generis πλεκτὸς εἶρος Isaaco Casaubono Animadu. in Athen. lib. II. cap. X. In quam sententiam Domitius Calderinus mentham tortam apud Martialem lib. XIII. Ep. XXIIX. interpretatur. Tertullianus etiam de Corona milit. scribit, *Coronam fascem florum per seriem comprehensorum.* Diuersæ enim herbæ coronis olim intexebantur: quarum bonam partem recenset Artemidorus Oneirocrit. lib. I. cap. LXXIX: ubi & melilotum commendatur medicis; quod Scribonius Comp. CCLIX Sertulam campanam fatetur: itemque Plin. lib. XXI. cap. IX. Inde coronæ pancarpiæ, ex omni florum genere. Quas Catullus venuste circumscripsit Carm. LXV:

— princeps è vertice Pelii
Aduenit Chiron portans siluestria dona.

Nam

Nam quoscunque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Fauoni,
Hos indistinctis plexos tulit ille corollis.

Ita Corynthii in ludis Isthmiis victores coronabant selino siue apio, velut in Theriacis Nicander notauit. Veteres quoque in conuiuiis corona ex hedera siue rosa usos innuit Gal. de caus. Procatar. cap. 1. qui & cap. 1. lib. de remed. paratu facilib. aduersus capitis dolorem ex polygono, callitricho, & verbenaca præcipit contextis duobus ramulis coronam imponi. Plin. Valerianus etiam lib. 11. cap. XXXIIX coronam roseam siccam præscribit. Leuior proinde istius apud Diogenem Laertium lib. VI. iocus, qui has verius exigit infra nares, quod fragrantiæ vapor non tam descendat, quam ascendat. Illas vero exiles fuisse, numerus hic indicat denarius. Qua etiam ratione Marcellus corollas nominat: quanquam & cap. x. sertulæ campanæ coronæ ponuntur. Verticem quippe solum, velut apud Germanos hodie, ambiebant. Diserte hanc in rem Apuleius Metamorph. lib. XI: *Corona multiformis variis floribus sublimem districxerat verticem.* In Legibus autem XII Tabulatum Coronæ longæ, quibus olim aræ, busta, sepulcra, sellæ curules, theatra, & currus triumphales decorabantur, hodie templa, & palatia; quæ Italis *festoni*, à festiuitate, cui potissimum debentur; Encarpi Vitruuio Architect. lib. IV, cap. 1: qui earum effigie in marmoribus insculpti etiamnum in antiquis operibus conspiciuntur. Earum hanc originem tradit Festus: *Donaticæ coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ postea magnificentiæ causa institutæ sunt super modum aptatum capitibus, quali amplitudine fiunt, quum lares ornantur.* Huius generis lemniscatas cum eruditissimo Cunrado Rittershusio vix affirmabit puto, qui vultus Imperatorum in nummis antiquis diligenter considerauerit. Nam & rotunda his laurea caput arctat, ex qua in ceruicem fasciola dependet. Quandoque tamen illud Artemidori Oneirocr. lib. IV. cap. 1. non inuitus admisetim: Ὅσα κοινῶς τις λέγῃ, καταχρηστικῶς τοῖς ὀνόμασιν. *Quum communiter quis loquitur, nominibus abutilicet.*

Posteroque & tertio die cum inferuefiunt,] Expeditior heic Marcellus: *posteroq; die iterum inferuefiunt, reconduntúrq; eodem modo: tertio die rursus* &c.

Colantur per linteum,] Galenus de Comp. med. sec. loc. lib. IX. cap. IV. colat per saccum.

Ex iunco] Ita Columella lib. XII. cap. VI. pro dura muria exigit sportam iunceam, vel sparteam: identidem cap. XVII: *in iunceis fiscellis, vel sparteis saccis percolant*, & cap. XIX. iubet cola iuncea vel spartea fieri ex crudo, id est non malleato, sparto. Eiusmodi coli speciem inuersæ meræ similem ex Columella ostendi Comp. CXXII. quam sepiasia cum grege barbaro Manicam Hippocratis vocat. Vrnas sparteas & amphoras, nerumpantur, desiderat Cato de re rust. cap. XI. Colum. lib. XI. cap. II. reticulum iunceum. Palladius etiam lib. III. Tit. XXVII. de vino myrtite: *palmea sporta colabis*: quam lib. IV. Tit. X. palmeam fiscellam dicit. Hoc modo D. Hieronym. ad Rusticum monachum Ep. IV: *fiscellam texe iunco*. Eius forsan operis apud Petronium Vimineæ lances, quamuis Iosephus Gonsalus ligneas potius intelligat.

In

In nouo vaso conicitur] Sic Ruell. & Crat. Ald. & Steph. vase. fortassis in nouum vas coniicitur. Quod Marcellus etiam habet.

Vini eiusdem recentis] id est, vini veteris recens promti. Varro de ling. Lat lib v: *Nouum vinum vetus bibo.* Mercurialis tamen Var. lect. lib. I. cap. VII. recentatum interpretatur, nempe, vinum vetus musto vel lixiuio vel tortiuo mixtum, & quasi renouatum, quod caupones pro vetere vendidisse tradit Galenus De cibis boni & mali succi.

Contusas nec cribratas.] contusas, nec cribratas.

Cumami] Ita Comp. CXXVI. & CXLIV. Lege, cinnami.

In nocte] f. in noctem id est, versus noctem. Qualiter Celsus lib. VII. cap. XXVII.

Idem in postero die, cum inferuefacta fuerint, percolanda erunt in cacabum priorem pertusum:] Ita omnes libri. Marcellus planior: *Idem & postero die fieri oportebit, tertia die cum feruefacta fuerint omnia, percolanda erunt, & transferenda in cacabum priorem pertusum.* Huic tamen leui permutatione atque interpunctione autor similis erit. Itidem in postero die, cum inferuefacta fuerint, percolanda erunt in cacabum priorem pertusum; f. a. d. &c. Talem vero cacabum heic necessarium, paulo ante dicta manifestant, & quæ subsequuntur.

Atque ubi se congelauerit adeps, extrahendum erit spissamentum &c.] Marcellus verborum ambitu clarior videtur: *atque ubi congelauerit se adeps, extrahendum obturaculum erit, & spissamentum remouendum, ut vinum omne effluere possit. quod cum defluxerit, adeps, vel medicamentum quod resederit, vase stagneo uno, vel pluribus diligenter opertis & adplumbatis reponatur.* Scribonius tamen, demta particula *quod*, facili interstinctione satis perspicuus erit: atque ubi se congelauerit adeps, extrahendum erit spissamentum. quum vinum omne fluxerit, quod supererit adiice. Vase st, &c. H. Steph. quod cum vino omne fluxerit. Nimirum, adipe congelato extrahendum erit spissamentum, quo vas obturatur, sicuti Columellam interpretatur Adrianus Turnebus Adu. lib. XVII. cap. XVII; vel, postquam effluxit vinum, addendum erit spissamentum. Veteres enim spissabant unguenta, quo illinirentur commodius; etiam ad conseruationem diuturniorem, ut autor Galenus de Comp. med. per gen. lib. II. cap. II. Cuiusmodi spissamentum Plin. lib. XIII. cap. I. *corpus* dixit, & *stymmata*; Galenus itidem σύμματα, de Comp. med. sec. loca lib. III. cap. I; Columella de re rust. lib. XII. cap. XLVI *crassamentum*.

PERORATIO] Titulus hic recentioris manu additus videtur, nec Indice notarus. Clausula vero summam præ se fert ingenuitatem.

Facienti scio paucas:] facientes scio. Paucas; sed valde paucas ab amicis, quibus æque ac mihi credo, acceptas adieci: quas cum iureiurando adfirmauerunt sese ipsos expertos esse, & bene facientes scire ad vitia quæ scripta sunt.

Initio] sub finem Proloquii.

Respondere:] respondere, propter corporum varietatem, &c.

Eadem enim res] Eædem enim res, non similiter dispositis corporibus; vel, in dissimiliter d. c. aut, quod verisimilius, omissa priori negatione: Eædem enim res, dissimiliter dispositis corporibus, non possunt eosdem effectus exhibere. Hæc autem, quæ singulis inest, corporum proprietas, Gale-

no

no Meth. med. lib. III. cap. II. ἰδιοσυγκρασία: qui de Arte curat. ad Glauc. lib. I. cap. I. vere monet, non posse propriam singulorum naturam describi. Inexplicabilis enim singularis temperamenti ratio philosophis & medicis ἰδιότης ἄῤῥητος. Hippocrates tamen Epid. I. sect. III. Text. III. affirmat, morbos etiam ex natura cuiusque propria dignosci. At clausa interiore sacratio naturæ arcana plerumq; aciem humanam effugiunt, & in notitiam nostram perducuntur experientia, cuius munere inuenta esse remedia fatetur Galenus Comm. I. Aphor. I. Hipp; & de Loc. aff. lib. III. cap. II. se non minus ea profecisse, quam indicatione logica: ut iure Scribonius ad ipsam prouocet. Verissimum nempe Theocriti oraculum est Idyll. xv:

πείρᾳ θὴν πάντα τελεῖται.

AVctario exterendus tandem interpretis nævus. Galeni de Comp. med. sec. loca lib. IX. cap. IV. verba sunt: φοινίκων πατητῶν μεγίστων. Ianus Cornarius vertit: *palmularum passarum maximarum, quas Græci patetos appellant*. *Patetos* rectius posuit, quam *passarum*. Palma enim istæc peculiaris est, non passa. De qua Plinius nat. hist. lib. XIII. cap. IV. ubi de Palmis: *Tertium ex his genus pateton, nimio liquore abundat, rumpitque se pomi ipsius etiam in sua matre ebrietas, calcatis simile.* Pomum igitur dehiscens calcato simile hanc ei appellationem peperit.

SEN-

SENTENTIÆ.

Medicamenta diuinum munus. ex Herophilo. Prorsus enim quod tactus diuinus efficere potest, id præstant medicamenta usu experientiaque probata. Ep. Pag. 1.

Spernendi sunt, qui medicinam spoliare tentant usu medicamentorum: probandi autem qui omni modo succurrere periclitantibus student. Ibid.

Qui crimine inuidentiæ flagrant, quod malum cum omnibus animantibus invisum esse debet, tum præcipue Medicis, in quibus nisi plenus misericordiæ & humanitatis animus est, secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus Diis & hominibus inuisi esse debent. Idcirco ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, qui sacramento Medicinæ legitime est obligatus: sed persequetur eos, cum res postulauerit, ut miles & ciuis bonus omnimodo. Pag. 2.

Quia Medicina non fortuna neque personis homines æstimat, verum æqualiter omnibus implorantibus auxilia sua succursuram se pollicetur, nullique unquam nocituram profitetur. Ibid.

Qui nefas existimauerit spem dubiam hominis lædere, quanto sceleftius perfecte iam nato nocere indicabit. Pag. 3.

Scientia sanandi, non nocendi, est Medicina.

Quasi per gradus quosdam Medicina laborantibus succurrit. Ibid.

Mendacio pro argumento uti.

Non deterreor persona, quum rem manifeste prodesse videam. Ibid.

Commentum de maximo autore medicinæ genere quodam parricidium ac sacrilegium est. Pag. 4.

Vltimæ fortis est medicus, qui non ad singula quæque vitia binas ternasue compositiones & expertas protinus paratas habeat. Ex Asclepiade. Pag. 4.

Sunt quidam qui pluris omnia quam seipsos æstimant.

Itaq; sublata est studendi cuique necessitas, & non solum antiquos autores, per quos consummatur professio, quidam ignorant, sed etiam comminisci falsa de his audent.

Vbi enim delectus non est personarum, sed eodem numero malus bonusque habetur; quod sine labore potest contingere, idem dignitatis utilitatisque præstare videtur posse; unusquisque id magis sequitur. Ibid.

Magnum & supra hominis naturam duximus, posse aliquem tueri, & recuperare suam & uniuscuiusque bonam valetudinem. Pag. 5.

Oportet enim copiam earum [compositionum] selectam habere. quoniam reuera quædam quibusdam magis, & non omnes omnibus conueniunt, propter differentiam scilicet corporum. Pag. 6.

Simplicia interdum efficaciora sunt, quam ex pluribus composita medicamenta. Ibid.

Quæ extra medicinæ professionem cadunt, profuisse quibusdam visa sunt. Comp. 17.

Compositiones divulgatæ quia efficaces sunt, etiam pluribus in notitiam veniunt. Comp. 38.

Medici negligentes in ancipiti casu hominum merito culpandi. Comp. 84.

Quis aduersus veritatem hiscere potest?

Magis custodiendi sunt (medici) qui pollicentur salutis custodiam uniuscuiusque se facturos.

Inertes & negligentes necessaria quidem ad conseruandam vitam humanam, quæ per aliorum laborem reperta sunt, studeant scire. Ibid.

Potentior usus Ratione est. Comp. 103.

Quod non est in nostra potestate si casu inciderit, remedium habere oportet ad tantæ rei experimentum. Comp. 172.

Propria remedia interdum melius aduersus quædam, quam Antidotos, faciunt. Comp. 178.

Medicamentorum malorum ponderis scientiam Medicus

nec

nec quærere, nec nosse debet, nisi Diis hominibusque inuisus merito esse vult, & contra ius fasque professionis egredi. Comp. 199.

Nulla ars est, quæ non habeat aduersantem sibi sua speciae similitudinis malignam professionem. Ibid.

Implicitas medicinæ partes inter se & ita connexas esse constat, ut nullo modo diduci sine totius professionis detrimento possint. Comp. 200.

Amicis æque ac mihi credo. Peto rat.

Eadem medicamenta in iisdem vitiis interim melius deteriusue respondent, propter corporum varietatem, differentiamque ætatum, temporum, aut locorum.

Eædem enim res, non similiter dispositis corporibus, non possunt eosdem effectus exhibere. Ibid.

CAVTIONES.

IN dolore capitis, ubi concaluit quod infusum est, nisi aliud recens adiiciatur, nocet. Comp. 1.

Quum primum quis partem senserit obstupescere, remoueatur remedium torporem inducens, ne sensus eius partis auferatur. Comp. 11.

In suffusionibus non sunt inungendi medicamento acri, qui Capitis dolorem, aut grauitatem habent. Comp. 38.

Quum exesus est aliqua ex parte dens, tum non suadeo protinus tollendum, sed excidendum scalpro medicinali qua cauatus est. Quod sine ullo fit dolore. Reliqua enim solida pars eius & speciem & usum dentis præstabit. C. 53.

In medicamento ex lepore marino præcipere oportet, ne quis hoc medicamento manus inquinet, aut inquinatas, prius quam lauerit, ad os referat. Comp. 80.

Oportet eodem die acetum non gustare, quo symphyti radix deuoratur. quia huius radicis effectum resoluit. C. 83.

Oportet extra sentienti vulnus eo loco spongiam ex aqua recenti imponere, vel ex aceto acri, ac frequenter muta-

re, ne concalefacta noceat: & vetare artus constringere: quod plerique medicorum faciunt, ignorantes quod incitatur sanguinis eruptio musculorum compressione. Comp. 74.

Merito itaq; manifeste quidam iugulantur genere quodam incitata eruptione sanguinis ab eiusmodi hominum imprudentia. Ibid.

In Podagra subinde omnia mutare oportet, prius quam excalefiant. Comp. 158.



IOANNIS RHODII
L E X I C O N
SCRIBONIANVM.

IOANNIS RHODII
LEXICON
SCRIBONIANVM.

A


A rheda, Compos. 101. pro, De, vel è.

A nono die. 13. id est, post nonum diem. Ita Celsus lib. 3. cap. 5. *à primo die*. lib. 8. cap. 5. *à tertio die*. & 7. in omnibus libris MSS & excusis præter Simonis Silvii & H. Steph. editionem, lib. 2. cap. 8. *à septimo die*. lib. 8. cap. 4. *à sexto die* cap. 9. *ab uno & vigesimo die*. Item lib. 3. cap. 6. lib. 6. cap. 6. *à balneo*. lib. 2. cap. 7. *à partu*. lib. 7. cap. 26. *protinus ab ipsa curatione*. Columella lib. 1. cap. 13. *tribus diebus à proscissione*. lib. 2. cap. 10. *ab his legumınibus*. id est, post hæc legumina. Item: *ab solstitio*. id est, post solstitium. lib. 2. cap. 30. *à concitatione*. lib. de Arbor. cap. 10. *à bruma*. Liuius lib. 5. *A secundis rebus magis etiam insolito cauti*. Plin. nat. hist. lib. 14. cap. 9: *Passum à Cretico Cilicium probatur*. Plin. Valer. lib. 2. cap. 34. *à penna*. id est, postquam penna illeueris. P. Veget. lib. 3. cap. (78.) 81. *à cibis*. id est, post pabulum.

A quo. 134. id est, de, vel ex quo. 209. id est, post quod.

à somni tempore. 180. id est, post somni tempus.

à balneo. 134. id est, post balneum.

Ab oleo, vel ab aqua mulsa. 184. i. e. post ol v. a. m.

Ab ore sanguinem exspuere. 193.

Ab stomacho reiicere. 191. id est, ex. ut 193.

Abalienata pars. 227. De hæmorrhoide. *Sic* alienum ossis. 201. quod corruptum siue alteratum. Celso lib. 5. cap. 26. & lib. 7. cap. 16. lib. 8. cap. 10. Alienari, est alterari siue corrumpi, & occupari cancro. Quæ mente Marcellus Burdegalensis c. 11: *ulcera abalienata in veretris*. Romanæ Stoæ princeps eleganter Ep. 89: *Tunc incipit medicina proficere, ubi in corpore alienato dolorem tactus expressit*.

Abalienare sensus. 180.

Abditum vesica. 132. id est, inditum vesicæ.

Abducenda potio. 122. id est, bibenda; non, quod putant quidam, ab igne remouenda.

Abducere membranas. 37. Quo etiam modo legendum apud Marcel. cap. 8. ubi est *adducere*.

Abortus. 121. Colum. lib. 7. cap. 6. Plin lib. 28. cap. 9. Non. Marcellus: *Abortus fit in primis mensibus, cum conceptui exordium factum est; Abortus prope tempus pariendi*. Apud Lactant. de opificio Dei cap. 12. *Abortio*, post Plautum Trucul. A. 1. S. 2. De priori Hippocr. in Iureiurando. Quem autor visus heic imitari. Operis namque initio eleganter dicit *spem dubiam hominis*. Barthius tamen Aduers. lib. 38. cap. 15. ex MS. Lexico Terentiano mõstrat Aborsum vix Latinum esse.

Quis autem paulo humanior eiusmodi plura huic Marcello non ignoscet, qui ingentem errorum thesaurum hactenus incautis promsit?

Abrasa corpora 215. Oribasii interpres de morb cur. lib. 3. cap. 18: *cutis abrasa non est amputanda, sed in suum locum restituenda*. Cels. lib. 5. cap. 26. de cur. Gangr. *ubi derasum aliquid est*.

Abrotanum. 78. Abrotonum. 167.

Abscisio vocis. 72. 100. id est, interceptio, venusta similitudine. Qua etiam usus Ioannes Andernacus interpres cap. 14. Introductionis, quæ Galeno adscribitur. Cæl. Aurelianus lemmate cap. 6. lib. 2. Chron. *Vocis amputatio, quam Græci Phones apocopen vocant*. Apulei. de vir. herbar. cap. 131. *abscindit fluxum*, id est, minuit.

Abscissus sonus vocis. 74. Sic Ianus Cornarius interpres Ægin. lib. 3. cap. 28. *Ad vocem abscissam*. Itemque Ioan. Baptista Rasarius Oribasium vertit de loc. aff. curat. lib. 4. Lemmate cap. 76.

non absimilis gustus. 186.

Absinthium potum cum vino. 192. Vulgo vinum absinthites. Nonius Marcellus: *Absinthium, & Absinthius*. Ita Græci Ἀψίνθιον, Diosc. lib. 3. cap. 26. & ἄψινθος D. Ioan. Apocal cap. 8. ver. 11.

Absinthii succus. 227.

Abstinere. 6. de Inedia; veluti Celsus *abstinere & continere se debet*. lib. 3. cap. 4. 7. lib. 6. cap. 7. & 17. *tentandum est, ut abstineant*. & lib. 7. cap. 14. Item Columella lib. 8. cap. 5. qui lib. 6. cap. 7. de boue; *abstineadus cibo*. Cels. lib. 3. cap. 4. *à cibo*. Plin. lib. 18. cap. 4. *abstinere cibo omni*. Sen. Ep. 70. *abstinere cibo*. & Ep. 75. *abstinendus sum*.

Abstinere detractione sanguinis, 22.

Abstinere ab omni re. 122. scilicet se, Franc. Sanct. Minerv. lib. 3. cap. 3. Quo modo Cornelius Nepos in vita Pomp. Attici cap. 31. *Abstinet se illare*: Arusianus Messus MS in Exemplis elocutionum, apud Clericos Regulares Neapoli. Cuius loco in quibusdam codicibus perperam Cornelii Frontonis nomē scriptum observauit Nicolaus Heinsius; Cicero ad Familiar. lib. 7. Ep. 26: *me ostreis & murænis facile abstinebam*.

Abstinentia ab omni re. 52.

ab aqua. 105.

Abundanter. 22. 46. id est, copiosè.

Abundantius. 193.

Abundans lacrima, 24 id est, defluens, Lucret. lib. 4.

— quidquid de rebus abundat, Quod iaculentur:

Eleganter ab undando notauit Barth. Adu. lib. 19. cap. 15.

Abundauit sanguis per nares. 47.

Abundare saliua. 104.

Acaciæ. G. 113. 115. 170. 247. 248. 256.

Acaciæ chylisma, 23.

succus, 41. 85.

Petron, *Acaciæ uini*.

Acetum acre, 41. 260. Cels. lib. 4. c. 9. *acerrimum*.

& *quam acerrimum* lib. 6. cap. 7. 1. Apul. de vir. herbar. cap. 53. P. Veget. de te veter. lib. 1. cap. 13. lib. 3. cap. (66.) 69.

Acetum scillites, quod vocant. 76. *scilliticum* Columel. lib. 12. cap. 34. Apul. cap. 85.

aceti scillitis. 175.

Acetum infectum. 196.

intritum, 201. Colum. lib. 12. c. 40. *fecem intritam macerari finito*.

Accedit dolor, 162. i. e. inuadit. Cels. lib.

MS Vatican. *Aiuga.* etiam Cornianii membranæ, & edit. Venet. an. 1468. & 72. In quibus legitur: *Chamæpitys Latine Aiuga appellatur. diciturque propter abortus ab aliis thus terræ.* Edit. Ven. 1468. habet *vocatur.* Meliori ordine: *chamæpitys Latine Aiuga appellatur propter abortus, diciturque ab aliis thus terra.* Apuleius de vir. herb. cap. 27. *Abiga Italis. Ibiga* (Aldo *Ibica*) quoque vocatur: officinis *Iua.*

Alæ palumbi. 16.

Albicantes commissuræ dentium. 184.

Albicare est candorem spargere. Inde Horatius Carm. lib. 1. Ode 4.

prata canis albicant pruinis.

Quod satis crispa flexione factum notat Martianus Capella Rhetor. lib. 5. cap. de Elocutione.

* Albor oui. 24. Robert. Steph. Varroni adscribit. Est & apud Pallad. lib. 11. Tit. 14. Cæl. Apic. de re culin. lib. 1. cap. 1. Plin. Valer. lib. 1. cap. 16. & 19. lib. 2. cap. 16. & 57.

Album oui. 26. Cels. lib. 6. cap. 6. lib. 7. cap. 7. lib. 8. cap. 10. Plin. lib. 20. cap. 11. P. Veg. lib. 2. cap. 17. Plin. Val. lib. 1. cap. 16. & lib. 3. cap. 1. Vulgo *Albugo. Albumen* Cæl. Aureliano. *Albumen oui,* Yuo Villiomarus lib. 1. Animadu. 20. in Loc. controu. Titii *ex ouis.* Cels. lib. 4. cap. 15. & 20. *Ouorum albus liquor, separatis vitellis* Colum. lib. 6. cap. 38. *Ouorum candidus liquor* Plinio lib. 28. cap. 7. *Albumentum* P. Veget. lib. 2. cap. 57.

Albis ouorum temperatus clyster. 154. T.

* Ἀλεξιπύρετος compositio. 95.

Aliæ ab aliis adiuuantur. 200. Medicinæ partes.

Alienum est. 201. id est, corruptum. Cels. lib. 7. cap. 16. de Intestinis; *momento alienantur.*

non alienum iudicare. 135. id est, præter institutum.

erit 10. est. 47. 52.

Alienatio. M.

Alioquin. 102. 130. 170. alioqui. 121.

Aliquis. 122. 186.

Aliquoties. Ep. p. 82.

Alligata pyxis. 80. id est, obligata, *zugebunden.*

Alligatum vas. 269. id est, ligatum. Qua formula usus Cicero de Diuinat.

Alligatur medicamentum fascia. 132.

Alligatura. 209. Colum. lib. de Arb. cap. 8. id est, Ligatura. Liu. lib. 7. *alligare vulnus*, pro obligare. Pallad. lib. 6. Tit. 2. *viticulæ alligentur.*

Aliud efficacius medicamentum. 71. 79.

Aliud mortarium. 23. id est, diuersum.

Allium. 174.

Allii candidi spicæ capitis. 231. Cato cap. 70. & Colum. lib. 6. cap. 4. lib. 11. cap. 3. Adrianus Turnebus Aduersat. lib. 8. cap. 2: *eorum, quæ bulbosa radice constant in nucleos diuidua, nuclei spicæ vocantur.* Inde Spica Italis *spigetto d'aglio.* τῆς κεφαλῆς τοῦ σκορόδου τὰ ὦτια. Capitis allii auriculæ. Plin. lib. 19. cap. 6. *Nuclei.* P. Veget. art. veter. lib. 1. cap. 2. *Capitella.* cap. 56 *capita.* lib. 2. cap. 58. lib. 4. cap. 9. Plin. Valer. lib. 2. cap. 30. 59. lib. 1. cap. 8. *grana.* Veget. lib. 3. cap. 2. *spica.* *Allii spica* Cels. lib. 4: cap. 4.

Alluit mare. 162.

Aloe 23. 31. 113. 115. 135. 206. Plin. Valer. lib. 2. cap. 14.

Aloe Indica. 21.

Altera Arteriace. 74.

Alter pastillus. 86.

Altercatio verborum. 181.

Alterum malagma. 256. id est, secundum.

ctum

C

nere neutro. Quod tamen minime imitandum monet Prisc. lib. 5. Hoc modo tertiæ flexionis. At Cato de re rust. cap. 157: *canceres purgabit.* Celsus quoque lib. 4. cap. 15: *valens est etiam aduersus cancerem intestinorum mirûm gleba cum salis hemina contrita.* Quod ex veteri codice rescripsit R. Constantinus. pro eo quod in vulgatis omnibus *aduersus ulcera*. Eamque lectionem aperte referunt membranæ Archiepiscopi Salisburgensis, D. Antonii Venetiis, & codex MS Tolentinorum ibidem, qui tamen communem in modum postea emendatus. Nec obscurum eiusdem in meo MS indicium. Quam Ianus Cornarius etiam sequutus Comment. ad lib. 4. cap. 7. Gal. de Comp. med. sec. loc. Alia quidem sententia, forma tamen eadem Lucretius lib. 5:

Nec ratio solis simplex, nec certa patescit,
Quo pacto æstiuis è partibus ægocerotis
Brumalis adeat flexus, atque inde reuortens
Canceris ut vertat metas ad Solstitialis.

Attamen Gifanio magis arridet *Cancri*, cum hiatu. Placet heic Gasp. Hofmanni viri sane cordati sententia, qui de Medicamentis Officinalibus lib. 2. cap. 91. benigne: *Hanc varietatem scire Medicum, liberale est: at si errantem vel in genere, vel in numero, vel in declinatione reprehendere quis velit, Pædagogus sit. Veteres enim heic sunt prodigi, & qui non animaduertit liberalitatem, nec patitur cum illis esse alios, inepte doctus est.* Ad rem nostram Non. Marcellus ex Lucilio & Varrone: *Gangræna est cancer.* Quod de Græcorum gangræna medici accipiunt. Ita & Cancer genere neutro apud Prisc. lib. 6. autoritate Claudii 4. Annal.

Candicat ulcus. 237.
Candor animi. Epist. pag. 5. candidissimus animus. ibid.
cum Caniculæ sidus oritur. 202. *Cynocaumata* Plin. Val. lib. 3. cap. 14.
Canes rabiosi. 171.
Canis morsus. 201.
Canis nigri adeps. 175.
Canina pellis. 161. P.
Cantharides. 189.
 Alexandrinæ. 231.
ad cantharidas. 189.
Capitis grauitas. 186.
mensura capitur. 73. M.
Capparis radix. 129. 261. *Cappar* Pallad. lib. 11. Tit. 11. Numquid *Cappari*, velut apud Celsum lib. 4. cap. 9: *Capparis* feminino genere dixit Varro De Forma Philosophiæ Secundo. Ἡ κάππαρις Charisius Instit. Gram. lib. 1.
Capreoli vitis. 193. ἕλικες Diosc. lib. 5. cap. 1.
ex Caprifico. 228.
Caprificus lac aridum. 175.
Caprifici liber. 174.
Capreæ montanæ stercus. 127.
Caprinum lac. 132.
Capra hedera pasta. ibi
Carbasis ducere. 227. id est, filis e lino subtili. De quo Pl. lib. 19. cap. 1.
in carbonem redigere. 59. 60.
super carbones inferuescit. 37. id est, prunas. inferuescunt. 271. P. Veg. lib. 2. cap. 8. *carbonibus decoqui.* Columel. lib. 12. cap. 41.
supra carbones imponi. 122. Cato de re rust. cap. 108. Plin. Val. lib. 1. cap. 37. *sub carbones ad carbones.* lib. 2. cap. 28. cum P. Veg. lib. 3. cap. (47) 50: *carbonibus decoqui.* Colum. lib. 12.

Circumdatum denti medicamentum. 95.
pedibus cruribusque sinapi. 180.
ventri emplastrum, 206.
Circumdata denti resina, Cels. lib. 6. cap. 9. Et lib. 4. cap. 21: *Cataplasmata imo ventri inguinibusque circumdare.*
Circumdatum linteolo alumen. 55.
Circuitus, 47. id est, περίοδος siue ambitus.
Circuitum certum habens febris, 95. Cels. lib. 3. cap. 12. id est, periodum.
Circuitibus febrium vexari sine horrore. 95.
Circumscribere herbas. 163.
Circumsecta aluta. 229. Ital. *tondata.*
Circumuentus malo. 186.
Circumuolura fistula. 47.
Citatus ambulet millia passuum. 15.
Cite. 198. Cito. 195. 237.
Citra necessitatem. 53.
Citria mala. 158.
Ciuis bonus. Ep. p. 2.
quasi claudicat liber. 200. Audax, sed elegans translatio.
bene clausum vas. 269.
Clusus. 97. de medico. *Clausus* Marcel. cap. 20. *Serrato* Ital.
Clusi in puxide lepores marini. 80.
Cludenda cicatrix. 42. ducenda. 236. *Cludere*, antiquum pro *Claudere*. Quo tamen usi, Varro de re rust. lib. 3. cap. 5. Cicero de Nat. Cels. lib. 6. cap. 18. in MS Tolent. & D. Antonii Veneti, itemq; V. C. Caroli Sponii medici Lugdunensis. lib. 7. cap. 15. & cap. 27. MS D. Anton. Quintil. Inst. orat. lib. 9. cap. 4. Declamat. 1. & Dialogo de Oratoribus. Plin. Iuvenal. Martial. lib. 11: Ep. 92. Seneca De Tranquil. anim. cap. 11. Suasor. 1. Item in Apocolocyntosi. Colum. lib. 12 cap. 44. Tacitus. Seneca Theb. Act. 4. Troad. Act. 2. Pl. lib. 33. cap. 1. Iul. Obsequ. de Prodigiis. Hyginus de limitibus constit. pag. 97. In veteri quoque Neronis æreo apud me numo legitur: P A-CE P.R. TERRA MARIQ. PARTA IANVM CLVSIT. In Pandectis Florentinis hæc quoque scriptura non semel exstat. Illi tamen sibi non usquequaque constant. Vid. Auson. Popma de usu antiqu. locut. lib. 1. cap. 5. de literar. in dictionibus detractione.
Clavum Cyprii æris acutum dimittere in iugulum testudinis. 26.
per clysterem immittitur. 112.
Masculinum, non Neutrum, notat Angelus Decembrius De Politia litteraria lib. 7.
per clysteria immittere. 118.
clysterem alvum ducere. 158.
Clysterio immitti per anum. 114. Ita Festus: *Eudiaon lineum filum, quod medici extremo in clysterio relinquunt, per quod κλυσμὸς emittitur*. Græcis diminutivum est Κλυστήριον.
acri clysmo alvum trahere. 155.
alvus ducta. 194. 197.
Clustere acri alvum ducere. 179.
* Clystere inicere chamæleam. 200.
Cnicus purgatus. 135.
omnia in unum coacta. 111. Colum. lib. 7. cap. 5: *Sulfuris triti & picis liquidæ modus æqualis, igne lento coactus*.
Coacta medicina. Ep. p. 3.
Coacti reiicere. 194.
Coagulum leporis, hinuli, & porci. 188. agninum, leporinum, porcinum. 197.
Coccus Cnidius. 134.
Cochlea Africana. 122. Plin. lib. 30. cap. 8. Plin. Val. lib. 2. cap. 15. & 40. *Afra* Horat. Serm. lib. 2. Sat. 4.
Cochleæ viuæ caro. 46.
Cochlearia tria, terna. 16.

quadrant. Varro de re rust. lib. 1. cap. 19. *neutrum horum ad omnem agrum conuenire puto.* Cic. pro Sulla: *Conuenit ad eum hæc contumelia.*
Conscius sum mihi. 38.
Consecrare diuinis manibus. Epist. p. 6. id est, offerre Cæsari.
Consentiente capite. 104.
Consecurus magnum scientię titulum ex usu. Ep. pag. 2.
Consistit dolor. 19. 90.
Podagra. 160. virium. 173.
Consistunt epiphotæ. 27.
duritias cum dolore consistentes leuat. 102.
ad conseruandam vitam humanam necessaria. 84.
Conseruate vulnera sine dolore. 207.
Conspergi passo conspicitur. 147. aqua pluuia. 159. aqua. 245.
Conspicitur. 163.
Hoc constat. 159. constat. 200. id est, certum est.
Conspergere aceto. 59. vino. 114. 165. 170.
Conspiciuntur oculi. 181.
Conspicitur color pallidus. 125.
Constat inter plures. 14. id est, pluri-mis notum est.
Constitit. 171. in apero fuit.
Constat medicamentum. 122. ex his rebus. 205. in Compositione.
Constringere artus. 104.
ad consuetudinem progredientem uti oportebit. 104.
in consuetudine victus sui dimittatur. 122.
Consumere. 16. 17. id est, absumere. 140. id est, deuorare.
dies triginta consumantur. 16. Terent. Adelph. Act. 5. Sc. 7. *totum consumunt diem.* Cic. ad fam. lib. 4. Ep. 2. *diem consumere.* Cic. consumere tempus, horas. Liu. lib. 27: *Primum diem populando absumserunt.* Tibullus lib. 1. Eleg. 9:
Illa queat nullam melius consumere noctem.
Consummantur. 200. id est, perficiuntur.
Consummatur professio. Ep. p. 4.
Consummare librum. 245. Ita Iul. Frontinus de limit. agror. cap. 35. Colum. lib. 8. cap. 1. itemque lib. 8. cap. 5. *Partum consummare.* lib. 8. cap. 16. *consummata disputatio.* lib. 11. cap. 1. *consummata sapientia.* cap. 2. *officia consummare.* Plin. lib. 34. cap. 8. *consummare scientiam.* Columel. Præf. *ars consummata.* itemque *dies* Liu. lib. 28: *consummata eius belli gloria.* Martial. lib. 1. Epigr. 9. *consummatus.* Cato, Tacit. Hist. lib. 3. *consummari opere.* Pallad. lib. 7. Tit. 2 *consummanda messis.*
Consummate vota. Epist. pag. 6.
non contemnendus pastillus. 91.
non contemnendum vitium. 100.
Contendere. Epist. p. 4. & Comp. 38. pro Asseuerate.
Contentiones medicorum. Ep. pag. 1. Cic. 2. de diuinat. Plin. lib. 29. cap. 1: *miseræ circa ægros sententiarum concertationes.* Colum. lib. 3. cap. 13: *Contendentium lis disputatioq;* Cels. Procem. lib. 1: *magnæ contentionis disputationes.* Tertull. de præscr. hæt. 17. congressus. 18. *Perdere uocem in contentione* Aristoteli Probl. Sect. 18. λόγοι ἐριστικοί.
Continere cibum. 104. Ita Cels. lib. 3. cap. 6. cibos. 104. vaporem. 142.
Continere. 130. id est, detinere. ore & faucibus. 66.
Contineri. 106. de medicamentis in vnum temperatis.
* succus contineatur pusillo diutius. 53. 55.

Cor-

quasi

rare, quam parare. Colum. lib. 9. cap. 14. *diligentius curare.* lib. 12. cap. 18. *curantur dolia*, id est, purgantur. Pub. Veget. lib. 4. cap. 8. *hedinum caput curatum*. Eademq; notione mox: *cochleæ purgatæ*. Ita Dioscoridis interpres lib. 2. cap. 93. ἀθεράπευτον στέαρ *incuratum adipem* vertit.

Curiose. Ep. p. 5. Comp. 37. 46. 60. 63. 65. 70. 73. 74. 78. 85. 94. 209. 270. Cels. lib. 2. cap. 17. lib. 3. cap. 11. & lib. 8. cap. 10. & 11. curiosius. Colum. lib. 2. cap. 2. lib. 5. cap. 6. lib. 12. cap. 55. lib. de Arbor. cap. 7. id est, diligenter.

per magnam curam, id est, pretio dato. 122.

magna cura inuenire. 172.

curriculum. 101.

Custodire. 84. id est, obseruare, æstimare. Cic. de petit. consol. *Fac itaque ut se abs te custodiri atque obseruari sciant.* Colum. lib. 1. cap. 8: *In ceteris seruis hæc fere præcepta seruanda sunt, quæ me custodisse non pœnitet.* lib. 3. cap. 10. *custodiemus.* id est, obseruemus. lib. 6. cap. 2. & 13. lib. 9 cap. 8. & 14. lib. 11. cap. 3. *custodiendum.* id est, cauendum. Ita lib. 8. cap. 14. *Custodiri debet.* lib. 11. cap. 1. *custodire oportet.* lib. 12. cap. 1. *custodienda sunt.* Et: *munia oculis villici custodiantur.* lib. 12. cap. 4: *ut aliquis ordo custodiatur.* lib. 8. cap. 7. lib. 9. cap. 13. lib. 11. cap. 1. lib. 12. cap. 3. 38. cauendum. id est, obseruandum. lib. 3. cap. 10. *custodiemus*, id est, obseruemus. lib. 4. cap. 24, *tria præcipue custodiat.* Et, *putator custodire debet.* cap. 29. *putationis custoditur ea ratio.* Plin. lib. 22. cap. 23. *nulli satis custodita in misturis concordia naturæ ac repugnantia.* lib. 34. cap. 8; *Symmetriam diligentissime custodiuit.* Et mox *argutiæ operum custoditæ in minimis quoque rebus.* Plin. Iunior lib. 4. Ep. 10: *religiosissime custodire defunctorum voluntatē.* Tacit. Hist. lib. 2. *custodire sermones.* Pallad. lib. 1. T. 4. *his omnibus ad speciem custoditis* &c. Tit. 34: *Illud quoque custodies in hortis.* Et mox. *serendi tempora custodiat.* P. Veg. lib. 1. cap. 14: *custodire mensuram.* Diomedes lib. 2. cap. de Compositione: *Hoc magis custodiendum.*

Custodiam facere salutis. 84. Cels. lib. 2. cap. 2. *sui custodia* id est, προφυλάξις.

Cutis exterior. 74. in fructu.

Circa cutem summam. 135. vitia. Cels. lib. 7. cap. 2. *in summa cute vitium.* lib. 3. cap. 25. summa cutis, quæ Græcis ἐπιδερμὶς, pariter lib. 7. cap. 13. Colum. lib. 12. cap. 54. de rapis protulit.

Cyathus. 1. 101. 105. 117. 119. 120. 121. 131. & passim. Item Cels. lib. 1. cap. 8. Κύαθος, à κύω, quod est utero gesto, antiquis κυάθω notante Salmasio ad Solinum.

Cyclamini succus. 7. 8.

herbæ cyclamini succus. 71.

Cydonia mala. 111. 193. Colum. lib. 12. c. 19. 41. 45. *Cydonia* simpliciter & Martiali lib. 13. Epig. 24. *Cotonea* Varroni de re rust. lib. 1. cap. 59.

malorum cydoniorum succus. 104.

similia folia cymbalis. 55.

Cyperus. 258. 265. 269 271. siccata. 71. contusus. 257. *Cyperum* Var. de re rust. lib. 3. cap. 16. Colum. lib. 12. cap. 20.

Cypirus, id est, iuncus. 61.

Cypiri radix, quem nos gladiolum appellamus. 82.

Cyperi radix. 258. *Cypirus est gladiolus, Cyperus iuncus angulosus.* Plin. lib.

E

discutit, leuat.
cum admiratione effectus. 151.
efferuescit medicamentum. 207.
Efficax compositio. 38. medicamentum. 113. Emplastrum. 241. Cels. lib. 4. cap. 8. Apul. de vir. herbar. cap. 35.
valde. 79.
efficacius est. 207.
efficacius prodest. 257.
uti. 67.
medicamento efficaci dato. Ep. p. 1.
efficaciore uti (medicamento.) 107.
efficacissimum medicamentum. 131. Cels. lib. 4. cap. 22.
remedium efficere. 171. Colum. lib. 2. cap. 18. remedium.
Efferuescit. 45.
quæ efferuescunt per se. 250.
Efficitur narium tumore grauedo. 52.
Effingere medicamentum. 110. (72.)
Egredi contra ius fasque professionis. 199. id est, exorbitare.
Eiaculari. 84. Passiue, ab Eiaculo. A. Gell. lib. 16. cap. 19. de Arione: *se in salum eiaculauerat*. Alias Actiue. Colum. lib. 2. cap. 10. *quo ventilator eam eiaculabitur*.
Eiicere sordida. 114. Cels. lib. 1. cap. 3. de vomitu accipit: quemadmodum & Cicero ad familiares lib. 14. Ep. 7. χολὴν ἄκρατον noctu eieci.
Eiectum articulamentum. 206. A.
veluti eiicere vitium. 229.
Eiusdemque generis. 21. G.
Eius generis. 22. id est, eiusdem mensuræ. 180.
Eiusmodi. 38.
Eiusdem lentisci. 61.
patris. 223.
mensuræ. 232.
ponderis. 91. 232.
eodem genere herba. 46.
potiones. 122.
Εἴλεος est inflatio tenuium intestinorum. 116. Glossa vetus: Εἰλῶ voluo; εἰλοῦμαι, voluto.
Elaborare multum. 38. id est, anniti, valde laborare.
Elaterium, qui est succus cucumeris siluatici. 70. Vox hæc quandoque omne purgans denotat, ut Hofmannus obseruauit ad Theophr. 4. Hist. 6. quod est succus cucumeris siluatici compositus, rationeque in pastillos redactus. 224.
Elaterium. 237.
Elephantia. 250. Cels. lib. 3. cap. 25. Ἐλεφαντία. Plin. Valer. lib. 2. cap. 57. *Elephantiasis*.
Emissarium collectionis facere. 206. *Receptaculum* Vindiciano in Epist. ad Valentinianum.
vomicæ fieri. 229.
Eminentias tollere. 228. de medico.
eminentem carnem. 227. de medicamento.
Emittere vinum. 271. Germanis *Abgiesen*.
quasi Emplastrum. 56.
Emplastri figuram habere. 157. F.
Emplastrum antidotum. 175.
album. 217. 219. 220.
sine linteolo. 205.
subuiride. 201. 202. Viride. 205. 204. 205. 206.
nigrum. 207. 210. 211. 218. Cels. lib. 5. cap. 19.
luteum. 215.
molle. 45.
strictum. Ibid.
coloris incerti. 214. cuiusmodi forsan δίχρωμον, bicolor, apud Gal. de Comp. med. per gen. lib. 2. cap. 7. unguentum ἀχρώματον, quod sine alieno colore, non sine proprio, interpretatur Marsil. Cagnatus Variar. Lect. lib. 2. cap. 9.
Enim. 152. pro, scilicet.

Eo-

24. Seneca de Ira lib. 3. cap. 10. *neruorum trepidatio est.*
Est autem hoc medicamentum, 227.
Est in eo totum, ibid. id est, in eo consistit res.
Esse in dolore, 11. Vid. D. Pl. Val. lib. 1. cap. 50: *in tumore sunt fauces.* lib. 4. cap. 18: *fauces in tumore posita.* Cic. ad fam. lib. 2. Ep. 10: *æstas, quæ sequitur, est in timore.* lib. 4. Epist. 3. *quamdiu vos eritis in spe. Esse in timore.* Corn. Nep. Milt. 8.
Et id quidem, Epist. p. 1.
* Et hæc autem. 207.
Et hoc autem. 70. 240.
Et hoc enim adiicio. 22. Tmesis. Tertullian. Apolog. cap. 34: *Et hoc enim Dei est nomen.* D. Hieronym. ad Iulianum Ep. 34: *Et sancti enim corruunt.* In hunc modum Tullius ad familiares Epist. 5. lib. 7: *Postea autem quam.*
Et. 70. 74. 79. 121. 122. 135. 160. 170. 189. 195. 207. 221. 245. 252. pro, etiam. 264. id est, vel. Quo modo Colum. lib. 12. cap. 38. Pro cum, tum, iteratum. 199.
Et hoc etiam, 195.
leuat dolorem & bitumen, 195.
Euelpistus Chirurgus. 215.
ne vires euanescant. 269.
euentus prosperos habituræ compositiones. Perorat.
* eueſtigio. 188. 194. id est statim, quantum nempe temporis est in uno vestigio consiſtendo. Priscian. lib. 18. Cic. lib. 4. Ep. 12. *è vestigio sum profectus.* Germani significanter: *auf̃m fues.*
* Euforbium. 38. 67.
Euidenter prodest. 77.
conuenit ad stomachicos. 103.
Εὔχροον emplastrum, 203.
Εὐώδης, collyrium, quia boni odoris est. 26. Cels. lib. 5. cap. 24: *Acopum; quod εὐώδες vocant.* Ita etiam vetus codex Florentinus, quamuis in antiquo codice R. Constantinus legerit λιμώδες. Hesych. εὐωδία, εὐοσμία. Phauorino μυρωδία.
Ex. 83. 121. 220. id est, à. 200. 257. pro, ab. 149. pro *Cum.* Quod & Donatus obseruauit. Locutio Medicis quasi propria. Sic Plaut. Mercat. Act. 1. Sc. 2: *Resinam ex melle Ægyptiam vorato.* P. Veget. lib. 2. cap. 49: *lanam succidam ex aceto alliges.*
Ex hoc medicamento. 120. id est, huius medicamenti.
Ex stomacho reiicere. 193.
Ex emplastris initium facere. 200. i. ab.
Ex aceto terere. 4. 9. 259. aceto terere. 5. T. *Ex aceto coquere.* Colum. lib. 12. cap. 46.
Ex ouo tritum. 26.
oleum irinum ex ruta tritum. 189.
Ex aqua. 169. 173.
mulsa. 169.
vino dare. 195.
Exactior usus. 97. Cultioribus non usque vox pura. Martiali tamen & Plinio Iuniori non displicuit.
Exasperatur locus nitro. 254.
Exanimat cito. 195. id est, necat.
Exasperatio. 222.
Exasperata arteria. 72. A.
exasperatur lingua. 187. locus. 254.
exasperatur ad omne medicamentum. 220. de Cancro.
Excalefiant. 158.
non excastratum sinapi. 9. id est, quod corticatum, speciosa similitudine. Ita & Marcell. cap. 1. Gell. propriè lib. 9. cap. 9: *caper dicitur, qui excastratus.* Colum. lib. 9. cap. 15. *castrare aluearia.* lib. 11. cap. 2. *aluos.* quod Palladio lib. 7. Tit. 7. lib. 11. Tit. 13. *excidere mella.* Colum. etiam lib. 4. cap. 32. optime declarat, quid rusticis castratio arundinis. Barthi

vero

stomachum modica vini sorbitio relaxata est. Et Ep. 7. ad Lætam: *Vino utatur modico propter stomachũ.* Ep. 10. ad Furiam: *vino modico utere propter stomachum.* Sed longe prior etiam Lib. de Corona Tertullianus: *Scit & Paulus stomacho vinum modicum prodesse.* Inde iure monet Aloysius Lollinus, genere, variaque eruditione nobilis Præsul Bellunensis Epist. lib. 2. Pauli præceptionem non ita interpretatione peruertendam, quasi modicum non mensuræ modum, sed vini genus denotet. Quod omnes quoq; Apostoli interpretes exotici animaduerterunt. Simili ratione Cels. lib. 8. cap. 11. præcipit uti vino modice. Adde, vino diluto ventrem superiorem cum infirmitate humentem reddi, ac flatu repleri inferiorem, ut monuit Hippocr. de rat. vict. in acut. lib. 2. Sect. 34; quo nomine lib. de Int. Affect. in hydrope: οἶνον πινέτω μέλανα σρυφνὸν ὀλίγον. Foesio interprete: *Vinum bibat nigrum, acerbum, paucum.* Clarius Hippocratis imitator optimus Cornelius Celsus lib. 3. cap. 21: *Vinum meracius quidem, sed non ita multum dari debet.* Verum & Cous de rat. vict. in ac. lib. 3. Sect. 41. capite affecto vinum aquosum, & post aquę exiguum imperat, certissimo copiæ indicio. lib. 4. Sect. 126. vinum aquosum, & exiguum diserte distinguuntur: quod *vinum modicum aquatum* Plinio Valer. lib. 1. cap. 2.

Exiguum cibi. 122. myrrhæ. ibid. Cels. lib. 6. cap. 7. *exigua pars myrrha.* Colum. lib. 5. cap. 10. *exiguum laseris.* lib. de Arborib. cap. 23. *exiguum laser.* Lucan. lib. 3. ver. 182. *Exiguæ Phœbea tenent nauaria puppes.* id est, paucę. Theodori Pulmanni sententia. Plin. Valer. lib. 3. cap. 1: *exiguo ceræ perunges.* Quod lib. 2. cap. 59. & lib. 4. cap. 51. modicum pronunciauit.

Exiguo tangere. 240.

exiguo thure adiecto. 251.

cum exiguo floris æris. 7.

eximie prodesse. 21. id est, singulariter.

exigere materiam. 84. id est, excludere, emittere.

existimantur. 100. id est, putantur.

Omnes exitus naturales supprimere. 192. Colum. lib. 6. cap. 30: *obsessi naturales exitus adaperiuntur.*

ex interiore parte. 121.

ex magna parte. 6.

ex parte. 230.

expeditus est. 171. id est, liberatus.

experimentum habere remediorum. Epist. pag. 2.

ad tantæ rei experimentum habere remedium. 172.

expertæ Compositiones. Epist. p. 5. id est, probatæ.

expertus in aliis. 19. 107.

expertus sum. 98. 172. Experti. Petorat.

Expertus. 19. Actiue. 103. & Petorat. pro, usu pollens.

experiri dolorem. 58.

explere vulnera concaua. 210.

exponere. 135. id est, tradere, explicare.

exprimere artus. 84.

*expressius fricare artus. 198.

Expurgare & explere. 66. sc. ulcus.

expurgare ulcera. 237.

quantum alienum est. 201.

Exquisitæ Compositiones. Epist. p. 6. id est, desideratæ, vel diligenter quæsitæ.

exscreare difficulter. 94. Cels. lib. 3. cap. 22. lib. 4. cap. 6. hoc verbo usus.

exscreare sanguinem. 169.

ex-

F

Quidnam faciendum quæreret, Ep. p. 1.
Ad dolorem faciundum. 60.
facta supputatio. 40.
factus cancer. 63.
dolor. 101.
pulmo. 76. id est, præparatus.
succus. 104. Colum. lib. 6. cap. 10: facta sorbitio.
Factum ebiscum. 80. id est, præparatum.
Verbenæ factæ, ita ut... 142.
circa faciem. 183.
Facile. 160. 188. haud facile. 194.
non facile. Epist. pag. 2. Comp. 220.
Facilius. 178.
Facilius aliis medicamentis. 217.
Falernum vinum. 30. 49. V.
Farina hordeacea. 44. 59. 160. Cato de re rust. cap. 157. ordeacea. 179. O. triticea. ibid. & 189.
Farina feminis lini. 187.
Farris grana. 135.
Fascia quam longissima in unum commissa. 131.
Fasciculus murti. 114. Fascis euisci Pl. Val. lib. 2. cap. 38.
Fasciculus, quantum manu comprehendi potest. 83. Aliis vulgo *Manipulus*. Ætio Tetr. 2. Serm. 4. cap. 36. δεσμίδιον χειροπληθές. Plin. secund. lib. 21. cap. 25. & lib. 19. cap. 1. *Fasciculus manualis*. Plin. Valer. lib. 2. cap. 30: *Fasciculus, quantum manus capit*. Cæl. Apic. de re culin. lib. 3. cap. 10: *Olisera in fasciculum manu redacta*. P. Veget. art. veter. lib. 1. cap. 34. *rutæ fasciculus*.
Fasciola tenuis lintea. 47. Cæl. Aurel. Chron. lib. 2. cap. 1. P. Veget. lib. 1. cap. 27. lib. 3. cap. (18.) 21. Qua etiam ratione legendum lib. 2. cap. 57. *Fascia Romanis, nobis Ζώνη* Iul. Poll. lib. 2. cap. 4. n. 33.
(quod fateri pudet) Ep. p. 1.

Faucium tumor. 64.
Favore plenissimo tuo mihi contigit. Epist. pag. 6.
Febriculæ intercurrentes. 66. Cels. lib. 2. cap. 8.
Si febres erunt. 113. si febricitabunt. 114. 127.
Febris abest. 169.
cum febre, sine febre. 97.
Febricitantes. Epist. pag. 4. Compos. 111. 115. 121. 169.
Fecula. 226. 228. 230. P. Veget. lib. 4. cap. 16. Horat. Serm. lib. 2. Sat. 8. *fecula Coa*. Quam Lambinus frustra condimentum putat. Enimvero Paulo Ægin. de re med. lib. 7. cap. 3. σφίκλη, ὄινε τρύξ, unde apud Tagault. Institut. Chirurg. lib. 1. cap. 13. *Sphecle*. Apud Græcos autem φίκλη legendum censet Adrianus Turnebus Aduers. lib. 18. cap. 18. & lib. 20. cap. 24; itemque ex Suida & Gal. lib. 1. cap. 8. de med. sec. loc. Ioan. Anton. Saracenus in Dioscor. lib. 5. cap. 132. Ex quo forsan *Fecla* Cæl. Aurel. Chron. lib. 2. cap. 1. Plin. Val. lib. 3. cap. 45. P. Veget. lib. 3. cap. 22. (25.) ubi alios nulla exigente ratione *betam* legere suo loco palam faciemus.
Fel hyenę. 38. H. taurinum. 68. 70. 230. Cels. lib. 4. cap. 4. lib. 5. cap. 20. Plin. Val. lib. 3. cap. 14.
Fel terræ. 227. Plin. Valer. lib. 2. cap. 25. 59.
Feminei generis animalia. 16.
Femina honesta. 102.
Fere. 21. 23. Cels. lib. 5. cap. 26. id est, plerumque. 40. 53.
Palumbus masculus ferus, id est, nuper captus. 16. Plin. Val. lib. 2. cap. 22. 27. 39. P.
Ferrum candens in aqua demissum. 132. 146. D. Plin. Val. lib. 2. cap. 28. *ferrum candens*.

Gingivarum genus. 160. sc. podagræ.
Gingivorum genus. 23. id est, quæ,
Gingivæ infantur. 186.
Gingivæ nerantes bilem. 104.
Gingiviana. 167. 170. 176.
Gingivæ terere se parum feliciter. Ep. p. 3.
Gingibet. 165. 170. P. Veg. lib. 3. cap. 52. (55.) lib. 4. cap. 27. Plin. Val. lib. 1. cap. 58. lib. 2. cap. 17.
Gingiuarum fluor. 61. ἐκ ῥευματιζόμενα Dioscor. lib. 4. cap. 156. Ruellius dixit *rheumatismum gingiuarum*. Ioannes Antonius Saracenus magis Latinè, *gingiuarum fluxiones*: quanquam & Plinius Græca consuetudine usus. Huic vero Anazarbeus facem prætulit, apud quem lib. 23. cap. 1. bene Hermolaus Barbarus *gingiuarum* pro *cicatricum* legit.
Gingiuæ prægnantes. P.
Gingiua increuit super extremum molarem. 61.
Gingiuis proximis superponitur. 56.
Git. 70. 131. 145. Cellus lib. 4. cap. 20. Colum. lib 6. cap. 34. frictum. 69.
Gladiator iugulatus. 13. 17. Cels. lib. 3. cap. 23.
Gladiatores. 101. 203. 207. 208.
Gladiolus. 82. Aliis Cyperus.
* Glaucei succi. 22.
Glaucium. ibid.
Glebulæ niuis. 199. Glebulæ Colum. lib. 1. cap. 6. Plin. Val. lib. 3. cap. 50. Glossa vetus: *Glebæ*, βῶλοι. Hesych. βῶλοι, γῆ. Phavorinus: βῶλος ἡ γῆ. *Glebæ* Varro de re rust. lib. 1. cap. 26. 29. 32. Colum. lib. 2. cap. 2. 4. 10. 11. 16. 18. *Gleba* Martial. lib. 3. Epig. 64. Pallad. lib. 1. Tit. 5. lib. 2. Tit. 3. 14. lib. 11. Tit. 4. De terra quidem usurparunt isti. Aliis tamen rebus aptari præter Scribonium ostendit Lucretius lib. 3. ver. 328. quando ait:

—— *è turis glebis euellere odorē*
Haud facile est, quin intereat natura quoque eius.

Nec male de caseo Nemesianus Ecl. 3:

—— *oues campo conducere in unum*
Nox iubet, uberibus suadens siccare fluorem
Lactis, & in nineas adstrictum cogere glebas.

Quippe Salmasius in Solioum notat eandem Glebæ ac Laterculi figuram. Hac vero casei non raro finguntur. Apud Iurisconsultos etiam Gleba est pēsio siue iugatio, quemadmodum erudite notat Iacobus Gutherius de Offic. Dom. Aug. lib. 3. cap. 17. Quæ si nimium grauis fuerit, *conueniunt rebus nomina sæpe suis*.
* GLICON Chirurgus. 206.
Gliris pinguis adeps. 39.
Globulus viciæ magnitudinis. 13. P. Veget. lib. 3. cap. 47. (50.) A globo monitu Varronis de ling. Latin. lib. 4. & orbiculari figura. Vulgo Pilula.
in globulos diuidere sex. 59.
Globulus sub lingua. 74.
fiunt globuli. 129. ciceris amplitudinis. 77. fabæ magnitudinis. 139. P. Veger. lib. 3. cap. (47.) 50: *Globulus ad magnitudinem fabæ*.
Glomus staminis albi. 142.
Glotiam ferre. Epist. p. 2.
Gluten taurinum. 254. Cels. lib. 5. cap. 5. Plin. lib. 34. cap. 13. *glutinum taurinum*, Plin. Val. lib. 2. cap. 27. 33. lib. 3. cap. 20: *Fabrile* cap. 47. P. Veget. lib. 3. cap. 66. (69.) ubi legendum *glutinis*, pro *glutis*. Gluten simpliciter Celso lib. 5. cap. 2. Æginetæ de re med. lib. 7. cap. 3. *Taurocolla* seu *Xylocolla*, ex Dioſc. lib. 3.

H

Con-

Grammaticæ lib. 2. cap. 15. Latinum negat. Ἀσιχεν Actuario Meth. med. lib. 2. cap. 11.

Implicitæ Medicinæ partes inter se. 200.

Implorate auxilia, Ep. p. 2.

Impositum in ventrem totum. 120. Cels. lib. 3. cap. 21.

In omni loco dolenti impositum. 265.

Imposita eo loco. 11.

Imponere ea parte. 229. super. 205.

Imposita radix cocta. 80.

oportet impositum esse medicamentum. 130.

Impositio aliquorum. 55. Non. Marcellus: *Imponere*, *supra ponere*. Apul. de vir. herb. cap. 54. *Imponere super frontem*.

Imprimi hæmorrhoidibus. 227.

Improbauimus. 25.

ab imprudentia iugulari. 84.

Impubium puerorum. 128. Plin. Val. lib. 3. cap. 29: *impubis puer*. Corn. Tacit. Histor. lib. 4: *impubes forma conspicui*. Pallad. de re rustica lib. 8. Tit. 7: *inuestes pueri*.

In magnitudinem. 205. id est, pro magnitudine. M.

In mammis suppurationes. 206. id est, mammarum.

In facientibus ad omne malum vitium. 178. id est, inter facientia.

In gladiatoribus uti. 207. id est, ad gladiatores.

In pilam. 255. pro, in pila. in ollam nouam. 60. Colum. lib. 12. cap. 34. *in ollam decoquis*. cap. 44. *in patinas nouas sicco gypso ita obruunt*. De Arbor. cap. 28. *macerari in aquam*. Plaut. Casin. Act. 2. Sc. 3: *ubi in lustra iacuisti?* Antique pro *in lustris*. Idem Amph. Act. 1. Sc. 1. *in mentem fuit*. Specillo in aquam tincto. 20. macerari in passi Sextarium unum. 148. M. Apul. lib. 1. *decoque in sextarium*.

Inacescit cibus. 104. Plin. Val. lib. 4. cap. 43. *Acessit* Cels. lib. 1. cap. 8. Colum. lib. 12. cap. 20.

Inalienata, sincera, bona propolis. 214. id est, non adulterata, nec aliis permixta. Quo modo *Inalienus* pro non alienus apud Tertullianum lib. 4. contra Marcionem. Nam Præpositio IN, Prisciano lib. 14. Priuatiua, plerumque Derogatiua est, veluti tradit Diomedes lib. 1.

Inarescere mortario. 22. Quod iis proprium docet Salmasius ad Solinum quæ calore densantur. Celsus lib. 5. cap. 19. de bulbis protulit. lib. 6. cap. 6. de collyrio. ubi & *exarescere*. Colum. lib. 2. cap. 14. de radicibus. cap. 19. de fœno. lib. 4. cap. 7. de vite. lib. de Arboribus cap. 8. & 10. pariter. *Arescere* Catoni de re rust. cap. 87.

ubi bene incaluerit. 122.

Incerti coloris emplastrum. 214.

Incidere. 172. Absolute. sc. in malum.

Incisio. 206.

*Incinctum habere peucedanum. 163. id est, circumdatum. Apul. de vir. herb. cap. 102: *surculum in semicincto tectum portare*.

Incisa articulamenta. 214.

Incitatione eiaculari. 84. Passive. De liquore.

Incitata eruptio sanguinis. 84.

Incœnatus. 140. Cato de re rust. cap. 156. Plautus Casina Act. 4. Sc. 2. *Incœnis*. Act. 4. Sc. 1.

Incoquuntur duobus sextariis. 1. Cels. lib. 5. cap. 18: *incoquitur, donec omnis humor consumatur*.

Radices incoctæ. 127.

Incoquuntur mala. 40.

Incoqui. 201. Cels. lib. 2. cap. 18. & lib. 4. cap. 4. IN quippe Præpositio

* tenuium intestinorum. 116.
Coli. 263.
Inflationibus urgeti. 104. V.
Inflatione correpta interanea. 176.
quæ infra scriptæ sunt res. 269.
Infusio oui. 20.
Infusum. 1. sæpius perfusum ac veluti maceratum humore interpretatur C. Barthius Adu. lib. 39. cap. 6. ex Cæl. Aurel. Acut. lib. 2. cap. 37.
Infusa capiti. 2.
Res infusæ per cornu. 7.
naribus. 8.
Infra hoc pondus. 121.
Inijci naribus. 10.
intus nares. 46. id est, intra spongiæ particulam. ibid.
Inijci. 40. simpliciter.
Iniectum interius. 208.
Acetum iniectum. 196.
Initio. 24. 133. 225. 257. Perorat. ad initia. 90.
Inter initia, Ep. p. 2. Comp. 19. 38. Cels. lib. 3. cap. 8. lib. 4. cap. 12. & 24. Colum. lib. 2. cap. 11. lib. 6. cap. 32. Corn. Tacit. Hist. lib. 3.
In initijs. 22. 134. 179. P. Veg. lib. 1. cap. 14. *in initio.*
* Initiis. 62.
Initia habere. 206.
Initiis molesta futura epiphora. 21.
Initia disciplinæ tradere. Epist. pag. 3. Vulgo Principia.
Iniuriam patiuntur oculi. 23. id est, dolorem seu malam affectionem, ut apud Plin. Val. lib. 4. cap. 1. 22. & 23. Cels. lib. 2. cap. 10: *iniuriæ opportuniores partes.* Q. Serenus: *hærens iniuria lumbis.* P. Veget. lib. 1. cap. 51: *cursus iniuria.* Colum. lib. 4. cap. 16: *terræ, vel aeris iniuria.* lib. 5. cap. 5. *ventorum.* cap. 6. *pecoris.* cap. 9. *incursus pecoris.* lib. 6. cap. 17. *iniuria dentium.* lib. 9. cap. 1. *sub iniuria pluuiarum.* lib. 11. cap. 3. *post ignis iniuriam.* cap. 63: *oneris iniuria.* lib. 1. cap. 38. *coactionis.* cap. 41. *inflationis.* lib. 3. cap. 15. (18.) *à frigore.* cap. (62.) 65. *iniuria faucium.* (64.) 67. *iniuriæ pleni coles.* Plin. Val. lib. 4. cap. 38. *occurrere iniuriæ.*
Impresso pollice abducere membranas innatantes. 37. De palpebris. Eleganter Columella De Arbor. cap. 6: *summa parte terræ natantibus radicibus.* Cels. lib. 2. cap. 6. *innatans pituita.*
Inquinare manus medicamento. 80.
Inrequiebilis sitis. 105. Varro apud Non. Marcellum. Plin. lib. 2. cap. 3. *irrequietus ambitus.*
Inligatum linteolo. 53. Colum. lib. 11. cap. 3.
Inligata panno. 172. Marcellus Empiricus cap. 16: *Stercus inligatum phœnicio.* P. Veget. lib. 1. cap. 38: *Crura quasi inligata.*
Inlinere linteolo. 205. Colum. lib. 11. cap. 3: *raro linteolo illiget.* *Inlinere in linteolo.* Publ. Veget. lib. 4. cap. 27.
Inlitum medicamentum in panno. 131. medicamentum. 257. Columella lib. 7. cap. 13: *cuminum tritum pari pondere cum veratro, aquaq; mixtum, & inlinitum.* *Inlinitum* Pub. Veg. lib. 3. cap. (7.) 10.
Initium facere à capite. Epist. pag. 6. ex emplastris. 200.
Initia habentes parotidas discutere. 206.
Innatus in renibus lapis. 145.
Insanabiles. 102.
Insanabile vitium. 171.
Insedit morbus. 111. M. Cels. lib. 3. cap. 1.
Insequentibus diebus. 104. Cels. lib 3. cap. 21. Colum. lib. 6. cap. 6: *insequenti*

Rut-

Rutgersius Var. lect. lib. 6. cap. 19. ad locum significare credit. Autori nostro idem est quod *intro*. Ita Lucretius lib. 4: *Nam cibus atque humor membris adsumitur intus*. Et lib. 6: *Omnia cernebat quæcumque receperat intus*. Item: *mare permotum ventis ruit intus arenam*. Plautus etiam Casin. Act. 5. Sc. 2. *intus deduxi*; fide Vaticani codicis: non ut in plerisque vulgatis, *intro*. Vtroque modo Celsus lib. 7. cap. 4. & 8: *intus tendere*. cap. 28. *intus dare fistulam plumbeam*. lib. 2. cap. 7: *intus versari*. cap. 11. *intus est* (materia) cap. 12. *remanere*. cap. 28. *corrumpi*. lib. 4. cap. 19. *est*. lib. 6. cap. 6. *ruptus intus oculus*. lib. 5. cap. 21: *infans intus decessit*. Qualiter & optimus codex Florentinus in mẽbranis. At Paulus Aicardus *intus* expunxit. Ambrosianus liber meusque MS pro hac voce habent *in vulua*. Quod ab interpretamento nequicquam alienum.

Intortum linteum. 43. *Papyrus intorta*. Celf. lib. 5. cap. 28. *Intortæ venæ*. lib. 2. cap. 2. lib. 7. cap. 18.

Intritum acetum. 201. *Intrita* Plinio cibus qui interitur sive infricatur. Donati sententia proprie mortariũ alliatum. *Intrita* & *Intritum* Martiali cibus in mortario subactus, qui Italis *Pesto*: cuiusmodi & recentioribus medicis *Contusum*. Qua notione Celf. lib. 3. cap. 6: *Dari potest intrita ex aqua calida*. Et cap. 19: *intrita ex hoc*. De vino sermo est. lib. 4. cap. 3: *intrita bene madida*. Varro etiam de re rust. lib. 2. cap. 9: *panis in lacte intritus*. lib. 3. cap. 9: *polenta aqua facta intrita*. Ibidem: *triticeus panis intritus in aquam*. cap. 10: *ordeum intritum in aqua*. Colum. lib. 12. cap. 40. de fece vini, cap. 43. de uva: *intrita folliculorum*. cap. 49: *intrita oliuæ*. cap. 55: *sinapis*. ἔντριτον Hesychio: ἐμβροχὴ Glossæ veteri. Vox culinaria ab *interere*. unde Germanis forsitan *einbrochen*. Intrita quoq; Græcis ὑποτρίμματα. Ideoque apud Artemidorum lib. 1. cap. 74, quod vulgo est ὑπὸ τριμμάτων, restituendum videtur περὶ ὑποτριμμάτων. quo modo & Ianus Cornarius vertit; *De Intritis*. Aliis tamen rebus hanc vocem aptari sæpius, è Scribonio ceterisq; autoribus iam in confesso est.

Intubi cocti. 104. Pluraliter. Ita Celf. lib. 4. cap. 9.

Intunduntur. 71. id est, diligenter tunduntur. IN sæpius enim auget vim vocis. Qua etiam ratione *Incoctum* apud Celsum lib. 2. cap. 18. & lib. 4. cap. 4.

Invalidum fit corpus. 187.

Inuenio. Ep. p. 2. id est, caussam video.

Inuertere palpebram. 36.

Inuertitur palpebra. 37.

Inuersa palpebra. 26.

Inueterauit dolor. 5.

cum inueterauerint. 250. Celf. lib. 3. cap. 12: *cum inueterauerunt*; Veteris Codicis Florentini & Clericorum Regularium Venetiis autoritate. Qualiter & vulgatum *veterauerunt* Ioannes Caius ac Paul. Aicardus rescripsere.

Inuitat sternutationem. 10. i. e. incitat. ad urinam inuitabis. Veget. Mulom. lib. 3. cap. 15.

inuidentiæ crimine flagrare. Ep. p. 2.

Diis hominibusque inuisus. ib.

inuisum malum. ibid.

crimen inuidiæ. Corn. Nep. Alc. 3.

Inuisere omnia. 269. id est, peruidere. de medicamento. *Durchsehen* Germanis. In hunc modum Celsus lib.

5. cap.

Vul-

suil-

uori-

N

Napi

O

Varro

ut opinor. 83. ut mea fert opinio. Ep. pag. 1.

Opium. 21. 22. 26. 27. 30. 31. 32. 33. 115. 120. 126. 147. 158. 173. 180. 181. 246. 247. Pl. Val. lib. 3. cap. 8. quod quidam Meconium vocant. 180. *Sopio* antiquis. In quem modum aliqui legendum putant apud Catullum Carm. 38. ubi vulgo, *Scipionibus*.

Supra omnium opinionem est. 103.
omnem opinionem. 107.

ἐπισθότονος, id est, cum ceruix reflexa est in posteriorem partem. 255.

Opisthotonici. 170. Plin. Valer. lib. 4. cap. 32.

Oportet. Ep. p. 6. Compos. 3. 6. 13. 16. 20. 35. 36. 43. 71. 83. 84. 158. 163. 164. 172. 220. 227. 228. 230. 232. 234. 249. 252. 255. 258. 260. 262. 263. 270. 271. Cels. lib. 7. cap. 27. Perorat.

Oportebit. 20. 66. 105. 205. 230. 268. 271. Colum. lib. 5. cap. 6. lib. 9. cap. 17. lib. 12. cap. 11. *Verbum oportebit tam præsens quam futurum tempus significat.* L. Verbum 11x. D. De Verb. sign.

Opobalsamum. 33. 38. 169. 170. 176.

Opopanax. 82. 207. G. M. ὁ ὀποπάναξ Dioscor. lib. 3. cap. 55. Panacis liquor appellatione composita opopanax Gal. de Comp. med. per gen. lib. 3. cap. 5.

Opopanaces. 106. N. Sing.

Opopanacis. 82. 107. 255. 262. 270. G. M.

Oppilatio narium. 47. Arcta obstructio C. Barth. Adu. lib. 40. cap. 4. *Oppilare* namque est occludere, & implere, monente Scioppio Susp. lect. lib. 4. Epist. 1. Ita Lucret. lib. 6:

Est quoque, uti possit magnus congestus arenæ
Fluctibus aduersis oppilare ostia contra,
Cum mare permotum ventis ruit intus arenam.

Verbum elegans, etiam priscis rarum animaduertit Gifanius.

Opportunior ad veratri potionem. 99. vulgo *magis dispositus*, ut Compos. 103.

contrario oppositus virtuti eius. 199.

Optime facit. 174. Germanis *Es thuet sehr vuoll.*

Opto. 172.

Non est opus fascia. 213.

Cum opus est. 5. 63. 79. 237. 246. 247. 248. 253.
fuerit. 10. 16. 37. 107.

Si quando opus fuerit. Perorat. Varro de ling. Lat. lib. 9: *sicubi opus fuerit.*

Si opus est. 173.

Oræ ulceris. 240. Cels. lib. 7. cap. 3. 4. 30. Non. Marcellus: *Ora femininum cuius rei libet finis.*

In orbem se conduplicare. 39.

Orbiculata mala. 104. Colum. lib. 5. cap. 10. lib. 12. cap. 45. Cæl. Aur. Tard. pass. lib. 3. cap. 2.

Ordeacea farina. 179. 225. 252. Cato rei rust. cap. 89. Varro de re rust. lib. 2. cap. 5. & 7. apud quem passim *ordeum* legitur. Cels. lib. 3. cap. 27. lib. 5. cap. 28. lib. 6. cap. 6. Pl. Val. lib. 1. cap. 14. *hordeacea farina.*

Ordine quo scripta sunt. 82. 264.

unde ortus est. 171.

ex qualibet causa ortæ. 100.

Ad os referre manus. 80.

Ossa fracta. 209.

Ostendere. 99. id est, manifestare.

Oua apala. 104. A.
anserina sorbilia. 185.

Ouorum assorum vitelli. 221.

Oui albor. A.

Ouillum lac. 135. L.

poris parte.
In omni parte corporis. 63.
Ab omni parte. 226. 227. id est, undique. ib.
Omnis partis corporis dolor. 90.
Ex aliqua parte. 56.
Aliqua ex parte. 53. 105.
omni parte sua. Ep. p. 3.
Magna ex parte. 98.
Ex magna parte. 200. & Perorat.
Ab ea parte. 53.
Ea parte imponere. 229.
Ex duabus partibus. 120.
Ex parte, qua tollenda. 230.
Plurimæ partes eorum. 183.
Per partes totum bibere. 135.
Ex interioribus partibus eruptio sanguinis. 77.
Particula. 46. 172.
in minimas particulas cõcisa radix. 136
    partim. 53.
    nonnunquam. ib.
in partes diuisum medicamentum. 207. de Emplastro.
Ex partu substiterunt. 89.
Ex partu residua purgat. 126.
Παρύλιδες. 61.
Passum meconium. 86. M. Ouid. Metamorph. 4: *Lac passum*.
Passum. 31. 121. Cels. lib. 4. cap. 4. 20. Plaut. Pseud. Sc. 4. Act. 2.
    Creticum. 30. 63. Plin. lib. 20. cap. 19. Pl. Val. lib. 1. cap. 53.
Capra hedera pasta. 132.
Pastillus. 42. 52. 115. *Forma panis parui, utique diminutiuum est à pane*, inquit Festus. Vulgo *Trochiscus*; Græcis Τρόχισκος, ut notat Cels. lib. 5. cap. 17.
pastilli. 5. Cels. lib. 5. cap. 20.
Passuum millia. 15. Liuio idem quod lapis. De quo Martialis lib. 11. Epig. 80:
    Ad primum lapidem decima qui venimus hora,
    Arguimur lentæ crimine pigritiæ.
Arusianus Messius MS: *Mille librarum mutuum dedit*.
Patella æris Cyprii. 37. ex ære Cyprio, fictilis. 57. *Patella*. Horat. lib. 1. Ep. 5. Iuvenal. Sat. 5. Pers. Sat. 3. ver. 26. & Sat. 4 ver. 17. Martial. lib. 13. Epig. 81. *Patella argentea* Plin. Valer. lib. 3. cap. 26.
Patella fictili coquere. 228.
    resoluere. 173.
    noua liquefit axungia. 267.
Pator narium. 46. 47. id est, sinus, quo patet aditus & exitus. Lucano lib. 2. ver. 183. *Spiramen naris*. & lib. 9. ver. 813. *patulæ nares*. Lactantio de opificio Dei cap. 11. *Spiramentum narium*. cap. 8. *Hiatus nasi*. Hac mente Seneca Hippolyto Act. 4. ver. 1040: *Naresque hiulcis haustibus patulæ fremunt*. Cæl. Aurel. Chron. lib. 1. cap. 1. narium cauernas vocauit. Apul. Madaur. Metamorph. lib. 3: *ædium pator*. id est, apertura M. Vitruvio lib. 1: *iugulo eius vulnus dehiscit in profundum patorem*, hoc est hiatum. Et lib. 10: *Græcanicam saltantes pyrrhicam in quadratum patorem cuneati*. Item lib. 11: *primus lucernam præmicantem claro porrigebat lumine, non adeo nostris illis consimilem, quæ vespertinas illuminant epulas, sed aureum cymbium medio sui patoris flammulas suscitans largiores*. *Patura* Plin. Val. lib. 3. cap. 22. Quæ tamen vox Barthio in Aduersariorum Indice suspecta est.
Quantum nux auellana media patet. 120. id est, capit.
Pati. 9. 40. 121. 160. 206. 214. 221. 268. Varro de re rust. lib. 1. cap. 26. Cels. lib. 2. cap. 4. 11. lib. 3. cap. 18. Colum. lib. 1. cap 15. Apul. de vir. herb. cap. 35. id est, sinere.

Ocu-

con-

continuos dies. 16.
perduci ad dimidias. 2.
perducta crusta. 237. id est, peruncta. Virg. Georg. lib. 4:
Hæc ait, & liquidum ambrosiæ diffudit odorem,
Quo totum gnati corpus perduxit. at illi
Dulcis compositis spiravit crinibus auram.
Et Persius Sat. 2:
Hinc illud subiit, auro sacras quod ouato
Perducis facies.
Aqua perducta. 135. id est, pota. Hoc significatu Iuvenal. Sat. 6. ver. 425: *Sextarius alter Ducitur.* Et Q. Serenus de Artic. morb. *conueniet rubiæ quoque ducere potum*, vulgo legitur: *rubiam quoque ducere potu.* Plaut. Amph. Act. 1. Sc. 1. Id. Stich. Act. 5. Sc. 5. *educere*, pro ebibere. Adde Notas Dionysii Heraldi ad lib. 5. Arnob. adu. Gentes.
περίχριστα medicamenta. 29.
vitæ periculum adire. 100.
cum primum granum incipiet perlucere. 64. id est, translucere. Plin. lib. 23. cap. 1: *translucentes uvæ.* Pallad. lib. 10. Tit. 17. clarius: *granum luce penetrabili splendidum.*
permansit dolor. 3. 56.
permanente dolore. 5.
rumore. 66.
permisceri rosæ cyatho. 237.
quæ permittitur. Ep. pag. 5. id est, conceditur.
permoueri. 122. id est, bene moueri. De medicamento.
Perniones. 219. Plin. lib. 20. cap. 3. lib. 33. cap. 6.
Imperpetuum. 11. 102. *In perpetuum* Cels. lib. 4. cap. 14. Colum. lib. 4. cap. 21. lib. 5. cap. 4. 10. lib. 12. cap. 3. 50. lib. de Arbor. cap. 18. sc. tempus.
Perfano. 221. Apul. de vir. herb. cap. 35. id est, penitus sano. Nam Per vim vocis auget.
persanatus ab hoc. 40. De medicamento.
perseuerantia terentium. 21.
cum perseuerantia tumoris. 23.
perseueranter. 38. 214. id est, continuo.
perseueranti beneuolentiæ respondent. Epist. pag. 5.
persequi hostes. Ep. p. 2.
nucleorum Persicorum interiora. 184.
personis homines æstimare. Ep. p. 2. id est exteriori specie.
persona deterreri. Ibid. pag. 3. id est, autoritate personæ. Cic. lib. 15. Ep. 17. de P. Sylla: *πρόσωπον πίθανε amisimus.* Cels. Proœm. lib. 1: *Persona splendida.* Sen. de benef. lib. 3. cap. 28: *Quare potius persona rem minuat, quam personam res ipsa cohonestet?* Plin. lib. 2. Ep. 23: *Plurimum interest quam personam tibi imponas.*
Pertinentes ad Diæteticos. 200.
pertinere ad rem. 13.
Pertrahi virus. 173. id est, extrahi.
Perturbatio sicca oculorum. 32.
Pertusus cacabus. 271.
Peruersum propositum. Epist. p. 4.
Perungo. 227. Cels. lib. 2. cap. 7. Per est αὐξητικὸν, ut vere Iulius Scaliger de caus. ling. Lat. cap. 110. Ita Cels. lib. 4. cap. 24: *permulcere corpus leuiter unctis manibus.*
perungere palpebras. 30.
fauces. 56. Cels. lib. 3. cap. 7.
intestinum. 232.
P. Veg. lib. 1. cap. 10: *diligenter perunges auriculas.*
perunctus oleo. 164. acopo. 270.
peruncti oleo artus. 198.
perungendus anus specillo. 142.

deis

deis in Italia præfuit; vel, qui pilum pistrinis inuenerat, ut Plinius autor lib. 18. cap. 3.

In pilam conicere. 75. 264. id est, mortarium.

misceri. 255.

pilum ligneum, 152. 255. 264. Pilum militare ab hoc denominatum putat Salmasius de Cruce, quoniam eadem crassitie fuit confectum.

pilo commiscere. 89.

Ictu pili miscere. 75.

pilorum radix. 230.

pilosa palpebra Ibid.

Pix Brutia. 210. Hispanam. 266.

pix liquida. 251.

Pingue ius. 200.

Pinna, vel calamus scriptorius. 10. Cels. lib. 7. cap. 8. Martial. lib. 9. Ep. 14. *penna scribens.*

pinna anseris, vel calami scriptorii fistula. 47. *Pinna gallinæ*, Varro de re rust. lib. 3. cap. 9. Colum. lib. 8. cap. 2. *Pinnula* cap. 5. 11. *caudæ gemmantes pinnæ*. lib. 9. cap. 10: *Reges apes minus amplis pinnis*. cap. 14. *pinnis aquilæ enundari*. Martial lib. 3. Epig. 82. *pinnæ rubentes*, nempe phœnicopteri. Tacit. Annal. lib. 6. cap. 28. de Phœnice: *Animal & ore ac distinctu pinnarum à ceteris auibus diuersum*. Isidorus in Glossa: *Pindæ, pinnæ dictæ sunt à pendendo. Sed usus obtinuit, ut pinnæ dicantur.*

Per pinnam. 48. 51. 158. id est, pinna.

per pinnam reiicere. 180. 181. id est, vomere.

per pinnam uti medicamento arido. 61.

sufflare naribus. 10.

pinna perfricare nares. 8.

fauces diutius. 68. Cels. lib. 7. cap. 8: *pinna iniicienda.*

Pinus. N.

Piper. 131. Cels. lib. 2. cap. 27. lib. 3. cap. 16. 20. lib. 4. cap. 3. 10. 21.

piperis grana numero CLX. 255.

piper album. 10. 33. 106. 121. 166. 170. 173. 176. 177. 262. 263. Colum. lib. 12. cap. 57. Horat. Serm. lib. 2. Sat. 4: Piperis albi grana. Comp. 9.

Candidum. 167.

Nigrum. 113. 120. 121. 228. 269. Colum. lib. 12. cap. 57.

Nigrum electum & ponderosum. 94. Longum. 120. 121. 169. 173. 176. 177. Cels. lib. 2. cap. 31. lib. 3. cap. 31. lib. 4. cap. 14. Molitum. 160.

Pira olla reposita. 104. C.

* pira Segnina. Ibid.

Piscis. 186.

Pituita glutinosior oculorum. 23. Eleganter, quæ *Lema* vulgo. Francisco Vallesio de Febr. c. 2. *Lippa*. Quam Celsus lib. 6. cap. 6. videtur indicare.

Pio sanctoq; animo se gerere. Ep. p. 4.

Pix liquida. 52. 157. 232. 251.

Cedria. 186. 232. è cedro facta. 189.

Brutia. 207. 208. 210. Columella lib. 2. cap. 18. 22.

Hispana. 209. 263. Spana. 256. Marcello cap. 36. *Hiberica.*

Placet. 23.

Plantago. 158.

plantaginis succus, vel semen. 31. 83.

Platani pilulæ. 2.

Modice plena calami fistula. 47. id est ampla.

Pleniora folia. 163. id est, crassiora. Ita Corn. Celso lib. 7. cap. 26. *plena* dicitur *fistula ænea.*

plenum nomen. N. id est, perfectum.

plenus humanitatis animus. Ep. p. 2.

animum plenè præstare. Ep. p. 5.

Plerique. Ep. p. 2.

plerique medicorum. 102.

Πλευριτικοὶ, Pleuritici. 94. Æginet. lib.

Quies

Quies unius diei prodest. 52. Cels. lib. 3. cap. 15: *quies tot dierum*.

Quisquam. 172.

Quisque. 178.

Quiuis. 194. id est, quilibet.

Quin etiam: 90. 142. 171.

✱ p. quinquaginta. 241. 260.

Radix herbæ quinquefoliæ. 53. Marcell. cap. 12. Cels. lib. 4. cap. 13: *Quinquefolii radix*.

Quum quis. 198.

Quamuis quis. 196.

Si quis. 214.

Quo. 13. 99. 131. 178. 212. pro, ut.

Quoad curetur. 249. *Quoad pro donec* Arusianus Messus MS.

Quod vocant. 255. De neruorum Ligatione. 121: de fluore. 258: de Meliloto. 263: de Pano. Celsus similiter. lib. 5. c. 18. Comp. 134: de Hyposarca. Sic Elaterium, qui est succus. 70. Malum, quæ. 206. Et Celsus lib. 5. cap. 18: *ad recenti cicatrice contractos articulos, quas ἀγκύλας Græci nominant*. Scribon. Comp. 70: Zea, quod est semen. Ita Colum. lib. 5. cap. 6: *Atiniam ulmum Tremellius Scrofa non ferre sameram, quod est semen eius arboris, falso est opinatus*. lib. 11. cap. 2: *Siliquam, quod rustici fœnum græcum vocant, nec minus in pabulum vicia nunc demum conserunt*. Melius quam in vulgatis quibusdam *conseruntur*. Imo Tullius ipse lib. 3. de Nat. Deorum: *iste quasi consensus, quam συμπάθειαν Græci vocant*.

Quod habet. 21. id est, quia.

Quod satis est. 205.

Quodlibet vas. 57. id est, quodcunque. lac. 179.

Quondam. Ep. pag. 1.

Quoniam. 135.

Quoque et. . 200.

Quoque. 253.

Quorum & hoc est. 85. De medicamentis.

Quotannis. 171.

Quotidie. 99. Cotidie. 170. 186.

Quoties. 142. 232. id est, quando. Sic Pallad. de re rust. lib. 2. Tit. 15. lib. 3. Tit. 16. & 25.

Quum. C.

R

RAbiosi fiunt canes. 171. *Rabidi* Senec. de Ira lib. 1. cap. 15.

Rabiosi canis morsus. 176.

Radere caput. 10. Cels. lib. 1. cap. 5. lib. 3. cap. 20. 23. lib. 4. cap. 2.

Radi. 241. 242. De medicamentis. locus rasus. 206.

Rasa cultello eburneo. 83.

Radix ea, quam nos edimus, acris. 198. *Raphanus* Marcello cap. 20. *Ῥάφανος* Dioscoridi lib. 6. cap. 23. Hieronymo Bagolino *Raphanus*. Ruellio interpreti verius *Radix*, & Saraceno *Radicula*, veluti Celso lib. 2. cap. 18. & 21. lib. 4. cap. 2. itemque Theodoro Gazæ apud Aristotelem Sect. 9. Probl. 6. & Sect. 20. Probl. 11. ac 13. *Radicula sativa* Dodonæo Histor. Stirpium Pempt. 5. lib. 3. cap. 5. Vereor autem ne Dioscoridis loco iam dicto rescribendum fuerit *Ῥαφανίς*, tametsi vulgatis libris manuscriptus Vatic. faueat. Meæ etiam coniecturæ accedit vetus exemplum bibliothecæ Mediceæ: in quo diserte *ῥαφανίς*. De qua is lib. 2. cap. 137. ubi de suo Ruellius interpres addidit: *quæ Græcis raphanus dicitur*, itemque 138. Hæc enim apud antiquos perperam confusa monet Phrynichus: *Ῥάφανον ἐπὶ τῆς ῥαφανίδος μὴ θῇς· σημαίνει γὰρ τὴν κράμβην*. Petrus Ioannes Nunnesius vertit: *Ῥάφανον pro raphano ne adhibeas*.

Signi-

A rheda excussus. 101. E.

Rhinenchytes, cornu per quod infunditur in nares medicamentum. 7. Vid. Comp. 8, & Marcell. Burdegal. cap. 1.

Rhododaphne. 55. Ῥοδοδάφνη Diosc. lib. 4. cap. 82. Aliis Nerium, & Rhododendron. Vere Plinius lib. 24. cap. 11: *Ne nomen quidem apud nos inuenit Latinum.* Pallad. lib. 1. Tit. 35: *Rhododaphnis folia.* Melius *Rhododaphnes.* Matthias Lobelius in Iconibus concinne Rosam lauream dixit. Quæ Luciano Δάφνη ἀγρία, ut ut Apuleius Maudarensis: *Rurestri vocabulo vulgus indoctum rosas laureas appellat.*

Rhois, quo coriarii utuntur. 142. G.C. *Rhus terginus* Cæl. Aurel. Chron. lib. 4. ῥοῦς ῥόος: *Rhus, rhois. Rhus Coriaria*, Ioanne Saraceno apud Dioscor. lib. 1. cap. 147. *Sumach* officinis. Plin. lib. 24. cap. 11. *frutex coriarius.* Qua etiam ratione Ioannes Ruellius Dioscoridem vertit.

Rhus Syriacus. 256. Cels. lib. 6. cap. 11.
Syriæ Plin. lib. 13. cap. 6.
Syriaci Sextarii duo. 111.
quo coqui utuntur. 113. Vulgo *Rhus obsoniorum.* Sic etiam Diosc. lib. 1. cap. 148. & lib. 2. cap. 29: Ῥοῦς ἐπὶ τὰ ὄψα. Fructus enim ipsius olim salis loco inspergebatur obsoniis. Galeni ætate masculino & muliebri genere usurparum constat lib. 6. cap. 2. de Comp. med. sec. loca Quo etiam modo apud Plin. lib. 13. cap. 6. *Rhus Syriæ mascula.*

Rigore detracto. 83. sc. aquæ frigidæ, quæ repens Comp. 86.

Rigoribus quibusdam torper corpus. 187. Celso lib. 2. cap. 7. Rigor est neruorum distentio, quæ τέτανος Hippocrati. Celso tamen discrepant lib. 2. cap. 10.

Rigida ceruix. 255.

Rosa 114. 171.

Rosa arida. 1. 170. 177. 230. Cels. lib. 5. cap. 18. Colum. lib. 9. cap. 13.

Rosa. 1. 3. 4. 5 49. 66. 158. 180. 206. 210. 220. 222. 228. 237. 238. 256. 258. 259. 267. Pro oleo rosaceo. Qualiter Celsus non semel, lib. 5. cap. 18. in Malagmate ad laterum dolores, itemque aduersus Phymata; & cap. 19. in Emplastro leui. item cap. 21. iterato, necnon cap. 28. lib. 6. cap. 18. quinquies. lib. 7. cap. 19. 22. 27. 29. lib. 8. cap. 3. 4. 9. 10. maximeq; lib. 7. cap. 22: *ulcera melle purganda, rosa implenda.* Item sic P. Veget. lib. 1. cap. 34. *Rosæ* lib. 8. cap. 3: *Neq; alienum est, instillare parum rosæ, vel lactis.* Et cap. 4: *infundenda erit rosa.* Omnium clarissime autor noster

Rosa pota. 194.

Oleum rosaceum. 227. 234.

Oleum rosæ. 267.

Rosæ folia arida. 31. 143. Cels. lib. 6. cap. 11. Rosæ aridæ folia. 271.
arefacta in umbra. 92.
Rosa viridis Pl. Val. lib. 1. cap. 11. & 18.

Rosæ luteus flos. 61. Marcell. cap. 11. Plin. Valer. lib. 1. cap. 50.

Rosa siluatica, quam caninam quidam vocant. 85. Marcell. cap. 17. *Cynocytis* cap. 11.

*Rori marini radix. 165. Apul. de vit. herb. cap. 81: *Rosmarini radix.*

Rosmarini folia. 268. Plin. Valer. lib. 2. cap. 2: *Roris marini fascem bonum decoque.* lib. 5. cap. 27: *Rosmarinum mittes in pultes.* Diosc. lib. 3. cap. 89: Λιβανωτὶς, ἣν ῥοσμαρίνουμ καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Simili ratione Plin. lib. 19. cap. 12: *Libanotis, quidam eam nomine alio rosmarinum appellant.* Oribas. Coll. lib. 11: *Rosmarinus,*

Liba-

204. Colum. lib. 6. cap. 17.
fossicius. 60. 206. Varro de re rust. lib. 1. cap. 7. *fossitius*. Prior tamen modus eruditis placet. Eidem lib. 2. cap. 11, Itemque P. Veg. lib. 3. cap. 4. *fossilis*.
Marinus. 217.
Sal genere neutro apud Pl. Val. lib. 3. cap. 4.
Plurimum salis habentia oua. 185. id est, probe salita.
Salis grana. 135.
Salsissimum ius. 185.
Ex sale emplastrum. 217. D.
Salamandra. 187. Cels. lib. 5. cap. 8.
Pati fluere saliuam. 9.
Saliua abundare. 104.
Salicis liber. 252.
Saliunca. 153. 166. 195. id est, nardus silueltris. 170. 269. 271. spica Celtica. 258.
Salutis custodia. 84.
* Sampsucum. 3. Sansucum. 257.
* Sansuci flos. 268.
Sanæ fiunt strumæ. 228.
Sanat. 99. De medicamento.
Sanaui. 118.
Sanauimus. 122.
Sanandi scientia unius partis. Ep. p. 5.
Sanctum est. Epist. pag. 3. id est, sancitum. Cic. lib. 2. de Legibus iterato: *Lege sanctum est*. Hac forma Tacitus Annalium lib. 3. *Seruius Tullius sanctor legum fuit, quis etiam reges obtemperarent*.
* Sandaraca. 61. 71. 114. Cels. lib. 5. cap. 5.
Sandonica herba, quæ nunc viget. 141.
* Sane. Epist. p. 2.
Sanguinem ex vena sua bibere. 16.
Sanguis fluxit. 46. emanat. Ibid. abundat per nares. Ibid.
Sanguis venis subiectus 84.
Sanguinem detrahere. 106. Cels. lib. 4. cap. 2. P. Veg. lib. 1. cap. 13. & lib. 3. cap. (44.) (47.) 51. *Extrahere* 47. c. (43.) 46. *trahere*. Cels. lib. 2. cap. 10.
Sanguinis detractio. 22. 67. Cels. lib. 4. cap. 4.
Eruptio. 47. 77. 85. 206.
Profluuium Colum. lib. 6. cap. 33. incitatur. 84. id est, euocatur.
Ad sanguinem. 121. id est, sanguinis eruptionem.
Sanguinem reiicere. 90. 92. Apul. de vir. herb. cap. 37. id est, vomere.
Supprimere. 121. Cels. Præfat. lib. 5.
reddere per urinam. 149.
per urinam, vel aluum reddere. 121.
exscreans. 169.
* Sanguilenti oculi. 182.
* Sanguilenta reiicere. 182.
* Sanguilentam urinam facere. 145.
Sanguisuga. 199. Cæl. Aurel. Chron. lib. 5. cap. 4. Plin. Val. lib. 3. cap. 52.
Sapa facta ex musto. 111.
Sarcocolla. 22.
Sarmentorum cinis. 182. 184. C.
Sarmenta mali terræ. 206. M.
Sartum vulnus. 206.
Satis. Q.
Quod ad ea excipienda satis sit. 167.
Quod ad ea colligenda satis sit. 169.
Satis conuenit. 105. prodest. 246.
Saturari hæmorrhoides. 227. id est, Illini. Tingi. Lucan. lib. 8. ver. 304. *Saturantur tela veneno*. Sic Martialis lib. 8. Epigr. 48. venuste dixit *saturatas murice vestes*. Et lib. 13. Ep. 24: *saturata cydonia melle*. Eadem qua Scribonius mente Pub. Veget. lib. 1. cap. 47: *ipsum anum oleo satiabis*. Melius quam *sanabis*. Quod Ioan. Sambucus ad oram notauit. cap. 48: *oleo loca satiare*: non ut alii *sanari*. Plin. lib. 19. cap. 8. post Columellam lib. 2. cap. 9. ad agriculturam

Sel-

bre, ut Comp. 97. Itali: *è sincero.* A. Gell. lib. 18. cap. 10: *Quum tam me sinceriore corpusculo factum diceret.* Quod Celso lib. 3. cap. 4. est, *ex toto integrum esse.*
Sincera propolis. 214.
ad singula quæque vitia. Ep. pag. 5.
Singulas uncias omnium sumere. Comp. 3.
Singulorum uncias admiscere. ib.
Recipit singulorum. 37. Vulgo, *Ana.* Quàm vocem Punicam tradit Angelus Caninius Hellenismi pag. 5. itemque Græcam pater ex diuinæ voluntatis nunciis Matth. cap. 20. ver. 10. Luc. 9. ver. 14. Ioan. 2. ver. 6. Dioscorides quoque lib. 2. cap. 91. habet, ἀνὰ ὁλκὴν μίαν. Galenus etiam passim eâ usus, qui nonnunquam omisit. Hinc, obscuritatis studio qui barbariei stribligine sermonis puritatem infuscarunt, Chymiæ magistris *Anaticus* est æqualis. Nec meliori iure medicorum vulgus ait, *ana partes æquales*, pro *singulorum partes æquales*, vel *tantundem.* Itemque Celsus lib. 3. cap. 27. *omnium par modus.*
Singulorum 70. 140. 178. Sine verbo præcedenti.
Singultus crebros facit. 190.
Sinus veteres, & fistulæ. 208.
Sinum iungit. 209. I.
Si quis. 84. pro, Quod si quis.
Siquidem. Ep. p. 2.
Sitim compescuisse. 105.
Siue. Ep. p. 2. bis in eadem periodo.
Smyrnium, quod est semen olusatri. 126. Marcel. cap. 22. q. e. Oleris atri.
Quos sol accedit. 13.
Solani succus. 53. 83. 245. 246.
Solanum cum pane. 245.
Sole arefacta. 60.
In sole fricare. 156. Cels. lib. 1. cap. 3. 4. 5.
Solida pars. 53. Dentis.
Solio caldo dimitti. 130. D. Cels. lib. 7. cap. 26: *in solium demitti.* lib. 3. c. 6. 22: *demittere.* Celsus lib. 1. c. 3.
Soluit ventrem. 70.
Soluere vas. 269. Germ. *Aufthuen.* Vid. Comp. 80. & 269.
Soluere lapidem. 153. id est, calculum.
Solui. 212. 267. pro, dissolui.
Solui super ignem. 208. *Soluere super carbones.* P. Veg. lib. 3. cap. [28] 31. igne. 265. 266.
Solutum habere stomachum. 92. Cels. lib. 1. cap. 9: *Soluere stomachum. Solutionis stomachi.* Petronius, *Soluto ventre esse.* P. Veg. lib. 1. cap. 9.
Solutio stomachi. 108. *Resolutio* Celso lib. 4. cap. 5.
Soluitur pilula. 75. Medicamentum. 212. pro dissoluitur. medicamentum. 81. id est, mutatur, tollitur.
bitumen super ignem solutum. 208.
Solutæ cicatrices. 27.
Solutis vinculis. 104.
Soluatur fascia. 131. Non. Marcellus *Soluere usu significat enodare.*
Somnum facere. 90. Pl. Val. lib. 2. cap. 30.
Somnus consequitur. 111.
à Somni tempore prohibere ne obsopiantur. 180. id est, post somnum.
In somnis videntur audire. 186. id est, somniis.
Sopiri. 181. Cels. lib. 3. cap. 20. de lethargico.
Soporare mentem. 180. Cels. lib. 2. cap. 2: *Soporari.*
Sorba. 104. Sorbum. 121. Cels. lib. 2. cap. 22.
Sorbilia. O.
Sordida ulcera. 25. 26.
Sordidissima. 237.
Sordida & sanguinolenta eiicere. 114.
Sori ustum. 51.

Sor-

herb. cap. 116. P. Veg. lib. 1. cap. 45. Vulgo, *Ana*.
Tanta. 99. id est, tam ingens.
Tantæ sunt. . ut. . 269.
* Tapsiæ radix. 230. Thapsia Cæl. Aureliano Chron. lib. 1. cap. 4. lib. 3. cap. 2. Ferulago.
Tauri sanguis. 196.
Tarde effectus habere. 19.
Tardius, cito. 15. 20.
Tarditis soluatur. 131.
* Teda pingui mota. 58. Cels. lib. 6. cap. 9. *Teda pinguis* Octau. Horatian. lib. 1. cap. 14. Plin. Val. lib. 1. cap. 36.
Tegendi gratia. 80.
Tegumentum. 46.
* Τελεία, id est, perfecta. 177. Antidotus.
Telo venenato percussus. 176. Celsus. lib. 7. cap. 5. *telo venenato ictus*.
Velut telo traiecta interanea. 194.
Temperatum medicamentum. 82. id est, mixtum.
Temperatus ouorum albis clyster. 154
Temperari. 159. 160. Plin. lib. 13. cap. 2. lib. 28. cap. 1. Pallad. de re rust. lib. 1. Tit. 30: *Polentæ duas partes & furfuris quatuor aqua calida temperabit*. lib. 2. Tit. 19: *ex mellis optimi decem libris omnia temperabis*. lib. 5. Tit. 6: *thuris pollinem ex oleo veteri temperabis*. lib. 7. Tit. 11: *temperare*. Colum. lib. 12. cap. 38: *vinum sic myrtites temperato*, non ut in vulgatis *myrtiten*.
Temperare in mellis spissitudinem. 175. S.
Temperaturam habere mellis. 49. liquidi. 204. 230. ceræ mollis. 79. cerati. 212. emplastri. 220. 266.
Quum fuerint temperaturæ liparæ. 220.
Emplastri temperatura mollis. 45. Vulgo consistentia.
Temperatura composita. 97. id est, Compositio. Plin. lib. 34. cap. 8: *Aeginetica æris temperatura*. Quæ mox eidem *mistura*.
Temperamentum habere cerati spissi. 81. mellis. 209. Emplastri. 210. 214. 266.
Passi temperamentum habere. 228. Mellis liquidi. 230.
Temperatis adspergunturcetera. 263. id est, mixtis. Valer. Maximus lib. 2. cap. 6: *Venenum cicuta temperatum*.
Temperata. 256. id est, in formam redacta.
Tempore apto. Ep. p. 3. procedente. 183.
primo. 122. id est, initio.
quo tempore. Epist. p. 6. id est, quando.
Breui spatio temporis. 62.
Ad breue tempus. 213.
Tempora utraque oblinere. 4.
subitis tenebris obscurantur oculi. 99.
Tenera cornua. 122.
Tenera corpora. 20 215. Cels. lib. 3. cap. 21. puerorum. 212.
Tenerum corpus. 252. Durum. Ibid.
Tenet diu. 35. De Collyriis. id est, durat. Cæsar. lib. 4. bell. Gall. vel hæret, veluti Comp. 214.
Tenere diu in exulcerationem. 173. D. Germanis *Lang offen halten*.
Tenere sub lingua. 74.
Tenerum ceratum. 173. id est, liquidum. Italis *Tenero*.
Tenera folia. 187. id est, mollia, primum erumpentia.
Tenesmos. 142. Plin. lib. 28. cap. 14. *Tenesmus*, Plin. Val. lib. 2. cap. 24. *Græcis τεινεσμὸς*.
Tentari podagra. 161. Timore. 171. *Morbo* Cels. lib. 3. cap. 21. P. Veg. lib. 1. cap. 1: *Valetudo tentat animal*.
Tentant spoliare. Epist. pag. 1.

Testæ ostrearum lib. 3. cap. 28. *Conchylii*. cap. (71.) 74. *Scabies testis abradenda ad vivum*, ubi Colum. lib. 7. cap. 5. asperam testam exigit. cap. (64.) 67. *oui ouorum gallinæ*. (77.) 80 Plin. Val. lib. 2. cap. 13. *Testa cucurbitæ*. lib. 1. cap. 11: *Testa mali granati*, Cels. lib. 6. cap. 9. de dente: *isque per testas excidet*: autoritate Codicis Ambrosiani, Diui Antonii Venetus, & Rhodii. Quod etiam Caius probauit; ac Rob. Constantinus, etiamsi in vetusto Codice Florentino velut in omnibus editis, *forte stans excidet*.

Testulæ. 122. Colum. lib. 11. cap. 3. Itemque *exigua testa*. Cornel. Nepos. Them. 9. *Testularum suffragiis è ciuitate eiectus*. id est, ostracismo. Idem. *Testula illa exilio decem annorum mulctatus est*.

Τίτανος. 101. Suidas: Τίτανος, σπασμός. Spasmus siccus Abensinæ.

Tetanici. 170. Plin. lib. 25. cap. 12. Marcellus cap. 18.

Τετραφάρμακον, emplastrum. 211. Cels. lib. 4. cap. 18. Plin. Val. lib. 2. cap. 31. *Tetrapharmacum*. P. Veget. lib. 4. cap. 27.

Theriacarum compositiones, id est, ad serpentum morsus atque ictus medicamenta. 163. & adflatus. 165.

Thlaspi. Thlaspis. G. 170. Plin. lib. 28. cap. 13. iterato *Thlaspe*. Rectius editio postrema Leidensis *Thlaspi*. Dioscoridi namque lib. 2. cap. 186. Θλάσπι, quia ἐντεθλασμένον.

Thus. 30. 115. 121. 177. 239. 246. 247. 262. 265. 266. Cels. lib. 4. cap. 4.
 Candidum. 31.
 Masculum. 170. 220. 253. Cels. lib. 5. cap. 19. Pl. Val. lib. 3. cap. 14. Virgil. Ecl. 8: *mascula thura*.

Thuris arboris cortex. 28. Plin. lib. 12. cap. 14.
 Pollen. 46. 203. 205. 207. 216. 222. 262. 266. Colum. lib. 6. cap. 29. Plin. Val. lib. 3. cap. 14.
 Manna. 81.

Thymiamatis ammoniaci. 258. Cels. lib. 5. cap. 18. lib. 6. cap. 6: *Ammoniaci thymiamatis*. Glossa vetus: Θυμίαμα, *Incensum*. Quoniam rei fortassis diuinæ aptum. Hinc Etymologico magno procul dubio quasi θυμοῦ ἴαμα, *animi medela*. Iosephus Scaliger etiam lib. 3. Epist. 248. suggerit θύειν pro θυμᾶν veteribus receptum. Græcis eximie Thus. Leonhardus Fuchsius apud Nic. Myrepsum vertit *Suffimentum*.

Thymus albus. 15. Dioscor. lib. 3. cap. 44. θύμος. *Thymum* interpretibus post Celsum lib. 2. cap. 21. lib. 4. cap. 2. 4. 8. 9. Colum. lib. 11. cap. 3. lib. 12 cap. 57. Martialem lib. 11. Epigr. 43. & Pallad. de re rust. lib. 11. Tit. 11.

TIBERIVS Cæsar. 97. 120.

Timidus ad sectionem. 288. De laborante.

Timore liquoris tentari. 171. Lucan. lib. 6. ver. 671: *spuma canum, quibus unda timori est*.

*Tineæ. 140.

Tingi oleo. 56.

Tinctum in aqua specillum. 10. Cels. lib. 3. cap. 7: *tincta in aqua*.

*Tiniatia, πολιον. 83.

Titillationem præstare. 199. id est, excitare.

Titulum scientiæ consequi. Ep. pag. 2. i. e. honorem, seu existimationem.

Tollere. 228. id est, Auferre.

Tollere dolorem protious. 11. in præsentia. 221. Cels. lib. 2. cap. 14. lib. 3. cap. 21. 23. lib. 4. cap. 18. *morbum*.
 Carnem ex palpebris. 37.
 Callos. Ibid.
 Dentem. 53.

Dari-

Per triduum continuum. 52.
Per triduum. 71.122.140.
Denar. p. triginta duum. 144.
* TRIPHON. 201.203.205.210. 231. 241. Lemmate.
Præceptor noster. 175. Chirurgus. 201.240. Cels. lib. 7. Proœmio: *Tryphon pater*. Honoris forsan causa, velut apud Plaut. Most. Act. 4. Sc. 2. Ptolemæo autem Tryphonis hoc est voluptatum nomen ex viuendi ratione impositum narrat Ælianus Var. Hist. lib. 14. cap. 31.
Triphera medicamentum, quod facit ad omnia, quæ ferro debent tolli sine magno dolore. 230. Compositionem intellige. Τρυφερὸν autem *delicatum* verè Ianus Cornarius exponit apud Galenum De Compos. med. sec. loca lib. 5. cap. 7. & lib. 7. cap. 4.
Triplex olei. 218. Pro triplum. Sic lib. 32. Liuius: *Septuagenos æris militibus diuisit, duplex equiti, triplex centurioni*.
* Trita creta. 70.
tritum corium mali granati. 234.
* tritura collyrii. 113. id est, in collyrii speciem. Colum. lib. 1. cap. 6: *Frumenta carent glebulis, quas per trituram fere terrena remittit area*.
Troglodytes myrrha. 90. M.
Tubera. 82. id est, tumores. Cels. lib. 2. cap. 8. *Tubercula*.
tuberculo nucis auellanæ sumitur. 167. N. id est, magnitudine.
Tueri aliquem. Epist. pag. 5. id est, à morbo præseruare.
tueri à morsu. 167.
Tum 53. id est, eo tempore. 90. pro etiam.
Tumor arteriæ. A.
Narium. 52.
tumorem non fit, ut tur fieri. 208.214.
Tunc. 42. id est, Postea. 13.114.122. 205. 220. 267. id est, eo tempore. Fl. Caper de Latinitate: *Tunc temporis Aduerbium, Tum ordinis est*. Cui accedit Isidorus lib. 1. Differ. 24. Secus tamen apud Scribonium Comp. 59. nisi reponendum fuerit eius loco *Tum*. Qua significatione Celsus eo aliquoties usus. Imo Isidorus, ipse Different. 557. fatetur *Tum* temporis futuri; *Tunc* præteriti.
Tunduntur, teruntur, cribrantur. 113.
Tunsa, creta. 61. contusa, cribrata. 120. Colum. lib. 6. cap. 6: *tunsis admiscentur*. P. Veget. lib. 2. cap. 62. *Pilulæ cypressi tunsæ & cribratæ*.
Prima tunica oculi. Alia. 24. Cels. lib. 4. cap. 1. Tunica pro membrana. lib. 7. cap. 7. *Summa oculi tunica*.
Tunicula oculi. 21. Publ. Veg. lib. 4. cap. 27.
* In Tuscia aquæ calidæ ferratæ. 146.
Tussis cum fluore. 87. Celso lib. 4. cap. 4. *Humida*. Cæl. Aurel. Tard. pass. lib. 2. cap. 8. *Humecta*.
Arida. 88.94.95. Celsus loco nominato. *Sicca* libri eiusdem cap. 6. Cæl. Aurel. etiam *Arida*. βὴξ ξηρὰ Hippocrati de Intern. Affectionib. & de Morb. Popularib: lib. 2. Sect. 5. Item lib. 6. Sect. 7. Lib. de Dentitione. Apud quem etiam lib. 4. βήσσειν ξηρὰ. Iano Cornar. *Tussire siccam tussim*. Anutio Foesio *tussi sicca vexari*.
Vetus. 77.89. Col. lib. 6. cap. 31.
Tussire. 94. Cels. lib. 3. cap. 7.
Tutus. 163.
tutus à dolore. 122.
à serpente. 270.
Tu desiderasti. 214. Significanter idem quod ipsus. Ita Cicero Partit. orat. sub filii persona: *Studeo, mi pater, La-*

Latine ex te audire ea; quæ tu mihi de ratione dicendi Græce tradidisti. Et in Epistolis passim. Ornatus etiã causa interiectum quandoque hanc particulam Gaspar Scioppius bene aduertit Suspectarum Lect. lib. 2. Epist. 11.

V

VAcillat liber. 200. id est, imperfectus est. Licenter. Quomodo Pallad. de re rust. lib. 3. Tit. 31: *titubantem stomachum solidare.* Tullius ad Tironem lib. 16. Ep. 13. eleganter: *Accepi tuam epistolam vacillantibus literulis nec mirum, tam graui morbo.*

Valdè. 257.

Valentes. 154. id est, robusti. lib. 2. cap. 10. lib. 3. cap. 21. *Valens firmus, robustus*: Imbecilliotes. Ibid. Cels. lib. 7. cap. 26. *Valens, infirmus.* Cic. ad fam. lib. 16. cap. 9: *Asclapo medicus plane confirmat, propediem se valentem fore.*

VALENTIS præceptor Apuleius Celsus. 94.

Valetudo aduersa, bona. Epist. p. 3. & 5. Cels. lib. 2. cap. 8. 9. & 12. lib. 4. cap. 5. Sen. Ep. 54. *valetudo bona, mala.* Epitheta recte adducuntur. Vocem namq; mediam tradit A. Gellius lib. 12. cap. 9.

Valetudo omnis. 255. Tit. id est, Morbus. Ita Cels. lib. 3. cap. 15. lib. 4. cap. 2. lib. 6. cap. 6. & P. Vegetius lib. 1. cap. 1. lib. 2. cap. 9. lib. 3. cap. (5.) 8. (24.) 27. (25.) 28. Tacit. Annal. lib. 6. Plin. Valer. lib. 2. cap. 5. Pub. Veget. lib. 2. cap. 5. 6. 9. *Valetudines.* Corn. Nep. Hannib. 4. *Premi valetudine.*

Sentiente eius valetudine. 115. P. Veget. Mulomed. lib. 1. cap. 12: *sentire medicinæ curam.* cap. 64.

Valida mala granata, quæ nunquam maturescunt. 41. Ital. *Garbi.* Marcellus *acida* vocauit.

* Valvuli fabarum. 158. *Erui.* Colum. lib. 1. cap. 12. lib. 6. cap. 4. & 14. lib. 7. c. 3. & 4: *fresa cum valvulis fabæ.* lib. 6. cap. 10. *Lentes valvulis exemtæ.*

Vapor aquæ calidæ. 20. Cels. lib. 8. cap. 7.

Vaporare oculos spongiis. 20. Cæl. Aurelian. Chron. lib. 1. cap. 4: *calidis pannis thoracem vaporare.* P. Veg. lib. 2. cap. 8. *vaporare caput.* cap. 11. *oculum.* & cap. 17. Ibid. *fomentare.* Pallad. lib. 1. Tit. 20: *calor cellam vaporauit.* Pers. Sat. 1. ver. 140: *vaporata, lector mihi feruent aure.* Colum. lib. 1. cap. 16: *glebæ solibus æstiuis vaporatæ.* Theodotus Priscianus lib. 3. cap. 5: *fumigia vaporatis partibus supponi conuenit.* Virgil. Æn. 11. *templum thure vaporant.* id est, suffiunt. Celsus lib. 7. cap. 7. de Crithe: *Vapore foueri.* De Ectropio ibidem clarius: *Vapore aquæ calidæ fouendum.* Et mox *Vapore aquæ calidæ fouendus oculus.* Item cap. 9. de Curtis: *quod sutum est tertio quoque die fouendum erit vapore aquæ calidæ.* Omnium planissime lib. 8. cap. 4: *Vapore aquæ calidæ per spongiam fouere.* & cap. 7: *debere foueri per spongiam vapore aquæ calidæ.* cap. 5. breuius: *aqua calida locus quotidie fouendus est.* Paulo post: *fouendum aqua calida.* Ita cap. 10: *vulnus.* & 16. *membrum calida aqua fouendum est.* cap. 10: *fomentum aquæ calidæ.* Et: *fouere aqua per æstatem frigida, per hiemem egelida.* Itemque *cicatrix inducta fouenda frigida aqua est.* cap. 11: *fouere aqua calida.* Rationem

vapo-

est, ut Marcellus cap. 28.
Vindemia. 269. Colum. lib. 12. cap. 38.
Vinum myrtites. 112. Cels. lib. 4. cap. 19. *ex myrti baccis*. Qua de re plura Colum. lib. 12 cap 38. *Murteum* Catoni de re rust. cap. 125. Palladio lib. 2. Tit. 19. lib. 13. Tit. 2. *Myrtite*. Verius *myrtites*.
Signinum. 112. 113. Cels. lib. 4. cap. 5. & 19.
Surrentinum. S.
Falernum. 30. 49. 93. 173. 242. 258. 268.
non-saccatum. 122.
Chium. 165. 170.
Chium, aut Lesbium. 126.
Marsicum. 57.
Merum. 127. 165. 185. Cels. lib. 4. cap. 19.
vetus. 165.
Meracum. 133. Cels. lib. 3. cap. 19.
Mixtum. 128. 165. Cels. lib. 4. cap. 19.
Mixtum meracius. 170.
Austerum meraculum. 134. Plin. lib. 20. cap. 19: *meracum* Cels. lib. 4. cap. 20.
Austerissimum. 142.
Austerum vetus. 222. vetustius. 135.
Non-austerum. 135.
Aminiæum. 257. Cels. lib. 4. cap. 2. & 19. *Ammineum* simpliciter Plinio lib. 26. cap. 11. Et vinum ammineum. lib. 14. cap. 14.
Verus. Recens. 271. Colum. lib. 20. cap. 52: *vetere vino macerari*.
vinum dare. 20.
Viperæ morsus. 168.
Virgines. 18. Cels. lib. 4. cap. 1.
Viride papauer. 72. 180. Colum. lib. 6. cap. 33. itemque P. Veget. lib. 1. cap. 54. *Viride coriandrum*. Veget. lib. 1. cap. 56. De baccis lauri. lib. 2. cap. 35. *quum virent: Hordeum viride*. Ibid. Colum. lib. 7. cap. 8. *caseus viridis*, id est, recens. Item, *virides pineæ nuces*. cap. 9 *viridia pabula*. cap. 14. *nasturtium viride*. lib. 8. cap. 17. *ex pomis viridibus ficus*. lib. 12. cap. 5. *menta viridis*. cap. 7: *Satureia viridis, & viridis cunila*. cap. 9: *faseoli virides*. cap. 57. *thymum viride, viride puleium*. Translatione satis eleganti pro Vegeto Statius lib. 11. Thebaidos:
Qualis leo rupe sub alta,
Quem viridem quondam silua
montesque tremebant.
Colum. lib. 12. cap. 57: *rosa viridis*.
viridis color apparet. 204.
virosissimum medicamentum aduersus stomachum. 103. id est, teterrimi saporis. Seruius in 1. Georgicorum virosa ait fortia. aut certe venenata interpretatur.
virosi odoris sordes. 163. id est, tetri. Cels. lib. 2. cap. 21: *virosi pisces*.
Res virosa coriandrum. 245. id est, graueolens, seu mali odoris. Ita Cato de re rust. cap. 157: *Si mulier eo lotio locos fouebit, nunquam virosi fient*. Colum. lib. 1. cap. 14: *virus ciceris, & lini*.
virus illa pertrahatur. 173.
virtutem suam exhibere. Ep. p. 5.
virtuti oppositus. 199.
virtus disciplinæ. Ep. p. 5. id est, potentia.
vis. Epist. pag. 3. Comp. 28. 269. id est, virtus. Cels. lib. 5. cap. 5.
vis epiphoræ. 20. id est, vehementia. Cels. lib. 2. cap. 7.
medicamenti. Ibid.
Prout vires sunt. 93.
Prout uniuscuiusque vires patiuntur. 138.

cuius-

u

lib. 7. cap. 8.
ulcus, id est, emissatium vomicæ. 229.
ulcus recens molle, 201.
ulcus purum. 24. 238.
concavum. 238.
diutinum. 214.
Sotdidum est. 234. 237.
Sordidum. 25. 26.
Sordidissimum. ib.
luxurians & crescens carne. 239.
Vlcera recentia. 204.
vetera. 205. 206.
callosa. 217.
ex frigore. 220. id est, Perniones Plin. lib. 20. cap. 3. & plurimis in locis.
per se facta. Ibid.
Vltima pars intestini ditecti. 142.
ultimo loco. 263. id est, tandem.
ultimum adiicitur. 24. 42. 267.
adspergitur. 209. nitrum adspergitur. 267.
ultima adiiciuntur. 173.
ultra dicere. Epist. pag. 4. id est, amplius probare. Cels. lib. 8. cap. 5. & 24. Liuius bell. Pun. lib. 4: *ut sustineri ultra non possent*. Cic. ad Att. *ultra cogitaui*.
vltra opus est probare. Ep. pag. 5.
Vnà. 57. 58. 137. 211. 248. Cels. lib. 4. cap. 24.
P. uncia. 47. 70. 81. 85. unciæ. 87. 158. 246. 253. 270. 271.
vini Falerni uncia. 173.
hyssopi p. uncia. 270. Nomen hoc Siculorum indicat Iul. Pollux lib. 9. cap. 6. Siculi autem vetus Latium habentes dicti sunt Latini.
in umbra arefacta folia. 92.
siccare. 110.
Sextarius unus semis. 58.
Vnde ortus erat. 171.
undique tangere. 227.
imprimi. Ibid. ab omni parte. Ib.
Vngui nulla patet aspritudo. 113.
vnguere. 38. Lucret. lib. 4:

At lacrumans exclusus amator limina sæpe
Floribus & sertis operit, postisq; superbos
Vnguit amaracino:

Cels. lib. 7. cap. 30. Petronius: *unguet in toros tepentes*. Tertullian. Scorp. cap. 1.
unguentarius. 118. Plin. natur. histor. lib. 14. cap. 20. Plin. Iunior lib. 2. Epist. 11.
unguentarii. 66. 129. 206. 269. Cato de re rust. cap. 113.
Cremor ptisanæ bene unctus. 184. id est, oleo conditus. Persius Sat. 6. vers. 69: *Vnge puer caules*. Plaut. Pseudol. Act. 1. Sc. 2. *Pulmentum unctiusculum*. Cato de re rust. cap. 157. *brassica uncta*. Sic Horatius Sermon. lib. 2. Sat. 6:

O quando faba Pythagoræ cognata, simulque
Vncta satis pingui ponentur oluscula lardo?

Huiusmodi etiam est farina plurimum adipis habens. 189.
Maluæ sorbitio bene uncta. 186. Martialis lib. 5. Ep. 45. *unctior cœna*. Et lib. 11. Ep. 7: *unctis falciferi senis diebus*.
Vnus & dimidius. 201.
vno die, & una nocte. 74.
unicas gratias agere. Ep. pag. 6.
omnia in unum commissa falcia. 131.
in unum macerare. 268.
cocta. 225.
contunduntur. 106.
subigi. 256. contusa. 262. id est, simul.
miscere. 16. Columel. lib. 6. cap. 7. 109. 221. 260. Pallad. lib. 8. Tit. 8. colligere. P. Veget. lib. 3. cap. (24.) 27: *omnia in unum adiecta in aqua decoquunt*.

Do-

X

Y

ὑπο-



ADDENDA
SCRIBONIO.

PAgina 143. post vers. 13.] Aliud Scribonii Largi Catapotium Phthisicis, sanguinem rejectantibus, suppuratis, educit pelliculas, repurgat sufficienter. Verum immorari pharmaco oportet. Sagapeni, myrrhæ, utriusq; drac. II. opii, cardamomi, utriusq; drac. IIII. castorei drac. IIII. [al. I.] piperis albi obol. III. excipe passo. Fac catapotia. Da ex aquæ calidæ cyathis III.

NOTIS.

PAg. 45. ver. 44. signum.] nisi peritiorum iudicio ferrum dubiæ vetustatis ensem arguat; quem initio marmoreum fuisse rationi est consonum.

Pag. 46. ver. 7. escarii.] Et sane Pausanias Messeniorum lib. 4. hac appellatione secespitam intelligit: quam cultrum describit Festus; aliorum sententia cultellum notat Paulus ad Festum. Itaque Fridericus Sylburgius μαχαίρας cultris melius vertit, quam interpretes ceteri.

Pag. 70. ver. 32.] vel: *ac rursus commiscetur*.

Pag. 75. ver. 23.] Idem notauit Victor Trincauell. De cur. Part. Aff. lib. 3. cap. 12.


Pag. 129. ver. 17. vocatur:] quem in Creta insula deprehendit Ludouicus Ripantus Pisauriensis Minoris Obseruantiæ cœnobita.

Pag. 140. ver. 1. Theophr.] Histor. Plant. lib. 3. cap. 8.
ver. 2. exponit.] Gaza etiam σφαιρίον heic pilulam interpretatur.

Pag. 198. v. 17. Denarii pondere ex passi sextario etiam laudat Autor Libri De Medicinis facile parabilibus cap. 33.

Pag. 204. v. 26. iubet.] Eadem sententia De Viribus herbarum Apuleius cap. 94. editionis Parisinæ, quæ Aldina locupletior, iubet in solium descendere. Optime. Nam gradus in hunc usum exstructos fuisse monstrauit balneum priuatum, quod marmore incrustatum sub monte Auentino integrum conspiciebatur, quando flagrante cum Italiæ Principibus bello Summus Pontifex VRBANVS OCTAVVS urbem muniret. Cuius heic typus Cassiani Putei Equitis beneficio exhibetur.

Pag.



Pag. 208. v. 38. *epotata.*] Aldus. Rectius *epota* Stephanus.

Pag. 250. v. 40. Asam tamen fœtidam non crediderim cum Alexandro Massaria de Febr. cap. XXVII. & Petro Pichot De Catarrho: quandoquidem hæc Laser Syriacum denotat.

Pag. 269. v. 29. adücio.] Quicquid sit. Auicenna chirurgo præcipit, habeat secum glomum ex serico in fila crassiora ducto aut crudo, & instrumentum vomitorium ex ligno vel penna. Capuli vero nulla fit mentio. Neque enim scribendum *Mikabbâ*, sed *Mikaüd*. Librario quippe facillimum fuit alterum omisisse punctum, qui pro litera Be unico tantum subnotari solita Ie debuisset puncto gemino exprimere. Quod omnes interpretes animaduertisse planum est. Nec *Scamud*, probatis ceteroquin autoribus inusitatum, aliud quam glomum improprie significat, qui *Kubbet* Arabibus appellatur. Sic esse vir eximius Georgius Hieronymus Vuelsch Augustanus, harum literarum intra modestiam peritissimus, à quinquennio Patauium reuisens, dum operæ metam prospiciunt, pluribus pro sua in me beneuolentia confecit, quæ characteris Arabici defectu neutiquam licuit proferre.

Pag. 302. v. 37. pediculariæ.] Specie viribusque cum ea dissidet, quæ Dodonæo Histor. Stirp. Pempt. IV. lib. III. cap. XXVII. *Fistularia* nominatur.

Pag. 317. ver. 12. cap. XXXV.] Fabius Pacius præclari nominis medicus lib. de Morbo Gallico.

Pag. 336. v. 19. Eam Galenus De cibis boni & mali succi cap. III. dulcem & leniter adstringentem adfirmat: qui & Meth. med. lib. X. cap. IX. φατνιτὰς pingues palmulas intelligit.



[illegible]

Syracusani [illegible]

[illegible] v. 29 adiecio [illegible] conditis. Ab [illegible] glo[illegible] ex [illegible] fi, erat fornacis [illegible] ex ligno [illegible] penna. Cap. [illegible] scribendum *Mihi* [illegible] *Mikaid*. [illegible] opus [illegible] qui prolixe [illegible] debuisset [illegible] expu[illegible] plantam ut. [illegible] *Scripturae* [illegible] aliud quam [illegible] Sic esse [illegible] ramus [illegible] temum [illegible] model [illegible] dumque [illegible] eis quae [illegible]

[illegible]

[illegible] vers. 17 [illegible]

[illegible] Gen. 10.

336. v. 19. [illegible]

[illegible] ungues palm [illegible]

CATALOGVS

Eorum, qui laudantur, restituuntur, aut dilucidantur.

A

M. Ca-

Petrus

D

E

F

Petrus

G

H

Kamus.

K

L

M

Al-

Pau-

P

MS.

Q

R

S

T

Ro-

V.

Adol-



I N-

INDEX

Rerum atque, Vocum memorabilium.

A

B

fine

Lapis.

Mosse.

N

O

Phar-

Q

R

Rheum,

Stru-

Sini-

T

Telle-

V

FINIS.

Mendæ grauiores ita corrigantur, leuioribus cuiusuis æquitati relictis.

Numerorum prior paginam, alter versum indicat.

SCRIBONIO.

43. 20. ἐσαυλίδας. 54 9. ὑπονισίδος.

NOTIS.

4.7. Iof. 29. φροντιστήριον. 18. 20. Inlitum. 20.10. ut negligentes mox reprehendit 21.3. *exercitum*. 24.41. Παρασκευαστικῶν. 41.17. Martiali lib. XIV. Epig. XXXIIX. 42. 16. πραΰνει. 47 41. fcinci. Sic Pag. fequente. 50.4. Gafparis 69. 14. *placuit*. 76.24. Αἰγυπτίοις. 85.35. muftelę. 97.10. pædotribis. 99. 17. coronicis 110. 30. *fcriptum fuit*. 115.34. propnigeum. 122.15. Secundus. 123. 30. τὸν οἶνον. 126.43. III. 128. 17. qui motus. 129. 39. p. ✱ II. 131. 9. Vticenfem. 133. 33. ꝏ 150. 7. ficut 157.1. Caffium, 174.26. dele, ob. 192.34. forte. 194. 37. &c. expungatur. 195.1. ἐγείρειν. 213.29 quo necat. 30. nimis. 215.40. *præcipua*. 240. 10. Charicles. 248. 34 cataplus. 266. 13. alexiteriis. 268. 26. Medicea. 275. 15. ἀφρητικὸν. 277. 18. hac. 289.12. quæ. 300. 14. λιπαρὰν. 304. 29. χάλκανθον. 306. 36. CORNEI 308. 11. Lexico. 317. 22. Andronios.

LEXICO.

346. ad 353. item. 389. & 391. numeri Epiftolæ à Cratandro editæ mutentur, 3. in 2, 4 & 5 in 3 & 4, 6 in 4, 7 & 8 in 5, 9 in 6. 368 col. 2. v. 16. crocum. 376. col. 1. v. 33. fiffuræ. 382. col. 1. v. 44. *naualia*. 384. col. 2. v. 31. hyænæ. 394. col. 1. v. 2. Ἀσχιὸν. col. 2. v. 3. *Acefcit*. 401. col. 2. v. 2. Lapidem. 404. col. 1. v. 41. & 42. Lib. 4. &c. transfer ad 403. col. 2. v. 6. *deiectionis*. 408. col. 1. v. 9. Oneirocritic. v. 35. P. Veget. Lib. 1. &c. Lib. 2. &c. 409. col. 1. v. 13. id eft, &c. Refer ad verfum proxime fequentem, poft 271. 417. col. 2. v. 3. chryfolachano: 419. col. 1. v. 19. caryotæ. 424. col. 1. v. 15. Hifpana. 429. col. 1. v. 31. Ψιμμύθιον. 433. col. 1. v. 10. πιμῶν. 436. col. 1. v. 20. Lib. IV. cap. III. 21. Ioanni. 437. col. 2. v. 10. ῥῦν. 440. col. 1. v. 14. Defedere col. 2. v. 27. læfus. 444. col. 2. v. 18. *fpoliant*. 448. col. 2. v. poftr. *Ausfteben*.

CATALOGO.

Celfus Ioannis Vincentii Pinelli. Iul. Cæfar Claudinus. Ramus. Aem. Macer. 63. &c. 224. 352. &c. Ald. Manut. major. 182. 188. *Marcell. Burdegal. MS. in membr. &c.* 197. 205. *Non. Marcellus*. 462. notatus 344.

INDICE.

Ἄπονος. Chamæpitys phlegmagoga. ἔγκαυσις. Ἔρπης. Faba fuilla. 270. Genitiui pro Accufatiuo Græcifmus. Nota fit inuerfa, ut Pag. 78. *Ochregel*. Ὀξύγγιον. Ὄζη. Παρωνὶς. Ψάλιον. Sagittæ mucro. Sorbitio. Stigmata etiam bertis.